

# PATROLOGIÆ CURSUS COMPLETUS,

SEU

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRÆ, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA  
OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM, SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,  
SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD ÆTATEM INNOCENTII III (ANN. 1216) PRO LATINIS  
ET AD PHOTII TEMPORA (ANN. 863) PRO GRÆCIS FLORUERUNT :

## RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA  
ECCLESIE SÆCULA ET AMPLIUS,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS,  
PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA ;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA ;  
OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS  
DETECTIS AUCTA ;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI  
SUBSEQUENTIBUS, DONATA ;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM  
DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA ;

OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM  
ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA ;

DUCENTIS ET AMPLIUS INDICIBUS LOCUPLETATA ; SED PRÆSERTIM DUOBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO  
SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE  
PATRUM, ARSQUE ULLA EXCEPTIONE, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR ;  
ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBIVIUM QUINAM PATRES ET  
IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ VERSUS,  
A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPTIS, COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS,  
CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS  
TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSO CONSTANter  
SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSENTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA,  
SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM,  
PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES,  
LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

## SERIES GRÆCA

IN QUÆ PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIE GRÆCÆ  
A S. BARNABA AD PHOTIUM,

ACCURANTE J.-P. MIGNE,  
Bibliothecæ Cleri universæ,

SIVE

CURSUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORÆ.

PATROLOGIA, AD INSTAR IPSIUS ECCLESIE, IN DUAS PARTES DIVIDITUR, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA ; LATINA,  
JAM INTEGRE EXARATA, VIGINTI ET DUCENTIS VOLUMINIBUS MOLE SUA STAT, CENTUMQUE ET MILLE FRANCIS VENIT. GRÆCA  
DUPLICI EDITIONE TYPIS MANDATA EST. PRIOR GRÆCUM TEXTUM CUM VERSIONE LATINA LATERALIS COMPLECTITUR, ET  
FORSAN CENTUM VOLUMINUM EXCEEDIT NUMERUM. POSTERIOR AUTEM VERSIONEM LATINAM TANTUM EXHIBET IDEOQUE IN-  
TRA QUINQUAGINTA CIRCITER VOLUMINA RETINEBITUR. UNUMQUODQUE VOLUMEN GRÆCO-LATINUM OCTO, UNUMQUODQUE  
MERE LATINUM QUINQUE FRANCIS SOLUMMODO EMITUR : UTROBIQUE VERO, UT PRETII HUIUS BENEFICIO FRUATUR EMPTOR,  
COLLECTIONEM INTEGRAM SIVE GRÆCAM SIVE LATINAM COMPARET NECESSE ERIT ; SECUS ENIM, CUJUSQUE VOLUMINIS AM-  
PLITUDINEM NECNON ET DIFFICULTATES VARIA PRETIA ÆQUABUNT.

PATROLOGIÆ GRÆCÆ TOMUS XXV.

S. ATHANASIUS ALEXANDRINUS ARCHIEPISCOPUS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,  
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO D'ENFER NOMINATAM  
SEU PETIT-MONTROUGE.

1857







SÆCULUM IV.

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ

ΑΘΑΝΑΣΙΟΥ

ΑΡΧΙΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑΣ

ΤΑ ΕΥΡΙΣΚΟΜΕΝΑ ΠΑΝΤΑ.

S. P. N. ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI

OPERA OMNIA QUÆ EXSTANT

VEL QUÆ EJUS NOMINE CIRCUMFERUNTUR,

AD MSS. CODICES GALLICANOS, VATICANOS, ETC., NECNON AD COMMELINIANAS LECTIONES CASTIGATA,  
MULTIS AUCTA : NOVA INTERPRETATIONE, PRÆFATIONIBUS, NOTIS, VARIIS LECTIONIBUS  
ILLUSTRATA : NOVA SANCTI DOCTORIS VITA, ONOMASTICO, ET COPIOSISSIMIS  
INDICIBUS LOCUPLETATA, OPERA ET STUDIO MONACHORUM ORDINIS  
S. BENEDICTI E CONGREGATIONE S. MAURI,

NOVISSIMIS NUNC CURIS EMENDATIORA, ET QUARTO VOLUMINE AUCTA :

ACCURANTE ET RECOGNOSCENTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,  
SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS PRIMUS.



VENIUNT QUATUOR VOLUMINA 45 FRANCIS GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,  
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO D'ENFER NOMINATAM,  
SEU PETIT-MONTROUGE.

1857

*B. u. g.*

# ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO XXV CONTINENTUR.

---

## S. ATHANASIUS ALEXANDRINUS ARCHIEPISCOPUS.

Prolegomena.	pag. 1.
Oratio sive liber contra gentes.	col. 1
Oratio de Incarnatione Verbi.	95
Expositio fidei.	197
In illud : <i>Omnia mihi tradita sunt a Patre.</i>	207
Encyclica ad episcopos epistola.	219
Apologia contra Arianos.	239
Epistola de Nicænis decretis.	411
Epistola de sententia Dionysii.	477
Epistola ad Dracontium.	513
Epistola ad episcopos Ægypti et Libyæ.	535
Apologia ad imperatorem Constantium.	593
Apologia de fuga sua.	643
Epistola ad Serapionem de morte Arii.	679
Epistola ad monachos.	691
Historia Arianorum ad monachos.	595
Condemnatio Arii. — Epistola synodalis Alexandri Alexandrini.	797

---

Ex Typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

# EPISTOLA NUNCUPATORIA

EDITIONI VENETÆ PRÆFIXA (a).

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO VI, PONTIFICI OPTIMO MAXIMO,

NICOLAUS ANTONIUS JUSTINIANI EPISCOPUS PATAVINUS F.

Cum verissimum sit, quod asseritur ab Ambrosio, nihil esse religione majus, nihil sublimius fide, eorum consilium optimum semper duxi, qui, quacunque ratione potuerunt, ad ejusdem fidei ac religionis incrementum atque propagationem elaborarunt. Horum et ipse imitatione succensus Magni Athanasii Opera seminarii mei typis edenda curavi; illius scilicet Athanasii, cujus ardentissimum in religionem studium, atque doctrinam hæretici ejus præsertim ætatis, atque adeo ethnici ipsi pertimuerunt. In quo quidem vehementer lætor oblatum mihi in præsentia tempus, testandi publice officium meum, et summam erga te, beatissime Pater, venerationem, tuum illud augustum nomen, quo nullum in terris majus, ad hujus operis præsidium ac patrocinium usurpans. Cui enim hæc, quæ fidei defensionem spectant, potiore jure dicanda sunt, quam illi, quem primum omnium ejusdem fidei assertorem ac vindicem Deus constituit? Accipe igitur mæe hunc sollicitudinis fructum, sanctissime Pater, fidei hujus et confessionis hæres legitime, qua firmissime Ecclesia nititur, ut contra ipsam inferorum portæ prævalere non possint. Neque vero ad id audentum me impellit summus tantum ille dignitatis gradus, ad quem divino afflante Spiritu evectus es, sed etiam eximia tua illa pietas atque doctrina, unde tibi novum splendoris decus accedit. Norunt siquidem omnes tuam in civilium atque sacrarum rerum procuratore solertiam et integritatem, ecclesiasticæ disciplinæ studium, in summa potestate modum, pietatem, æquitatem, munificentiam: norunt tuum in litteras earumque cultores amorem ac propensionem, et quam honorifice de te senserit ingeniorum æstimator acerrimus Benedictus XIV, qui te in adiutorem studiorum asciscendum sibi pro singulari sapientia sua judicavit. Hæc, quæ omnes norunt, ad id mihi sunt maximo incitamento. Quanquam ad te Athanasius ipse venire gestit, quique olim dum viveret validissimam decessorum tuorum opem expertus est, idem nunc se tibi sistit, et in clientelam tuam sese confert, sua tibi omnia in unum quasi corpus collecta exhibens, quæ cum antea late sparsa et variis fuerint inventa temporibus, clarissimorum virorum sedulitate recuperavit. Magnus archiepiscopus pontificem maximum te compellat, tibi plurimum, ubi admissus fuerit, profuturus. Habebis nempe sagacissimum virum in tot tantisque curis amplissimisque negotiis optimum consiliarium; habebis sapientissimum Ecclesiæ Doctorem, qui te possit in tanta temporum pravitate solari, et eos, qui contradicunt, arguere erumpentes ex Aquilone et mari: habebis tandem pulcherrimum virtutum omnium exemplar, in quod oculos animumque quotidie intendas. Utinam diutissime Ecclesiæ vivas! Interim Athanasius ex procellosis tam diuturni et ardui episcopatus quasi fluctibus in plenissimæ quietis et tran-

(a) Athanasii Opera omnia quæ exstant vel sub ejus nomine circumferuntur, opera et studio monachorum ordinis S. Benedicti et congregatione S. Mauri; novissimis nunc curis emendatiora et quarto volumine aucta. Græce ac Latine. Patavii 1777, curante Nicolao Antonio Justiniani episcopo Patavino, operam navantibus H. Græcico et Andrea Galandio. III tomi in IV voll., fol. Tria volumina priora reddunt editionem Benedictinorum; quartum vero ea, quæ post illam publici juris fecit D. Bernardus de Montfaucon in *Collectiome nova Patrum* et in *Bibliotheca Coisliniana*, una cum pluribus locis ex *Epistolis festalibus* a Cosma in *Topographia Christiana* servatis, nec non omnia quæ Wolf ac Maffei miserunt in lucem; tum interpretatio Psalmorum ex Montfauconii *Collectione*, et alia, sive de titulis Psalmorum ab Nicolao Antonelli, Romæ 1746, fol., edita, postea variis lectionibus cod. Vatic. aucta.

quillitatis portum receptus tibi, sanctissime Pater, in totius Ecclesiæ administratione felicitatem obtineat. Tuis ipse tandem sanctissimis pedibus provolutus a te illud enixe flagito, ut mihi, seminario meo, totique gregi mihi concredito apostolicam benedictionem imper-tias. Vale.

## AD LECTOREM.

(Ed. Venet. 1777.)

Divi Athanasii Opera cum jam pridem a multis desiderentur, non exiguis illa laboribus et impensis ad publicam utilitatem et commodum evulganda curavimus, eademque, benigne lector, tibi in præsentia sistimus. Minime nunc necessarium putamus pluribus id ostendere, qualis nempe quantusque Athanasius fuerit inter veteres illos sanctissimosque Græciæ doctores, cum unanimi consensu ab omnibus ipse et dictus, et habitus Magnus sit. Illum certe Patres certatim laudant, ac duo præsertim splendidissima Catholicæ Ecclesiæ lumina Basilius et Gregorius Nazianzenus ut fidei magistrum venerantur, nec deficit qui ipsum cæteris Patribus anteponeret. Hinc maximo semper in honore fuerunt ejusdem Opera, quæ sibi adhuc superesse ad sui ipsius decus atque præsidium vehementer gaudet Christiana respublica. Meminit enim illa se his, veluti quibusdam armis instructam, insignes victorias de suis hostibus retulisse. Meminit his convictam olim fuisse perniciosam Arii dialecticam, his Eusebii Cæsariensis calliditatem deprehensam, his hæreticorum omnium tela depulsa. Utinam vero nullum lateret adhuc ex tanti Doctoris scriptis adeo pretiosis, ut si quid novi ex iisdem rursus occurrat, nec alia ratione servari possit, id eruditus vir vel in vestimentis ipsis jubeat inscribi. Ad hujusmodi Operum celebritatem magis augendam, ac propagandam utilitatem plurimorum virorum industria conspiravit, qui variis temporibus eadem modo Latine tantum, modo etiam Græce ediderunt. Nondum tamen satisfecerant eruditis, sed nova alia, eademque accuratior expetebatur editio, quæ errata veterum emendaret. Hanc concinnandam aggressus est P. Bernardus de Montfaucon totius antiquitatis peritissimus, ac rerum hujusmodi sagacissimus explorator, eandemque summo cum labore ac laude perfectam ac tribus magnis voluminibus comorehensam Parisiis anno 1698 publici juris fecit.

Multa præterea alia D. Athanasii scripta detexit subsequentibus annis idem P. Bernardus de Montfaucon, quæ ab eodem Parisiis in lucem edita anno 1707 obtinent primum locum in volumine altero ex iis duobus quæ ab ipso *Nova Patrum et Græcorum scriptorum Collectio* inscribuntur. Atque hæc appendix quodammodo dici possunt et additamentum editionis primæ Operum S. Athanasii, in quibus eruendis ac discernendis, digerendis, castigandis, illustrandis ille plurimum laboravit. Neque enim solum epistolas plurimas in varias Europæ partes ad nova detegenda transmisit, sed etiam longas peregrinationes suscepit, Galliam et Italiam peragravit, bibliothecas utrobique lustravit, quotquot occurrerunt codices diligentissime evolvit, monumenta percurrit, aliaque perfecit, ut ipse fateatur in præfatione utrique editioni præmissa. Nos primam editionem seculi qualem ipse protulit, talem damus: quæ vero postea edidit, ea cum pluribus aliis in tertium tomum conjecimus, quod ex ejusdem præfatione cognosces (a). Sic qui primam postulant horum Operum editionem, eandem a nobis habent, nec aliis, quæ postea detecta sunt, fraudantur. Quidquid interea sit, hoc certe testari possumus, editionem hanc nostram primam esse post Parisiensem illam a B. de Montfaucon concinnatam, eademque multo locupletiore. Adhuc fortasse latent alia S. Doctoris scripta. Ne litterati eadem investigandi laborem fugiant. Interim, amice lector, oblatum munus ne respuas, ac nostrum tibi inseriendi desiderium benevolo animo fac inflammas. Vale.

(a) Mox sequitur.

## PRÆFATIO

EDITIONIS VENETÆ TOMO TERTIO (a) PRÆFIXA.

Hactenus D. Athanasii editionem opera et studio A monachorum ordinis S. Benedicti e congregatione S. Mauri adornatam, ac Parisiis an. 1698 typis excusam fideliter in omnibus secuti sumus. Atque in hoc quidem ita nobis nihil licere existimavimus, ut ipsas etiam emendationes, quas illi absoluto jam operi apposuerunt, suis locis inseritas exhiberi noluerimus, ut nostra hæc volumina legentibus illud etiam appareat, quid illi primum, quid postea cogitaverint, et ne viris doctissimis eam laudem quodammodo eriperemus, quæ ex posterioribus curis (quæ sapientiores esse solent) proficiscitur. Cum vero ex quo eadem editio felicissime absoluta fuit ad nostram usque ætatem per industrios antiquitatis indagatores non pauca S. Doctoris monumenta e bibliothecarum tenebris eruta in lucem venerint, plurima vero ad ejus scripta ac gesta illustranda, ac majus in lumen collocanda ab eruditissimis viris subinde fuerint elucubrata, ideo nos, qui in id studium omne ac diligentiam impendimus, ut nostra hæc et exacte omnino elaborata, et, quantum in nobis est, numeris omnibus absoluta prodeat, quæcunque post ea tempora Magni Athanasii scripta et ἀποστολικάτα vulgata sunt, accuratissime collegimus, et in unum quasi corpus congressimus; ex eruditorum autem opusculis ac dissertationibus ea tantummodo selegimus, quæ et magis necessaria et gratiora legentibus judicavimus, ne si omnia cœcervaremus, et levioribus locus esset, et volumen ipsum in nimiam magnitudinem excresceret. Neque vero hujusmodi S. Athanasii monumentorum, quæ typis nostris commisimus, collectionis laudem nobis tributam volumus; iis enim jure optimo debetur, quorum doctrina et consilio id præstitimus. Ea vero laus, ac gloria propria in primis Joan. Hieronymi Gradonici, archiepiscopi Utinensis, qui ad ecclesiasticæ dignitatis amplitudinem in hoc præcipue studiorum sacrorum genere singularem quamdam et exquisitam eruditionem adjungit. In hujus etiam societatem venit congregationis Oratorii presbyter, Andreas Galland, qui, quantum studio, doctrina, criticæ artis peritia, ac rerum ecclesiasticarum cognitione præstat, *Nova Patrum Bibliotheca* ab ipso Venetiis edita satis luculenter ostendit. In iis vero quæ horum consilio collegimus non eum ordinem secuti sumus, quem in sua ad rerum sacrarum, præcipue SS. Patrum studiosos admonitione anno proxime elapso edita

typographus noster indicavit; neque enim ad id fide obstrictos nos duximus; et cum hic ordo ex libero cujusque arbitratu potius pendeat, quam ex rerum ipsarum convenientia, eum demum prætulimus qui magis arrisit. Quid igitur a nobis præstitum fuerit, breviter indicemus, ac singula quæ postremo hoc volumine comprehensa sunt, sub unum quasi conspectum (quod munus eorum est qui præfatur) subjiciamus.

I. Principem itaque locum *XXII Animadversionibus in D. Athanasii vitam et scripta* attribuimus, quas statim excipiet *Diatriba de causa Marcelli Ancyranii*: egregium utrumque opus præstantissimi P. Montfauconii, quo nemo in excutiendis et illustrandis D. Athanasii operibus, ac rebus ad ejus vitam et scripta pertinentibus impensius ac feliccius insudavit. Atque in priore quidem cum nonnulla in Parisiensi editione in transcurso agitata accuratius, ut ipse faletur, excussit; tum præcipue cl. Tillemontium strenue refellit, ubicunque ille aut in gestorum recensione, aut in temporum supputatione sibi adversatur. In posteriore vero rem in ecclesiastica historia perobscuram, et ab eruditis magna animorum contentione in utramque partem agitamam, de Marcelli nempe Ancyranii doctrina, disquirendam aggreditur, eaque affert, ex quibus nova Marcellianis rebus lux oboriatur, ut sin minus in omnibus, in multis saltem quæstionis admodum implicatæ difficultas enodetur.

II. Neque minus obscura atque difficilis quæstio est de anno, quo D. Athanasius tantorum laborum pro Ecclesiæ utilitate exantlatorum præmia recepturus e vivis excessit. Ut enim de iis taceam qui ejus interitum ad an. 375 referendum putant, nonnulli magni nominis scriptores et chronographi sanctissimum patriarcham an. 371 decessisse arbitrantur: contra vero ecclesiasticorum annualium parens Baronius pro an. 372 acriter pugnat: maxima tandem eruditorum pars insequente an., nempe 373, eundem obiisse contendit. Postrema hæc opinio cum jam vulgo recepta esset, totius antiquitatis peritissimus vir Justus Fontaninus, archiepiscopus Ancyranus, *Historiam litterariam Aquileiensem* conscribens, ut certo statueret quo anno Rufinus et Melania in Ægyptum venero (eodem autem anno venisse constat, quo D. Athanasii interitus contigit), quæstionem de anno emortuali S. Doctoris iterum ad examen revocavit peculiari dissertatione ad calcem mus. Cæterum ordinem novum cum veteri collatum ad calcem tomi IV exhibebimus. Edit.

(a) Cum scripta in hoc volumine contenta dispuerimus juxta ordinem novum a nobis institutum, præfationes eidem volumini præfixas huc revocavi-

*Historiæ litterariæ Aquileiensi* adjecta. In ea vir et ingenio et eruditione summus multa eaque gravia ex omni ferme antiquitate testimonia congerit, quibus Baronii calculos longe accuratissimos cæteris fideiiores ostendat. Gratum igitur lectoribus nos facturos putavimus, si post *Animadversiones ac Diatribam* cl. Montfauconii hanc quoque dissertationem adjungeremus, ut in re adeo in ancipiti posita, pro qua summa ingenia haud segniter inter se decertarunt, quid ad veritatem accedere propius videretur, clarius dispicere ac dignoscere possent. Hæc nimirum solummodo ex eruditorum lucubrationibus ad scripta, gesta obitumque Athanasii spectantibus nobis seligere visum est; de cl. autem Scipionis Maffei animadversionibus in insigne historiæ ecclesiasticæ sæc. IV fragmentum ab eo Veronæ repertum editumque paulo infra dicemus.

III. His in antecessum præmissis ad ipsius Athanasii Opera devenimus, quæ nunc primum collecta typis nostris evulgamus. Ex his, quæ primo loco occurrunt, quæque secundo supra vicesimum numero censentur, e bibliothecarum latebris primus eduxit ac publici juris fecit cl. Montfauconius, duobus contra Novatianos fragmentis exceptis, decimo octavo numero comprehensis, quæ ex codice LVIII bibliothecæ collegii Novi Oxoniensium prodierunt cura ac diligentia Joan. Christophori Wolfii (a). Insignis siquidem ille Benedictinæ familiæ monachus, atque indefessus antiquitatis pervestigator, lustratis excussisque summa cura ac studio Galliæ et Italiæ bibliothecis, quotquot ad manum venerunt codices evolvit, ut si qua adhuc laterent Athanasii scripta in lucem emitteret; tantique laboris ac solertiæ fructus fuere quæ supra innuimus opera. Ac fragmentum quidem ex *sermone de fide in Coisliniana Bibliotheca* edidit, reliqua vero in *Nova Patrum et scriptorum Græcorum Collectione*. Neque vero omnia ut genuinos sanctissimi antistitis fetus venditat, de pluribus tamen nihil esse ambigendum statuit. Quid vero de illis sentiendum sit, ex ejusdem præfatione potius, et ex *Monitiis* singulis operibus præfixis, quam ex nobis ediscendum. Nihil enim pro ea, qua pollebat, eruditione ac doctrina prætermisit, quod ad rectam eorum intelligentiam atque judicium necessarium videretur.

IV. Inter Athanasiana vero, quæ collegimus, scripta suum etiam habere locum putavimus monumenta aliquot ecclesiastica a cl. Maffeo in lucem emissa tum tom. III opusculorum quibus titulus *Osservazioni letterarie*, tum in fine ejus operis quod inscripsit *Storia teologica*. Non omnia quidem a Magno Athanasio conscripta sunt, sed duæ tantum epistolæ, quarum altera ad Mareoticas Ecclesias missa fuit, ad clerum altera Alexandrinum ac Paremبولam. Verum cum ex illis quoque, quæ Athanasium auctorem non jactant, non pauca ejusdem vitam ac scripta propius attingant, nullum duximus

omittendum. Ac primum quidem ex hisce monumentis historicum quoddam fragmentum est ad Meletiani schismatis primordia pertinens, in quo duas habemus epistolâs perraras eorum temporum reliquias, quæ Nicænam synodum præcesserunt. Sequitur deinde Sardicensis concilii ad Mareoticas Ecclesias epistolâ, itemque D. Athanasii duæ, quas paulo ante commemoravimus. Ac Sardicensis quidem concilii epistolâ eo magis summo in pretio atque honore habenda est, quod, ut recte animadvertit cl. Maffeus, licet multæ ab eodem conscriptæ fuerint, pauca admodum injuria temporum ad nos pervenerunt; ex priore vero D. Athanasii, etsi in ea subscriptiones fœde alicubi depravatæ appareant, episcopalium tamen aliquot Ecclesiarum nomina ediscimus, quas apud sacros geographos frustra requiras; nonnulla etiam virorum ac locorum nomina nondum emendata rectæ lectioni restituuntur, ex posteriore demum præcipuarum in historia ecclesiastica gestarum rerum veritas evidentius demonstratur firmiterque stabilitur. Hujusmodi tres epistolâs *Historia acephala* consequitur ad Athanasium potissimum ac res Alexandrinâs pertinens, in qua nonnullæ rerum *περιστάσεις* prius ignotæ afferuntur, quædam explicantur enucleatius, quædam etiam aliter enarrantur, singula vero temporibus exacte prorsus distincta sunt; quæ utinam amanuensium incuria non vitasset! Verum, quod est notatu præcipue dignum, annus est emortualis S. Athanasii, quem, si hujus historiæ scriptori habenda est fides, an. 373 decessisse comperimus; ex quo celeberrimi Montfauconii cæterorumque hac de re sententiæ non parum roboris ac firmitatis accedit. Qui vero plenior de istis ecclesiasticis monumentis cognitionem desiderat, is legat, quas simul edendas curavimus, cl. Scipionis Maffei in eadem animadversiones, seu potius commentaria, in quibus omnia pro mira ingenii sui felicitate sagaciter evolvit, et exquisitæ eruditionis luce perfundit, quin etiam obiter aliqua eruditorum errata castigat.

V. Græcus quoque textus *Epistolæ ad papam et clerum Persarum* prætermittendus non fuit, ne quid in hac nova Operum Athanasii collectione deesset. Latinum typis excudimus tom. II, pag. 649; Græcum primum dedit cl. Montfauconius in *Bibl. Coislin.*, pag. 269, unde nos illum desumpsimus. De hac epistolâ nihil addendum *Monito* quod Latino ejus textui Benedictini monachi præmiserunt.

VI. Exstat tom. VII, pag. 846, *Novæ conciliorum Collectionis*, quam Venetus typographus Antonius Zatta edere pergit, Athanasii de Christo testimonium, afferturque a Leontio Byzantino monacho in opere nondum edito *contra Nestorianos et Eutichianos*. Vetustus hujus operis codex asservatur Venetiis in Græca D. Marci bibliotheca. Ex eo quædam

(a) Vid. ejusdem Præf. ad tom. III *Anecd. Græc.*

exscripsit, Latine reddidit, notis illustravit cl. vir Antonius Bongiovanni, misitque ad doctissimum virum Joan. Dominicum Mansi, archiepiscopum postea Lucensem, quibus novam et amplissimam conciliorum Collectionem, cujus paulo ante meminimus, locupletaret. Hoc Athanasii de Christo testimonium illud ipsum est, quod in ejusdem *De Incarnatione Verbi Dei* opusculo legimus inter opera dubia initio tom. II (a) a monachis Benedictinis relato. Quoniam vero in eo paucula quædam aliter leguntur atque ibi editum fuit, ne quid videamur omittere, placet illud hoc loco proferre. ΤΟΥ ΜΕΓΑΛΟΥ ΑΘΑΝΑΣΙΟΥ. Ὁμολογοῦμεν καὶ εἶναι αὐτὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, καὶ Θεὸν κατὰ πνεῦμα, υἱὸν ἀνθρώπου κατὰ σάρκα, οὐ δύο φύσεις τὸν ἕνα Υἱὸν, μίαν προσκυνητὴν, καὶ μίαν ἀπροσκύνητον, ἀλλὰ μίαν φύσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένην, καὶ προσκυνουμένην μετὰ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ μὴ προσκυνήσει. Quæ ita veriti Ant. Bongiovanni: *MAGNI ATHANASII. Confitemur et ipsum esse Dei Filium, atque Deum secundum Spiritum, et filium hominis secundum carnem, non autem duas naturas unum Filium, unam adorandam, aliam non item; sed unam in ipso Dei Verbo naturam incarnatam, atque uno eodemque cultu prosequendam.* Exstat pariter tom. I, pag. 54, *Catalogi codicum manuscriptorum bibliothecæ Medicæ Laurentianæ*, quem diligentissimus æque ac eruditissimus vir Ang. Mar. Bandinius Florentiæ edidit an. 1764; exstat, inquam, interpretatio tituli psal. LXXVII, quæ Magni Athanasii nomen præ se fert. Desumpta est ex plit. V, cod. XIV, in quo habetur catena quorundam Patrum in Psalmos; cumque ipsa etiam ab edita (b) tituli ejusdem psalmi interpretatione differat, hic saltem post Bandinium merito recudendam putavimus. Ea autem est hujusmodi: *Ψαλμός οζ'. Συνέσεως τῶ Ἀσάφ. Ἐνταῦθα τὰ τῆς Ἐξόδου, τὰ τῶν Ἀριθμῶν, καὶ τὰ τοῦ Δευτερονομίου φάλλει, τὸν δὲ ψαλμὸν ᾄδει τῶ νέῳ λαῶ, παραινῶν τῶ νόμῳ προσέχειν τῶ εὐαγγελικῷ τοῦ δὲ παλαιοῦ τῶν Ἰουδαίων δήμου κατηγορῶν, ὡς ἀγκώμονος, καὶ ἀχαριστία τὰς εὐεργεσίας ἀμειψαμένου, παρορμῶν δὲ ἡμᾶς ἐπὶ τὴν σύνεσιν τῶν ἐπιφερομένων, Συνέσεως τὴν ἐπιγραφὴν ἐποίησατο. Quæ nos ita interpretamur: PSALMUS LXXVII. INTELLECTUS ASAPH. Refert in hoc psalmo quæ in libris Exodi, Numerorum et Deuteronomii narrantur; psalmum vero canit novo populo, admonens ut legi evangelicæ attendat. Cum autem veterem Judæorum populum tanquam insipientem accuset, qui beneficia nulla gratiarum actione rependerit, nosque excitet ad intelligentiam eorum quæ afferuntur, ideo Intellectus titulum præposuit.*

VII. Reliquum tandem est, ut de interpretatione Psalmorum, sive libro *De titulis Psalmorum*, quem ut genuinum D. Athanasii opus edidit Nicolaus Antonellus Romæ an. 1746, quique, licet postremam, maximam tamen hujusce voluminis partem conficiet,

A pauca dicamus. Librum itaque *De titulis Psalmorum* a sanctissimo Doctore fuisse conscriptum nos dubitare non sinit D. Hieronymus *De script. eccles.* cap. 87. S. Athanasii librum interpretationis Psalmorum synodus quoque II Nicæna commemorat act. 6. Fragmenta quædam Athanasiana *Expositionum in Psalmos* Latina interpretatione donaverat Politianus; quædam etiam Daniel Barbarus, et Balthasar Corderius in Catenis Patrum ad Psalmos protulerant; Petrus item Felckmannus ex Catena Nicetæ Heracleotæ fragmenta *Commentariorum* Athanasii in *Psalmos* evulgaverat. Postea monachorum Benedictinorum studio ac diligentia locupletiores in *Psalmos Expositiones* D. Athanasii prodierunt, et quantum inscriptionem non satis commode libro *De titulis Psalmorum* ab Hieronymo laudato convenire ultro fateatur Montfauconius, ea tamen genuinum S. Doctoris setum asseverat. Verum enimvero non defuerunt viri eruditi, qui, re attentius explorata, easdem Magno Athanasio abjudicarunt. Tandem quod cl. Montfauconius in Præfatione ad opera S. Athanasii ab se in *Nova Patrum Collectione* evulgata persuasum sibi esse affirmaverat, nimirum præter ea, quæ tunc temporis in vulgus primum mittebat S. Doctoris scripta, alia insuper inedita delitescere, eruditus vir Nicolaus Antonellus inter manu exaratos bibliothecæ Barberinorum codices *Expositionem Psalmorum*, sive librum *De titulis Psalmorum*, de quo agimus, feliciter detexit. Id germanum esse D. Athanasii opus omnino non ambigit, idemque esse ac librum *De titulis Psalmorum* à D. Hieronymo recensitum. Quod ut sibi persuadeat, duorum doctissimorum virorum, Andreae Scotti, et Lucae Holstenii auctoritate præcipue movetur; multa præterea, eaque non levia argumenta affert, quibus idipsum manifeste evincat; quædam etiam, quæ in contrariam partem objici possent, ingeniose non minus quam erudite refellit. Legenda omnino ejusdem Præfatio, quam operi a se edito præmisit, ubi rem totam docte admodum ac fusiori stylo persequitur. Utra istarum in *Psalmos interpretationum* Athanasio tribuenda sit, eam Benedictini monachi, an vero quam Antonellus detexit, definire ipsi nos non audemus: litem hanc eruditorum judicio dirimendam relinquimus. De hoc uno, quod ad nos attinet, admonendus est lector, post editum nempe ab Antonello *Psalmorum Commentarium* Athanasii nomine insignitum in bibliotheca Vaticana repertum fuisse codicem inter Palatinos n. XLIV, in quo Psalmi, idemque Commentarium continebatur, unde ille plurimas variantes lectiones ac supplementa deprompsit, eaque omnia appendicis loco suæ editioni adjecit. Ut igitur Barberini ac Vaticani codicis identidem conferendi labor ac tædium lectori immiueretur, variantes lectiones et addimenta suis locis inseruimus, codicis tantum adjuncto nomine, vel ut

(a) Nostræ recensione quartæ. Edit.

(b) Tom. II edit. Paris. an. 1698 et Venetæ 1777, nostræ tom. III. Ib.

plurimum nulla codicis mentione facta, si quasdam A  
variantes textus Psalmorum lectiones excipias, quas  
perspicuitatis gratia Vaticani vel Palatini codicis  
nomine indicavimus. Neque vero verba singula ab  
Antonello in appendice ascripta retulimus, sed ea  
duntaxat, quibus constat lectionis varietas; quæ  
porro ille ex conjectura sagaciter emendaverat, ubi  
illa cum Vaticano codice concinere animadvertimus,  
quod sane pluribus in locis accidit, præmittenda  
duximus, ne idem iteratum legeretur; minime au-  
tem variantium lectionum interpretationem omisi-  
mus, quam nec ipse omisit Antonellus, quotiescun-  
que alteram ab altera differre deprehendimus. Hæc  
nos de D. Athanasio locuti, summam tandem lau-  
dem Nicolao Antonello debere certe fatemur, cujus  
doctrina cum ex omni eruditionis genere floresce- B  
ret, fuit etiam sancti hujus doctoris Operibus for-  
tunatissima. Ille quidem amplissimam dignitatem  
consecutus Romanæ purpuræ splendorem auxit,  
editis vero luculentissimis operibus sui nominis im-  
mortalitati consuluit. Nos, quam viro huic honoris  
gratque animi significationem debemus, eam non  
aliter explebimus, quam ea subjiciendo quæ ipse  
scripsit, quæque Christophanus Amadutius eorum  
litterarum, quas Romæ profertur, Græcarum scili-  
cet, scientissimus cl. Joanni Lamio a. d. vi Kal.  
Octob. an. 1767 per epistolam commemoravit (a).  
Hæc igitur nos præmonuimus; hæc illa sunt, quibus  
nostra hæc D. Athanasii Operum editio præ cæteris,  
quæ ad hanc diem prodierunt, aucta et locu-  
pletata publicæ luci sese committit; quæ si erudi-  
torum suffragio, ut nobis pollicemur, comprobabitur,  
majora etiam, quæ animo volvimus, in posterum  
aggrediemur.

## PRÆFATIO

In opera S. Athanasii quæ nunc primum *collecta* publicantur.

(MONTFACON, *Nova Bibliotheca Patrum*, t. II. Stellulis prænotata interseruerunt editores Veneti. — Omnia, ut jam diximus, ordine novo donavimus, quem indicabit editionis utriusque collatio.

Qui a primis adolescentiæ annis ad decursam C  
usque ætatem, frangendis tum calamo tum opera  
hæreticorum conatibus et consiliis strenue advigi-  
lavit, Athanasius; qui totis sex et quadraginta an-  
nis Alexandrinæ Ecclesiæ præsul, non plebis modo  
regimini, sed etiam fovendæ per orbem rei catholicæ  
totus incubuit; innumera prope scripserit necesse est.  
Nam quanta putas edidisse contra hæreticos, nec  
tantum illos qui sua ætate ingenti numero prorup-  
pere, Arianos, Pneumatomachos, Photinianos, Di-  
mœritas, Apollinaristas; sed etiam eos, qui pridem  
exorti, sanæ fidei oppugnandæ nondum finem fecer-  
ant, Manichæos, Novatianos, Marcionitas? Quot  
epistolas ejusdem fidei causa ultro citroque missas  
penes se habuit, qui de rebus solum Sardicensis syn-  
odi quadringentorum episcoporum litteras ad se D  
missas, servare se testificatur: quibus ἀποβαλας  
remisisse, silente licet Athanasio, indubitatum vi-  
detur? Quot homilias ad populum edidit ille, dum  
præsens Alexandriæ consideret, itaque dum pro-  
fugus per otium solitudinis, populos ad pietatem  
et rectam fidem, missis litteris, informaret? Non  
mirum ergo si nova in dies prodeant S. Doctoris  
opuscula: ac etiamsi, Iustratis Galliæ et Italiæ bi-  
bliothecis, summa cura studioque quotquot ad ma-

num venerunt codices evolverim, ut Athanasii ἀνέ-  
δοτα eruerem, publicique juris facerem, bene multa  
adhuc latere nihil ambigo, eruditosque, nec sine  
spe amplæ segetis, investigandi laborem adire pro-  
opto. Quanquam vero ad singula opera præviis  
Monitis, quid de quolibet sentiendum sit, aperui-  
mus: libet ea quæ jam diximus paucis retractare,  
et quæ nobis δευτέρας φροντίων notitiæ accesserint,  
lectori benevolo patefacere.

I. *De legatione Ecclesiæ Ancyranæ* ad Athanasium  
pro causa Marcelli peculiari diatriba pluribus infra  
agitur, ac eximii opusculi occasione, Marcelli causa  
pro virili expenditur.

II. *Sermo major de fide*, opus a Theodoro lau-  
datum, egregia est contra Arianos aliosque Athana-  
siani ævi hæreticos disceptatio: ubi syllogismis et  
dilemmatibus lucifugarum errores proterit et refel-  
lit S. Doctor. Et primo quidem cum Ariani deitatem  
Verbi minuentes, ἐλαττοῦντες, dicerent, Verbum  
esse rem factam et creatam; iis ille strenue obsi-  
stit, evincitque, non posse rem creatam esse eum,  
qui omnia creaverit, tam visibilia, quam invisibilia:  
nec vere dici posse omnia creasse Deum Verbum, si  
vel aliud quidpiam ab ipso non creatum, vel ipsum  
Verbum creatum esse reperitur: hinc ipsum Filiū

*toranense* illustrato da lui con note e dissertazioni; le *Ragioni della santa sede sopra Parma e Piacenza*; la dissertazione sopra il titolo di S. Evaristo e l'altra sulla commemorazione del Romano pontefice da farsi dagli Orientali nel sacrificio della messa; e finalmente un nuovo Compendio della *Somma* di S. Tommaso stampato ultimamente in *Propaganda* per uso degli alunni di quel collegio, lo distingueranno sempre per un egregio letterato, e per un deguissimuo cardinale.

(a) Qui nient' altro v'è di nuovo, che abbia di  
letterario, se non che la perdita pur troppo funesta  
alla più colta letteratura, che facemmo Giovedì notte  
all' ore 6, del più dotto cardinale che ornasse ora il  
sacro collegio, l' eminentissimo sig. card. Niccolò An-  
tonelli, morto in età d'anni 69 involatoci in poche  
ore da una gagliardissima infiammazione. *L'inter-  
pretazione Greca de' Salmi* di S. Atanasio, le *Opere  
Armenie* di S. Jacopo Nisibeno, quella e queste da  
lui tradotte in Latino ed illustrate con prefazione e  
con note; l' antico *Messaie Romano monastico La-*



nomen proprietatemque, quominus sit creatus Filius officere : nam, etsi multi filiorum Dei nomen nacti sint, quin vere et natura filii essent ; non parem esse de Filio Dei rationem : etenim, ut alibi ait, ideo μονογενής, sive unigenitus ille dicitur, quod solus Filii rationem vere et proprie obtineat. Consequenter vero Arianos arguit, quod dicant Filium esse mutabilem : cum enim Pater natura sit immutabilis ; Filius, qui naturam et essentiam Patris accipit, alias enim non vere Filius esset, natura immutabilis sit oportet. Quoniam autem Ariani, Scripturas ad libitum usurpantes, multa de Christo ut homine dicta, ad Verbi deitatem minuendam in medium afferbant, accuratissime Athanasius, quæ a Christo ut homine gesta sunt ab iis, quæ ab ipso ut Deo sunt edita, distinguit et segregat. Nec minus filios adortus est, qui de incarnatione Verbi falsa proferebant, Dimœritas maxime aliosque, in quos ad Epictetum scribens invehitur. Quia enim nonnulli hoc Joannis dictum interpretantes, *Et Verbum caro factum est*, ita explicari volebant, ac si Verbum ipsum in carnem et ossa mutatum fuisset ; eam ille opinionem ut insanam explodit, ac repetitis exemplis probe commonstrat, in usu esse ut ex aliquo extrinsecus adjuncto, dicatur homo, verbi gratia, tale quidpiam factus esse, quin naturam mutaverit. Cum autem ille qui Verbum in carnem verò conversum fuisse dicitabant, humana opera, et τὰ πάθη ipsi Verbo, ut Verbum erat, ascriberent ; comprobat ille, non Verbo ascribi posse, quatenus scilicet Verbum et Deus est, quod postulet pro nobis, quod passum fuerit, etc. Licet autem Christi, ut Deus est, opera, ab iis quæ ut homo operatus est distingui velit, negat tamen Verbum unquam deseruisse quod semel assumpserat, affirmatque corpus Christi incorruptum mansisse post mortem propter Verbum inhabitans, quod a corpore nunquam discessit. Ex iis fortasse quæ contra Dimœritas afferuntur, non abs re credatur, tunc ab Athanasio editum fuisse *Sermonem majorem de fide*, cum jam Dimœritæ erumperent et blasphemata dicta contra Christum efferrent, anno circiter 369 vel 370.

III. In fragmento ex sermone *De fide* agit de Junio.

IV. In fragmento *de Paulo Samosateno*, ait Paulum Zenobiæ patrocinio nixum fuisse dum errores spargeret ; sed nihil ipsi profuisse ejus patrocinium, nec obtitisse, quominus is ab episcopis in synodo coactis damnaretur.

V. *Fragmentum de Stephano Antiocheno* est pars historię cujusdam ab Athanasio conscriptę, ubi de conspiratione Stephani in legatos synodi Sardicensis Euphratem et Vincentium structa, quam in *Historia ad monachos* carptim tetigerat, pluribus agit ille, remque memorat accuratius.

VI. *Epistola ad monachos*, brevissima licet, pulcherrimas de Arianorum consortio declinando præ-

<sup>1</sup> Job xiv, 4.

ceptiones offert : nam, quia multi Catholicorum erant qui Arianorum conventibus interesse cum iisque precari solebant, a tali consuetudine eos qui rectę fidei hærent, abstertere conatur Athanasius. Qua de re vere auream ejus sententiam hic apponere libet : *Ne quid igitur tale contingat, id vobis in proposito sit, dilecti, ut eos qui palam impie sentiunt aversemini ; eos autem qui se cum Ario non sentire putant, sed cum impiis tamen communicant, caveatis : nam quorum sententiam aversamur, eorum maxime communionem fugere consentaneum est. Quod si quis dum rectam se fidem profiteri simulat, cum illis tamen communicare videtur, hunc hortamini ut a tali consuetudine abstineat : ac si quidem pollicetur, hunc fratris loco habeatis ; sin proterve insistat, hujusmodi hominem repudiate.*

VII. *Commentaria*, sive *Sermones Athanasii in Matthæum* existitisse jam certo constat : quorum nos partem haud modicam ex codicibus eruimus. Quia vero opus antiquissimum Athanasii semper nomen prætulit, vere Athanasii esse opinamur. Licet autem Origenem, quem in *Epistolis ad Serapionem* purgare videtur, hic ἄθλιον vocet, hinc tamen nihil scrupuli exoritur : exploratum quippe est Origenem, quem magistri loco in honore habebant Ariani, ab adversę partis scriptoribus temeritate nomine culpatum fuisse : ac etsi Athanasius, dum ad confutandos Pneumatomachos ejus auctoritatem usurpat, illum, licet tamen frigidè, excusare videatur, nihil tamen obest quin, expensis ejusdem lubricationibus, ipsum alio loco et tempore insectetur ; ut de Basilio Ancyraano a S. Doctore factum deprehendas.

Primo quidem occasione stellę quę Magos ad præsepe duxit, egregie pugnat contra genethliacos et astrologos, qui actiones et vitam nostram astrorum motu regi dicitabant : unde id absurdi sequi commonstrat, neminem sceleris admissi causa culpandum, si astrorum motui vel fato humana gesta ascribantur : nam contra fatum et necessitatem, ut vulgo fertur, ne Jovis quidem pater pugnare valet. Quę de novem Herodis morbis et ejus genealogia sub hæc leguntur, ex Josepho et Africano mutuatus Athanasius est ; neque hac de re quidpiam jam dictis adjicere libet.

Agit postea Athanasius contra hæreticos nonnullos, qui dictum illud Jobi : *Nemo mundus a sorde, etiamsi unius diei fuerit vita ejus*<sup>1</sup>, de peccatis tenellorum infantium actualibus intelligi pugnant. Quę tanta insania forte videatur, vix ut credi posset id opinionis alicui unquam hæsisse ; nisi magistra rerum experientia doceret, in absurdissima quęque commenta prorumpere eos qui arbitrio suo religionis capita definire audent. Horum itaque sententiam acriter depellit Athanasius ; et qui existimabat ille sordes animi cujusque de actuali tantum peccato proprie intelligi posse, de sordibus corporeis, quas ex utero matris contrahimus, Jobi

dictum explicat S. Doctor, non quod inficietur singulos homines cum peccati originalis sordibus in lucem edi: eam quippe ille sententiam clarissime proficitur; sed cum hæretici illo Jobi loco nixi, actualia peccata in parvulis constituerent: ex adverso pugnans ille a sordibus animi ad corporeas maculas ejus loci interpretationem transfert. Quia vero loens ille Athanasii, initio et sine mulibus, non totam illius hac de re sententiam exprimit, abs re esset his explicandis diutius immorari, cum maxime peccati originalis doctrinam perspicue Athanasius, si quisquam alius, enuntiet. Sic p. 866: *Omnes itaque qui ex Adamo oriuntur, in iniquitatibus concipiuntur, in proavi sui damnationem collapsi*; et alibi multis in locis, quæ longum esset enumerare.

Singulare admodum est quod habet S. Doctor in hæc Matthæi verba, *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum* <sup>2</sup>, etc., quod Athanasiani ævi conditioni apprime convenit. Ait quippe ille, dicti hujus explicationi insistens, Si episcopus et presbyter, qui sunt corporis Ecclesiæ oculi, vel si diaconus, qui pro manu habetur, aut demum minister, qui pes esse intelligitur, improbe versentur, et populo lapsus occasio sint, abjiciendos oportere ex Ecclesia, præstabiliusque esse abjectis illis conventus agere, quam eum ipsis damnationem incurrere: quæ res eo tempore non insolens erat. Nam Theodorus Oxyrinchi episcopus ab Georgio Ariano ordinatus, a elero et populo abjectus est. Ecclesiam vero deinde interposito temporis spatio regebant presbyteri et diaconi. Similiterque Georgius Alexandrinus a plebe pulsus narratur; aliosque multos perinde a populo eliminatos haud difficile esset recensere. Verum, etsi Athanasius hæc monita dederit, cavesis putes licuisse populis præsules suos, etsi sotes et improbos, indiscriminatim ex Ecclesia pellere: nam id inmeris ad synodos episcoporum spectabat. At cum illo ævo Arianorum Meletianorumque protervia omnia miscuisset, ac ecclesiastica synodaliaque statuta pessumdaret, cum venalia omnia conscelerati illi proponerent, episcopos plerumque ethnicos simoniacos, aliosque sexcentis sceleribus obnoxios cooptarent; tum scilicet cum nullum a Catholicis præsulibus subsidium sperari posset, oppressis nempe, in exsilio degentibus sedeque motis; licitum popu-

lis erat episcopos, qui luporum instar Ecclesias occupaverant, pellere si possent, et Ecclesiæ aditu arcere. In illud, *Nolite judicare, ut non judicemini* <sup>3</sup>, hæreticorum sui temporis consuetudinem carpit. *Hi namque, sic ille, per insanos atque perniciosos penitentiae ritus pecunie questum aucupantes, aiunt non judicandum sive damnandum esse eum, qui peccata mortalia perpetrat; ait quippe Dominus, Nolite judicare, ut non judicemini. Quod si ita se res habet,*

*ut affirmant ipsi, Noe sane rix justus damnatus fuit, quod derisorem Chamum judicaverit et damnaverit, ut esset fratrum servus. Nimirum illi pactione pecunie homines gravissimis peccatis obnoxios, penitentiae legibus et satisfactione immunes dimittebant. Quod Arianis et Meletianis apprime convenit, qui ecclesiasticos ritus pessumdabant, nihil non quæstus causa agere parati.*

In illud, *Nolite saneta dare canibus, neque mitatis margaritas vestras ante porcos* <sup>4</sup>, hæc pulchre tradit Athanasius: *Quemadmodum enim si quis porcum e cæno eduxerit, id sibi porcus damno esse arbitratur; ita si quis libidinosum ex cæno voluptatis avertat, is temperantiae consiliarium non amicus, sed adversarii loco habet. Ne projiciamus ergo nostras incontaminatorum mysteriorum margaritas ante homines porcis similes. At dicit quispiam, Sacrorum participes esse volunt, et sunt tamen canes impudentes, et porci volutati in cæno voluptatis. Tu vero ne dederis: nam ægri quoque aquam postulant, sed medici velant: tyranni regiam purpuram expetunt, sed illius custodes, periculum suspicantes, non concedunt. Vide ergo tu quoque, diacone, ne indignis purpuram impeccabilis corporis præbeas, ne rationi reddenda, non secundum Romanas leges, sed secundum Domini dicta obnoxius sis.*

In hæc verba, *Propterea dico vobis: Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, sed blasphemia in Spiritum non remittetur illis. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro* <sup>5</sup>: eandem compendio explicationem profert, quam in fine *epistolæ ad Serapionem* pluribus adduxerat; ita ut sententias prope iisdem verbis usurpet; ut vel inde hæc Commentaria certissime Athanasii esse pronuntiet, quisquis hæc accurate mutuo conferat. Hic ille Origenem, ut diximus, carpit, quod pœnarum finem aliquem in futuro sæculo præscripserit, et Novatum, quod pœnitentiam rejecerit. Cætera studioso lectori mittimus exploranda.

VIII. *Commentaria in Lucam*, ut in *Monito* diximus, vere Athanasium edidisse, ipsa res perspicue commonstrat; contra quam olim suspicabamur, videlicet fragmenta illa Athanasii in *Lucam*, quæ in catenis cum manuscriptis tum editis circumferuntur, ex variis S. Doctoris, iisque jam amissis operibus excerpta fuisse. Etenim monuisse juvabit in catenis manuscriptis, ubi non ex justis commentariis, sed ex variis hinc inde operibus, interpretationes afferuntur, notare semper catenarum collectores ex tali vel tali opere (a) exscriptam expositionem fuisse. Ad hæc vero, hic Lucæ versiculos ordine affert et explicat Athanasius, quo perspicuum sit ipsum ple-

<sup>2</sup> Matth. v, 29. <sup>3</sup> Matth. vii, 1. <sup>4</sup> ibid. 6. <sup>5</sup> Matth. xii, 31, 32.

(a) Spectiminis loco hæc sint quæ in catena in Novum Testamentum Oxonii anno 1844, curante J.-A. Cramer edita, ad hæc cap. vi vers. 18 Epist. I ad Cor., ὁ δὲ πορευθεὶς εἰς τὸ ἴδιον σὺν ἀμαρτάναι,

leguntur: τοῦ ἁγίου Ἀθανασίου. Ἔστι πρὸς τοῦ- τοῖς ἅπασιν καὶ τοῦ ἁγίου Ἀθανασίου ἐρμηνεῖα ἐν τῷ Περὶ σεμνοῦ γράμει. Hæc catena, nec plura. EDIT.

nos in Lucam commentarios dedisse, quorum hic A  
aliquantulam partem publicam facimus.

Ipsa in limine singulari modo cognationem B. Ma-  
riæ Virginis cum Elizabetha explanat Athanasius.  
*Cognatam autem, ait, sanctissimæ Virginis Elizabet-  
tam dixit angelus, sive quia ex uno eodemque pro-  
pæo Jacobo ortum ambæ ducebant, sive quia ante da-  
tam legem Aaron, qui ex tribu Levi erat, Elizabetham  
uxorem accepit, filiam Aminadab et sororem Naas-  
son, ex tribu Juda orti. Siquidem hic regia tribus  
Juda, ex qua sanctissima Virgo exorta est, sacerdo-  
tali tribui Levi conjuncta est, ex qua Elizabeth erat.*

In sequentibus, p. 34, contra Arianos agit qui dicto  
Lucæ, *Scimus te quis sis, Sanctus Dei*<sup>a</sup>, ad Filii  
deitatem oppugnandam abutebantur. Hos sanctus  
Doctor strenue pro more suo refellit, eademque B  
ipsa argumenta quæ in epistola ad episcopos Ægyp-  
ti et Libyæ protulerat, sed hic paucioribus, in me-  
dium adducit. Tantaque est inter hæc loca simili-  
tudo, ut eandem utrobique Athanasii manum nullo  
negotio internoscas.

Pulchre Athanasius binos status eorum qui in  
peccatis obeunt distinguit (p. 36): aliorum qui sa-  
lutis quidem aliquam sollicitudinem habent, sed præ-  
seguitiæ, incuria, aut procrastinatione non omnia  
pietatis munia implent; aliorumque improbe ver-  
santium, qui in cæno voluptatis demerguntur, neque  
ullam habent conscientiæ curam. Prioribus ait,  
cognatorum et familiarium auxilium prodesse; vi-  
delicet eos suorum precibus bonisque operibus ju-  
vari: nam ii, inquit, *quæ defuncto deerant supple-  
bunt*: ei autem, qui posteriori modo versatus est,  
nullus omnino, ait, *porriget manum; atque ita cum  
ipso agetur, ut neque ab uxore, neque a filiis, vel a  
fratribus, aut a cognatis et amicis juvetur; neque  
Deus illum ullatenus curabit.*

IX. *Homiliam in Canticum canticorum*, ut spuriam  
dedimus, neminemque puto fore, qui ea de re con-  
troversiam moveat.

X. *Sermo de patientia*, stylo quidem *χολατο* ac  
demissiore conscriptus est, neque tamen ideo Atha-  
nasio abjudicandus: imo vero postremæ Arianorum  
carnificinæ sub Constantio excitatæ, imaginem  
præfert: nam hic episcopi sædibus pulsi, virgines  
vexatæ, plebs catholica exagitata et abducta fertur. D  
Populum ergo ad patientiam cohortatur. S. Doctor,  
monetque ut exemplo martyrum, qui olim paribus,  
imo gravioribus, affecti ærumnis fortiter se gesse-  
rant, inflictas calamitates alacriter subeant. In  
memoriam revocat illos olim sibi necessitudine  
conjunctos præsules, Paphnutium scilicet et Potam-  
monem, tacito tamen nomine, quibus pro fide  
Christi fuerat olim, imperante Maximo, oculus  
exsculptus. Quæ sane omnia operis *γνησιότητι* pa-  
trocinantur. Quod si styli ratio populare quidpiam  
ac demissum præferat, nihil mirum, quando infi-

mam plebem, virgines, mulieres, viduas et parvulos  
alloquitur. Et aliunde fragmenta illa *Epistolarum  
festalium* Athanasii, quarum sinceritas ne mini-  
mam suspicionem admittit, eodem prorsus sunt,  
nec limatiori styli genere conscripta. Cum autem  
Athanasius haud dubie pulsus et exsulans, hunc  
sermonem plebi suæ scriptum transmiserit, *ἔγρη-  
ψαμεν*, neque præsens oraverit, hinc forte conjici-  
tur ipsum ex numero *Festalium*, ab Athanasio ex-  
sulante missarum, esse.

XI. *Homilia in Ramos Palmarum* parem cum  
*Epistolis festalibus* consonantiam exhibet, atque  
adeo illam ut germanum Athanasii opus admitti-  
mus. Epistola alia festalis in *Ramos item Palmarum*  
sive *εἰς τὰ βαῖτα*, scripta est, ut videas in fragmen-  
tis a Cosma Ægyptio allatis inferius, pag. 78 (a).

XII. *Opusculum in dictum Apostoli*, *« Novi homi-  
nem raptum usque ad tertium cælum, »* ex vitioso  
linguæ Græcæ usu inter spuria ablegatur.

XIII. *Opusculi in dictum Apostoli*, *« Natus est  
michi stimulus carnis, »* pari *νοθελας* vitio laborat.

XIV. *Argumentum in Psalmos* nihil non præfert  
Athanasio magno dignum, qui nonnulla ex Eusebii  
commentariis mutuatus videtur.

XV. *Supplementa in Psalmos*, ex manuscripta  
Ambrosiano recenti, ad fidem antiquioris Scoria-  
lensis exarato prodeunt. Nimirum ea quæ in edito  
Athanasii nostro deerant, hic suppletur. Qua de  
re in *ἄνωγο* supplementis præfixo videas.

XVI. *Fragmentum contra Macedonianos* τὸ δριμύ  
καὶ τὸ ἀπέριττον, id est, eam sermonis vim, quæ  
omnem superfluitatem resecat, exhibet: hæc vero  
sunt notæ et tessera styli Athanasiani, ut obser-  
vat Photius in *Bibliotheca*. Ad hæc autem integram  
periodum affert, qualis in *Epistola ad episcopos  
Ægypti et Libyæ* legitur, ut nulla suboriri possit  
περὶ γνησιότητος disceptatio. Licet porro multa  
contra Pneumatomachos, sive Macedonianos scrip-  
serit Athanasius, in iis quæ supersunt operibus,  
eam hæresim ille, tacito semper Macedonii et Ma-  
cedonianorum nomine refellit: hicque tantum il-  
los nominatim perstringit.

XVII. *Fragmenta contra Novatianos* ἀποσπασμά-  
τια sunt insignis ejusdam contra eosdem hæreticos  
operis, quod in duos saltem libros distributum  
erat. Siquidem Novatianæ sectæ reliquias ad usque  
Athanasii ætatem devenisse, non semel in scriptis  
suis denotat S. Doctor. In tertio autem excerpto,  
ex eodem, ut videtur, opere desumpto, hanc me-  
moratu dignam sententiam effert Athanasius:  
*Quemadmodum homo a sacerdote baptizatus, Spiritus  
sancti gratia illuminatur, ita qui confitetur in  
pœnitentia, per sacerdotem Christi gratia remissio-  
nem accipit.*

\* XVIII. Accedunt in hac nostra editione duo alia

<sup>a</sup> Luc. iv, 13.

(a) Vide hujus editionis tom. II, post Athanasii *Epistolas festa'es*. EDIT.

*Fragmenta contra eosdem Novatianos*, quæ, ut duo A superiora, ad Actus apostolorum illustrandos in catena mss. afferuntur.

XIX. In *Fragmento de amuletis*, sive præstigiis, contra eos agit qui, instante morbo, ad striges seu vetulas confugiebant: veneficarumque hujusmodi usum et consuetudinem paucis depingit.

XX. *Fragmenta alia*, variis ex locis excerpta, varii argumenti sunt. In secundo brevem et dilucidam mysterii S. Trinitatis explicationem affert. In tertio ait, si Adamus in innocentia perstitisset, non naturali via et ordine, sed alio ignoto nobis ritu, propagandum fore genus humanum: quæ item fuit quorundam veterum opinio. In quarto dicitur Africanum et Athanasium de sepultura Domini pertractasse. In septimo fertur Paulum vestimenta servantem, Stephanum protomartyrem multorum manibus lapidasse, quod alii ab Athanasio fortasse mutuati postea usurparunt. In octavo observatur Paulum, non dogmatis tradendi causa, sed ut tempori sese accommodaret, circumcidisse Timotheum.

XXI. *Brevis Expositio fidei* notas omnes Athanasiani ævi præfert: quippe cujus omnia dicta ad repudiandam Arianorum et Pneumatomachorum hæresin concinnata sint.

XXII. *Fragmenta ex Epistolis festalibus*, de quibus hæc habet Cosmas Indicopleusta in suo opere, cui titulus, *Christiana Topographia*, sive *Christianorum opinio de mundo*: « Animadverte mihi, quæso, C quomodo magnus hic Doctor circa figuram mundi

nobiscum consonet, cum videlicet regnum cælorum, magnum et cæleste cœnaculum, quod omni creaturæ sufficiat, appellat: in eoque præcursorem pro nobis ingressum Dominum Christum prædicat ac nos cum eo in secundo adventu ingressuros clamat; atque illud: *Intra in gaudium Domini tui* 7, de cœnaculo illo, id est de cælo cœli, sive de regno cælorum, explicat: aitque illud a constitutione mundi hominibus a Deo præparatum fuisse, atque tabernaculum a Moyse structum figuram esse cælorum. »

XXIII. *Frammento insigne di storia ecclesiastica del quarto secolo*. Cum in hoc fragmento et in cl. Scipionis Maffei animadversionibus non solum scripta quædam S. Athanasii, verum etiam multa ad ejusdem vitam spectantia, et ad ea tempora illustranda, contineantur, operæ pretium putavimus tum fragmentum ipsum, tum etiam animadversiones ea lingua qua ab auctore celeberrimo exarata fuerunt hoc loco apponere.

XXIV. Quid de *Epistola ad populum et clerum Persarum*, quam hic Græce etiam damus, sentiendum sit, monuimus tom. II, pag. 649, ubi illam Latine tantum exhibuimus. [Græce et Latine exstat lujus edit. tomo IV. *Ed. Patr.*]

XXV. *Interpretatio in Psalmos*. Vide præfationem huic interpretationi præfixam.

Hæc S. Athanasii *opusculis nunc primum collectis* præmittenda duximus. Tu vero. lector erudite, vale et his frue.

7 Matth. xxv, 21.

### EPISTOLA PRÆFIXA EDITIONI PP. BENEDICTINORUM ANNI MDCXCVIII.

SERENISSIMO PRINCIPI EMMANUELI THEODOSIO DE BOUILLON  
S. R. E. CARDINALI EPISCOPO ALBANENSI,  
MAGNO FRANCIE ELEEMOSYNARIO, ORDINIS CLUNIACENSIS PRÆPOSITO GENERALI,  
ET IN ROMANA CURIA LUDOVICI MAGNI ORATORI ASSIDUO.

Athanasium tibi offerimus, Serenissime Princeps; magnum illud Ecclesiæ lumen, in observantiæ erga te nostræ significationem, conspectui sistimus tuo. Haud ingrato munere instructis aditus ad magnificentiam tuam perfacilis sane futurus est, qui, qua polles ingenii perspicacitate, pretium cuique rei suum assignare nosti.

Tanti Doctoris opera, etsi a doctis et laudatis viris jamdiu expurgata fuerant, eruditorum tamen judicio, nondum sordibus vacabant; quid quod inerant passim spuria a Græculis adornata, et sagaci indigna viro? Jam vero ille suo cultu ornatus, prisco nitore, quoad facultas nostra tulit, restitutus ac tersus prodit: positoque pudore, suis auctus, alienis exoneratus in publicum venit, ac priorem te salutatum Romam commigrat; ut si quid in Galliis ornamenti, si quid beneficii nactus sit, id tibi, Serenissime Princeps, inter Galliæ magnates conspicuo et æquo rerum æstimatori recenseat.

Nec insolens est quod Gallorum se officiis cultum testificetur Athanasius, cui Gallia per fugium, dum viveret, non semel fuit. Nunc autem cum non minus scriptorum quam gestorum suorum ope, in memoria hominum vivit et perennat, sub auspiciis tuis in lucem prodire gestit, Eminentissime Cardinalis, et te insignis ille præsul, Gallum patronum, multis nominibus insignem ambit. Nam, sive generis amplitudo, quæ domestica; sive dignitas et ingenium, quæ tua laus est, spectetur, jure tibi nuncupatus oblatuque tantus Doctor esse

censebitur. Quid si accedat Ludovici Magni, quod unum instar omnium esse possit, iudicium; qui te ad præstantissima omnium negotia gerenda delegit, et tui gratia tantam, tam insignibus in rempublicam officiis præclaram familiam, singulari beneficio, singularis affectus indice, auxit et exornavit? Quid si illa summi Pontificis pro tua dignitate studia, qui delatum a Ludovico Magno beneficium, lubens sanxit et confirmavit? Annon virum certatim a supremis orbis principibus cultum et ornatum jure ac merito Athanasio nostro patronum ascribere videamur?

Tantum Doctorem, orbis spectaculum, præsulum exemplar, comi haud dubie placidoque vultu excepturus es, Serenissime Princeps. Et quæso, ut si quid tibi otii sit a quotidianis illis curis et amplissimis negotiis quæ animum distinent tuum, ne gravare Athanasii scripta lustrare, et tam sagacem virum consiliorum participem admittere. Enimvero ab illo ediscitur quod sit antistitum munus: qui esse debeant in otio, qui in negotio, qui in periculis, qui in calamitatibus vitæ, qui cum æqualibus, qui plebi, qui Ecclesiæ hostibus. Omnia quippe casuum, omnia calamitatum genera emensus Athanasius, nunquam semel initum pietatis cursum intermisit, omniumque virtutum sese specimen obtulit. Nemo est qui tibi sapientius suadere possit Athanasio; nunquam labere, si ipsum audias.

Hæc ratio tibi, Serenissime Princeps, haud injucunda spero fuerit testificandæ obsequentiæ erga te nostræ: Athanasiique concinnandi laborem nos auspicato aggressos arbitrabimur, si lucubrationes nostras in officii signum oblatas tibi, grato animo acceperis, et patrocinium tuum te summe colentibus impenderis

*Obsequentissimis monachis ord. Sancti Benedicti  
congregationis Sancti Mauri.*

## PRÆFATIO

### IN UNIVERSA S. ATHANASII OPERA.

(Ed. Bened. 1698 [a].)

Mirari subit quare cum in antiquorum libris emendandis nostro et præterito ævo tanta sit industria desudatum, nonnullorum tamen Ecclesiæ Græcæ Patrum opera scateant mendis, sordescant misere spuriis intermista; et dum in dies eruditorum manibus teruntur, non sordes deponant, non ad meliorem conditionem revocentur. Hæc sane sunt quæ stimulus nobis addiderunt, ut quoad facultas ferat, Patribus Græcis manum admoveamus, quando jamdudum nostri Latinis. Prior autem suapte dignitate ad hujusmodi curam nos evocavit, qui inter Ecclesiæ Græcæ doctores primas tenet, magnus ille Athanasius, cujus scripta immane quantum vitio laborent. Nemo enim est, qui percursis ejus operibus, et perturbatum librorum ordinem conspicatus, sparsa hinc et inde spuria nulla νοθελας significatione distincta, orationem passim vitiatam, hiulcam, laceram, Homericum illud non exclamet: Πολλὰ δ' ἄρατα, κάρτατα, κάρτατα τε δόχμια τ' ἤλιθοι (b).]

Tanti Doctoris, omnibus retro sæculis celebra-

(a) Monendus Lector in textu et in notis paginas retineri editionis Venetæ, quas typis grandioribus

tissimi, scripta in tam misera sorte versari ne patere-  
remur, vetabat recordatio victoriæ olim de perniciosissimis Ecclesiæ hostibus, non aliis quam hisce telis partæ. Quis enim, si perpendat quantum ingenio, quantum peritia litterarum, quantum humana gratia valerent quibuscum Athanasius assidue per totam vitam congressus est, non maximi ea scripta ducat, quibus ii profligati, vera doctrina asserta fuit? His Arii dialectica, Eusebii Nicomediensis calliditas illa, parque maximis gerendis rebus ingenium; his gentilis ejus Cæsariensis eruditio varia, Theodori Heracleotæ sacrarum litterarum peritia erroribus tuendis addicta, his demum hæreticorum omnium tela depulsa sunt. Operæ igitur pretium fuerit, ut ea pristino nitore restituere curemus, per quæ, Numine ita providente, id nacti sumus, ut sana fides ad nos usque pervenerit. Qua autem ratione, quid actum sit, quænam hujusmodi scripta complectantur, paucis expendere jubet animus, cum de manuscriptis ac de prius editis pauca præniserimus.

expressimus. EDIT.

(b) Hom. *Iliad.* Ψ, vers. 116.

## I.

*De manuscriptis et de veteribus Athanasii operum editis.*

1. Res est explorata, Athanasium certa quædam opera sua asservasse, lustrasse cum id otium ferret, iis quædam adjecisse sicubi res postularet: animadversum id fuit in *Apologia contra Arianos*, et in libro *De synodis*, et fortasse aliis in libris factum, etsi haud certis notis deprehendi queat. Ordinem autem operum, qui in plerisque manuscriptis idem ipse comparet, ut fuit superius recensitus (a), multis secundum Athanasii ætatem sæculi adornatum fuisse hinc liquidum est, quod multa ille completatur spuria veris intermixta, ut sese dabant, et fors ferebat, nulla servata temporis vel argumenti ratione. Inter codices autem Basiliensis, cujus varias lectiones edidit Petrus Felckmannus, cæteris præstat antiquitate et accurate, a Doxopatre quodam exaratus, erudito viro et de Athanasii scriptis bene merito. Hic explanationes hinc inde adjecit, sagacis et periti hominis notam præferentes. Basiliensi codici haud multum concedere putatur Regius numero 2284, septingentorum circiter annorum, egregiæ notæ, qui olim fuit monasterii τοῦ Κυριζου, nam ita folio primo: Ἡ βιβλος αὕτη τῆς μονῆς τῆς Κυριζου. Postea vero cum in alias manus devolutus esset, recentiore caractere scriptum fuit, κτῆμα μονῆς τοῦ κυρίου Διονυσίου. De cæteris codicibus sat alias agitur. Est porro manuscriptorum ordo, qualis qualis est, summo quidem opere notandus, tum hoc nomine quod interdum ab iis scriptoribus sequioris ævi, qui Athanasii opera commemorant, hujusce ratio habeatur; tum etiam ut nuperi scriptoris difficultas levetur, qui cum in amanuensis cujusdam verba incidisset, scilicet: Ἐγράφη ὁπίσω ἐν τῷ ξη' λόγῳ, inauspicate satis legendum putavit ἐν τῷ ξυλλόγῳ, id est, ut comminiscitur ille, in *collectione monumentorum*, quam esse putat *Apologiam contra Arianos*. At τὸ ξη' esse numerum 68, cuilibet laterculum manuscriptorum a nobis editum inspicienti palam erit.

2. Editio autem quæ prior prodiiit in publicum, est, ni fallor, Vicentina, anno 1482, Leonardo Basiliensi typographo. Ibi perpauca Athanasii opera Latine tantum, Omnibono Leonicensi interprete, continentur, videlicet, tres *contra Arianos Orationes* hinc inde dispersæ; *Oratio contra gentes* et *De Incarnatione*; *Epistola prima ad Serapionem*; *Liber de Incarnatione Dei Verbi, contra Arium et Apollinarium*; *Disputatio contra Arium in synodo Nicæna*. Præter ejusdem Omniboni epistola nuncupatoria ad Paulum II, summum pontificem. Neque tamen idem Omnibonus has lucubrationes ipse prelo tradidit, sed ejusdem morte præoccupati operam suscepit Barnabas Celsanus, ut videre est ex epistolis Petri Bruti episcopi Catharensis ad Celsanum, et Celsani

A ad eundem episcopum, huic edito præfixis (b). Versio Omniboni non mala, quæ satis accurate Græcorum sententiam referat. Secundum hanc editionem publicatus est Hagenoæ, anno 1519, liber *De variis quæstionibus*, Joanne Reuchlino Capione interprete, idipsumque opus Romæ item, anno 1525.

3. Anno 1520, Lutetiæ, apud Joannem Parvum, prodiiit Athanasii nomine volumen unum, cui præfixa est epistola Nicolai Beraldi ad Michaelem Bodedum, Lingonensium episcopum. Hic autem, præter duas orationes, *contra gentes* et *De Incarnatione*, Ambrosio Canaldulensi interprete, reliqua omnia supposititia sunt; nimirum, *Commentarii Theophylacti in Epistolas Pauli*, *Disputatio contra Arium Probo judice*, *Liber de exhortatione monachorum*, *Historia imaginis Beryllensis*, *Epistolæ summorum pontificum ad Ægyptios episcopos*, *Quæstiones ad Antiochum* numero pauciores quam nunc exstant; fragmentum item *Epistolæ ad Marcellinum de interpretatione Psalmorum*, *Vita Athanasii* per Joannem Tortelium Aretinum, cui præmittitur ejusdem Tortelii epistola ad Eugenium IV pontificem.

4. Sub hæc, anno 1527, Desiderius Erasmus cum in codicem incidisset, Athanasii non pauca complectentem, ea Latine dedit, nimirum binas *ad Serapionem epistolas*, tertiam scilicet et quartam, *Epistolam de decretis Nicænis*, *Apologiam de fuga*, partem *Apologiam contra Arianos*, *De passione et cruce Domini*, in illud: « Euntes in vicum quod contra vos est; » *De virginitate*, in illud: « Quicumque dixerit verbum, » etc., *Epistolam ad Serapionem*, quæ prima omnium est, initium libri *Contra omnes hæreses*. Et mireris, lector erudite, præjudicatam opinionem Erasmo fucum fecisse. Nam quia Athanasium inter Græcorum elegantissimos numerandum, nec injuria, æstimabant; hinc factum, ut *epistolam primam ad Serapionem*, quæ apertissime Athanasii est, non sine convicio auctoris Athanasio abjudicaverit, quoniam videlicet in ea τὸ εὐρονον desideratur, non scriptoris vitio, sed quia ab initio ad calcem loca Scripturæ sacræ perpetuo congeruntur; quo in genere scribendi eloquentiam orationisque nervos expetere, idipsum sit quod nodum in scirpo quærere. Non hic unus comparet nævus in his Erasmi lucubrationibus. Cum enim in *Apologeticum contra Arianos* incidisset, ubi triginta sex monumenta exstant historiæ ecclesiasticæ opportunissima, hæc nihili fecit ille, imo hæc effatus est: *Sequebantur hic diversæ diversorum epistolæ, episcoporum, synodorum et principum de actis adversus Athanasium, quas, quoniam et multæ erant et prolixæ, quædam etiam supposititiæ, pignit vertere*. Hæc sane, quanquam pœnitet inclementius effari in tantum virum, minus peritum in ecclesiasticis arguant. Anno 1532, Lugduni cusa

(a) Post collationem ordinis veteris cum novo, quam nos ad calcem tomi IV exhibemus. Edit.

(b) Infra, p. xlv.

sunt quotquot in Parisiensi editione anni 1520 A exstant, iis additis quæ ab Erasmo versæ fuerant.

5. Hactenus igitur valde imperfectæ in lucem venerant Athanasii operum editiones: ac ne plura publicarentur, vetabat, arbitror, codicum Athanasii infrequentia. Verum, anno 1555, Petrus Nannius Alcmarianus, vir Græcæ Latineque peritus, summa cura et studio Athanasii opera multo auctiora quam ante Latina fecit, et Basileæ edenda tradidit; opusque totum ex officina Frobeniana in lucem, sed Latine tantum, emittitur anno 1556. Nanniana illa versio diu inter optimas annumerata est: at accuratius rem expendentibus multa sese vitia obtulere, de qua re inferius. Næ multa laude dignus Nannius est, qui prior elegantissima Athanasii opera, necdum nota, publica fecit. Exinde vero alia quædam prodierunt editiones, quæ ne transversum unguem ab illa Basiliensi discrepabant. Parisiensis tamen, anno 1572, a Sebastiano Nivelio cusa, *Vitam Antonii* insuper complectitur; necnon *Vitas Athanasii* per varios auctores concinnatas. Ad hæc, tria opuscula ex collectione Canonum mutuata, scilicet, *Epistolas ad Amunem, tricesimam nonam festalem*, et *ad Rufinianum*; quæ Parisiis seorsim publicatæ fuerant anno 1574.

6. Hucusque Latine tantum cusa fuerant Athanasii opera: verum, anno 1600, Græcæ primum Heidelbergæ, typis Hieronymi Commelini, in publicum prodierunt; ex codicibusque bibliothecæ Palatinæ Græca desumpta sunt. Sub hæc, confecto pene opere, Petrus Felckmannus summa accurate fragementa multa Athanasii hinc et inde collecta, varias lectiones, notas quasdam, *Epistolas item duas ad Luciferum*, allamque *ad monachos* edi curavit ad calcem omnium. Et fuisset editio illa multum præstantior, si ab initio Felckmannus, vir sane eruditus et φιλόπρονος, ejus curam suscepisset. Sed quia ut plurimum operæ, quibus non erat codicum accurate et præstantiam internocendi facultas, Græca non quæ magis ad veram lectionem, sed quæ propius ad Nannii interpretationem accedebant, prelo submiserunt, hinc factum ut editio isthæc non adeo accurata sit. Secundum hæc, anno videlicet 1608, ex officina Claudii Chappletii Parisiis prodit nova Athanasii editio, sed Latine tantum, pauculis adjectis ad marginem Frontonis Ducæi, Societatis Jesu, notis. Anno item 1612, Latine cusa sunt Athanasii opera cum ejusdem Frontonis Ducæi notis, addita *Vita Antonii* Græcæ ex editione D. Hæschelii, Augustani.

7. Sed hæc omnes editiones obscuravit Parisiensis Græco-Latina, anno 1627, publicata curante Joanne Piscatore, ubi multa ex variis Felckmanni lectionibus castigata, multo plura prætermissa, nonnulla vitiata fuerunt; quod in variis lectionibus nostris cuique legenti animadvertere est. Versio autem Nannii multis in locis mutata fuit, et plerumque inconsiderate; ita ut contra fidem manusccriptorum editorumque, infeliciter augurando suo-

que marte, editores sua, non Athanasiana substituerint. Et monuisse juvabit, sicubi nos versionem Nannii memoramus, non Parisiensem significare, quæ innumeris in locis mutata fuit, sed alias ante annum 1600 publicatas. Mirum autem in Parisiensi isthac editione omissas fuisse Felckmanni varias lectiones omnes, quarum pleræque magni pretii sunt. Ut ut sit, castigatio tamen in multis est hæc Parisiensis editio quam Commeliniana, verum in multis etiam inferior. Adjectæ sunt huic editioni *Homiliæ septem* cura et studio Lucæ Holstenii, quas cum plerique aliis hactenus ineditis inter spuria ablegavimus. Post eas omnes editiones publicata demum est, Coloniensis nomine, Lipsiana, anno 1681, quæ innumeris mendis scatet, adjecto *Syntagmate doctrinæ*, ab Arnoldo Norimbergensi edito.

8. Hæc ante nostram prodierunt Athanasii operum editiones bene multæ, quibus tamen, nedum id confectum sic ut non accuratior expeteretur, ne turpiores quidem errores expuncti sunt. Nam si in omnium præstantissimam, Parisiensem videlicet, oculos adjeceris, mirere sane quam oscitantes fuerint, qui tam conspicua vitia ne senserunt quidem. Primo enim germana et vera opera spuriiis passim intermista sunt, tam in primo quam in secundo tomo, nullo delectu, nulla νοθελας vel γνησιότητος significatione; quæ quidem res lectorem quantumvis eruditum in consilii inopia conjicit, cum non in promptu sit internoscere quid sincerum, quid alienum. Deinde perturbatio ubique tanta, ut nulla temporis, nulla argumenti ratio compareat; imo ne ea quidem, quæ natura sua cohærent, ac sine vitio senoveri nequeunt, vel minimum inter se ordinem teneant. Sic *Epistolæ ad Serapionem de Spiritu sancto*, quarum prima secundæ, secunda tertiæ, tertia quartæ occasio fuit; ita distractæ, et, ut ita dicam, dissipatæ fuerunt, ut tomo primo, quæ prior esse debuit, secunda legatur; quæ secunda, primas teneat; duæ autem posteriores in secundum tomm ablegatæ fuerint, ita tamen ut postremæ, quæ quarta est, fragmentum, primo tomo avulsum jaceat. Eamdem animadvertere est in *Apologiis ἀταξίαν*: nam quæ postrema omnium sita est, et *Apologia secunda* inscribitur, primum debet occupare locum, secunda vero tertium. Omnia demum ut casus tulit posita sunt: adeo ut si quis historia ecclesiastica mediocriter tinctus, aut in Athanasianis hospes, in hæc primum incidat, passim hæreat incertus; imo vero ne periti quidem his sese difficultatibus, nisi manusccriptorum ope expedire valeant. Hinc enim cum alia permulta incommoda, tum hoc omnium fortasse maximum consecutum est; ut quæ certissime Athanasii sunt, a doctis in νοθελας suspicionem vocarentur. Sic Erasmus δ φιλολογώτατος adversus *primam ad Serapionem epistolam* sententiam tulit: cui, si debito epistolæ illæ ordine sitæ fuissent, ne minimus scrupulus hæssisset; namque alia aliam confirmat, alia aliam memorat. Vulgatum sane est, quæ peregrinis in

locis versantur, peregrinum olere, et quamcunque rem non nisi suo loco suas partes implere posse. Ad hæc autem, tot tantæque mendæ ubique locorum aspersæ, tot lacunæ, tot hiatus, ut in operibus permultis vix quidpiam sanum offendas: maxime vero in libris *De humana natura suscepta*, *De sententia Dionysii*, in *Epistolis ad Serapionem*, et in *Orationibus contra Arianos*; ibi sexcentæ lacunæ, infinitæ propemodum clausulæ vitiatæ, ut vix ubi pedem secure figas reperias. Quid si in *Epistolam encyclicam*, male ad *orthodoxos* inscriptam, incidas; ubi nomina virorum perpetuo alia pro aliis substituta deprehendas: annon indigne feras labefactatum ab imperitis amanuensibus libellum, qui ad historiam ecclesiasticam quarti sæculi plurimum juvet? Et incommodum accidit, ut pessimis omnium codicibus usi sint qui priores eam ediderunt, duce nimirum Nannianæ versione, ex vitiato et ipsa codice expressa. Hinc perspicuum quanto scrupulo et religione Athanasii editis illis uti debeatur, et una quam necesse fuerit novam parare editionem, et errata veterum emendare.

9. Interpretationem Nannii quod spectat, diu hærebamus incerti novamne ederemus, an eam, olim probatam, laudatamque et quidem a laudatis prius emaculatam pro facultate, cuderemus iterum. Et sane in hanc potius partem propendebamus initio, ne scilicet actum agere videremur. Verum contra, ne versio illa iterum in lucem prodiret, multa suadebant. Primum enim cum ex manuscripto vitiato, et infinitis prope mendis asperso expressa illa a Nannio fuerit, necessum erat ut sexcentis in locis immutaretur, ut cum Græcis quadraret. Ad hæc autem ut eruditi viri jamdudum animadverterant, versio illa non ea accurate concinnata fuit, ut Athanasii mentem probe assecutus sit Nannius; qui vir apprime eruditus et multis nominibus præclarus, præstantiora nostris fortasse dedisset, si ætatis, manuscriptorumque conditio id tulisset. Verum vitiata lectione, cum quis semel ab auctoris sententia excidit, in reliquis etiam præceps fertur; et dum ad certos limites redierit, transversus agitur. Innumera possemus afferre ex illa versione exempla: sed pauca satis sunt, ne erudito lectori, dum aliena errata recensemus, fastidio simus.

10. Porro antequam animadversiones illas nostras ordiamur, non ingratum lectori fore puto, si hic afferatur in medium censura Nannianæ versionis olim jussu eminentissimorum cardinalium congregationis Indicis concinnata, et quidem ab emunctæ naris viro, cujus nomen tacetur in schedis nostris. Eam vero ex codicibus mss. Patris Barissy congregationis Vallicellanæ exscriptam transmisit nobis vir clarissimus Stephanolius noster. Necdum, quod quidem norim, lucem aspexit.

CENSURA PRIORIS TOMI OPERUM D. ATHANASII GRÆCE ET LATINE EDITORUM ANNO MDC, LOCO UBI EXCUSA SUNT NON EXPRESSO, JUSSU ILLUSTRISSIMORUM ET

REVERENDISSIMORUM CARDINALIUM CONGREGATIONIS INDICIS FACTA.

« Prior tomus operum D. Athanasii ea continet, quæ Latine solum edita multis ab hinc annis, Petro Nannio interprete, circumferuntur. Græcus ipse textus, qui nuper in lucem prodit, et phrasin certe Athanasii redolet, qualem ille fuisse tradit Gregorius Nazianzenus, minime Atticam et luculentam, sed pietatis et rerum divinarum scientiæ plenam, et nequaquam corruptus aut adulterinum quid passus videtur; nisi quod fortasse ob incuriam typographorum vel depravata exemplaria, verba quandoque et commata, periodi etiam alicubi desiderantur. Interpret Nannius multa præclare reddidit, ubi præsertim historica narratio fuit illi vertenda. At vero in disputationibus theologicis, ubi creber et vehemens et argutus est Athanasius, succumbit plerumque, et multa verborum copia exprimere conatur quod non assequitur, atque invitus labitur: et aliquando dicta Athanasii de sanctissima Trinitate et mysterio Incarnationis tam infeliciter reddit, ut vix a theologis in scholis propositiones illæ defendi queant, quales illæ sunt quæ infra v. g. apponentur. Certe in duabus de Incarnatione Christi orationibus contra Apollinarium, septuaginta locis totum inverit et confundit Athanasii sensum, dum vel omnino contraria, vel longe diversa, pleraque etiam non nimis sanæ fidei consona scribit. In universum Nannius multa sæpe libertate utitur, et libenter vagatur, improprie loquitur, et obscuritate multa involvit; solet confundere tempora, periodos intercidere, et proinde rationum vires enervare; Scripturæ loca ita vertit, et sua semper interpretatione uti velit, cum sæpe, si Vulgata uti voluisset, aptius et apertius rem declarare potuisset. Ea porro loca, in quibus sensa textuum notabiliter corrupta sunt, per totum hunc primum tomum amplius sunt quingenta. In his vel affirmante Athanasio negat Nannius, vel negante affirmat, vel externa loquitur et non coherentia; ut aliam ipse, aliam Nannius cantilenam videantur cantare. Verum, ut res facilius pateat, ex eorum numero jam selecta loca quædam adnotata sunt, in quibus interpret non modo diversa loquitur, sed etiam vitiosis utitur dicendi modis, et sententias profert aut ambiguas, aut certe falsas, et omnino Athanasio indignas.

« In oratione contra Sabellii gregales (a), inquit Athanasius, Εἷς Θεὸς τελείας μὲν ἐν Πατρὶ τῆς θεότητος νοουμένης, τελείας δὲ καὶ ἐν Υἱῷ τῆς πατρικῆς θεότητος ὑπαρχούσης. Nannius vertit: Unus quidem Deus, eo quod perfecta Deitas in Patre intelligatur, et perfecta paternitas in Filio subsistat. Vertendum erat ita: Unus Deus, quia perfecta Deitas in Patre intelligitur, perfecta quoque in Filio paterna existit Deitas.

« In oratione & contra Arianos (b), Athanasius: Οὕτως Θεὸς ἦν ἐν Χριστῷ κόσμον ἑαυτῷ καταλλάσσω· τὸ γὰρ ἴδιον τῆς τοῦ Πατρὸς οὐσίας ἐστὶν ὁ Υἱός, ἐν ᾧ ἡ κτίσις πρὸς τὸν Θεὸν κατηλλάσseto. Nann.:

(a) T. II [nunc t. IV], p. 32.

(b) T. I [nunc t. II], p. 439.



Ita Deus fuit in Christo, mundum sibi reconcilians; A nam propria substantia Patris Filius est, in quo creatura Deo reconciliabatur. *Vertendum erat ita* : Deus erat in Christo, mundum sibi reconcilians : proprium enim substantiæ Patris est Filius, in quo creatura Deo reconciliabatur.

« *In epistola de synodis Arimini et Seleuciæ celebratis (a)*, Athanasius : Λέγει δὲ ὁ Υἱὸς, Ἐγὼ καὶ ὁ Πατὴρ ἓν ἔσμεν, καὶ, Ὅ ἐμὲ ἑωρακώς ἑώρακε τὸν Πατέρα· πῶς δεῖ νοεῖν ταύτας τὰς φωνάς; ἢ πῶς αὐτὰς ἐκλαμβάνοντες σώσομεν τὸ ἓν εἶναι τὸν Πατέρα, καὶ τὸν Υἱόν; Nannius : Et Filius de se dicit, *Ego et Pater unum sumus*; et, *Qui vidit me, vidit et Patrem meum*. Quid de istis vocibus sentiendum est? aut in quem significatum eas accipientes tueri possumus, ut Pater et Filius unus habeantur? *Vertendum* : ut Pater et Filius unum habeantur.

« *In oratione 5 contra Arianos (b)* : Δελεται δὲ ἐξ αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ λέγειν αὐτό· εἰ δὲ τοῦτο, ἄλλο ἂν εἴη τὸ ἕκ τινος, καὶ ἄλλο τὸ ἐξ οὗ ἔστιν. Nannius : Reliquum igitur est Verbum ex Deo exsistere : quod si concedas, aliud haud dubie fuerit, quod ex aliquo naturam accepit; et aliud, quod sui alteram naturam dedit. *Vertendum* : Alius fuerit, qui ex aliquo est; et alius, a quo ille est.

« *In eadem oratione (c)* : Ἡ δὲ διδασκαλία οἶδε Πατέρα, καὶ Υἱόν, καὶ σοφόν, καὶ σοφίαν, καὶ Θεόν, καὶ Λόγον· καθόλου μὲν τοι φυλάττει ἀδιαίρετον καὶ ἀδιάσπαστον, καὶ ἀμέριστον κατὰ πάντα. Nann. : Adversatur enim huic opinioni sacrarum litterarum constitutio, quæ Patrem et Filium sapientem, et sapientiam, Deum, et Verbum; ubique tamen quemque in sua natura indivisibilem, indiremptumque, et impartibilem per omnia agnovit et servat. *Vertendum* : Sacra vero doctrina agnovit Patrem et Filium, sapientem, et sapientiam, Deum, et Verbum; omnino tamen servat utrumque indivisibilem, indiremptum et impartibilem per omnia.

« *In eadem oratione (d)* : Ἐπιφέρει γοῦν· Ἴνα γνωσκήτε ὅτι ἐγὼ ἓν τῷ Πατρὶ, καὶ ὁ Πατὴρ ἓν ἐμολ. Τὸ γὰρ ἓν ἐπεξηγούμενος, οὐκ ἓν τῷ αὐτῷ εἶναι ἐκεῖνο πρὸς ὃ ἓν ἔστιν, εἰπεῖν ἀλλὰ ἓν τῷ αὐτῷ ἓν τῷ Πατρὶ καὶ τὸν Πατέρα ἓν τῷ Υἱῷ τὴν συνάφειαν καὶ τὸ ἀχώριστον. Nannius : Infert ergo : *Ut cognoscatis quod ego in Patre et Pater in me*; quid sit unum esse interpretans, non in eo consistere voluit, quasi in eodem sit illud, quod cum altero est unum, sed quod ipse in Patre et Pater in ipso esset, computationem, inseparabilitatemque demonstrans. *Vertendum* : Infert igitur, *Ut cognoscatis quod ego in Patre, et Pater in me*; quid enim sit unum esse explicans, non in eo consistere voluit, ut ipse idem sit, qui ille ad quem refertur, sed conjunctionem, inseparabilitatemque significare ait, eo quod ipse in Patre, et Pater in Filio sit.

(a) T. I [nunc t. II], p. 608.

(b) Ibid. p. 491.

(c) Ibid. p. 494.

(d) Ibid. p. 490.

(e) Ibid. p. 732.

« *In epistola ad Adelphium (e)* : Οὕτω γὰρ καὶ τὴν πατρικὴν αὐτοῦ θεότητα ἐπιγινώσκωμεν. Nann. : Ita enim et Deitatem ejus ex Patre oriundam agnoscimus. *Vertendum* : Ita enim et paternam ipsius deitatem agnoscimus.

« *In oratione contra Sabellii gregales (f)* : Χωρίζομεθά τε καὶ τῶν Ἰουδαϊζόντων, καὶ τὸν Χριστιανισμὸν ἐν Ἰουδαϊσμῷ παραφθειρόντων, οἱ τὸν ἐκ τοῦ Θεοῦ Θεὸν ἀρνούμενοι Θεὸν ἕνα παραπλησίως Ἰουδαίους λέγουσιν, οὐχ ὅτι μόνος ἀγέννητος, καὶ μόνος πηγὴ θεότητος, διὰ τοῦτο φάσκοντες αὐτὸν εἶναι μόνον Θεὸν, ἀλλ' ὡς ἀγονον Υἱοῦ καὶ ἀκαρπον. Nann. : Disjungimur quoque a judaizantibus, qui Christianismum in Judaismum depravant; et ab iis, qui Deum ex Deo inficiantes Deum unum itidem ut Judæi prædicant, quique non ideo quod solus sit increatus et solus fons deitatis, solum Deum nominant; sed quia infecundum eum existimant. *Vertendum* : Disjungimur quoque a judaizantibus et Christianismum in judaismum depravantibus, qui Deum de Deo negantes, Deum unum esse aiunt, itidem ut Judæi, non quod solus sit ingenuus, et solus fons deitatis, sed quia fecunditate Filii careat.

« *In epistola de sententia Dionysii contra Arianos (g)* : Μὴ γὰρ δὴ τις Ἀρειανὸς μὴ δὴ ἐν τούτῳ ὑπονοεῖτω κατ' αὐτοῦ, ὡς οὕτω λέγοντος· σύνεστιν ὁ Υἱὸς τῷ Πατρὶ, ὡς τὰ μὲν ὀνόματα συνήφθαι ἀλλήλοις, τὰ δὲ πράγματα πλεῖστον ἀλλήλων διεστάναι. Nann. : Imo ne hic quidem quispiam Arianorum male de eo sentire debet, cum dicit, ita una cum Patre Filium esse, ut ipsa nomina, quæ cum invicem cohereant, re tamen inter se plurimum distant. *Vertendum* : Ne vero hic etiam quispiam Arianorum male de eo sentiat ita dicente, Filius Patri coexistit; quasi velit dicere, nomina quidem inter se invicem conjuncta esse, res vero ipsas plurimum inter se distare.

« *In libello de communi essentia Patris, et Filii, et Spiritus sancti (h)* : Μαρτυραὶ ἐκ τῆς Γραφῆς τῆς κατὰ φύσιν κοινωνίας ἐκ τοῦ ὁμοίως εἶναι τὸν Πατέρα καὶ τὸν Υἱόν καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα πρὸς θεωρίαν δυσέριπτον καὶ μίαν ἔχειν ἐνέργειαν. Nannius : Testimonia ex sancta Scriptura de naturali communione similis esse inter Patrem et Filium et Spiritum sanctum. *Vertendum* : Testimonia ex sancta Scriptura de naturali communione ex eo, quod Patris et Filii et Spiritus sancti pari ratione difficilis contemplatio, et una sit operatio.

« *In oratione 4 contra Arianos (i)* : Εἰ γὰρ τὰ τοῦ Πατρὸς τοῦ Υἱοῦ ἔστιν, ἀεὶ δὲ ταῦτα ἔχει ὁ Πατὴρ· δηλονότι ἃ ἔχει ὁ Υἱὸς ταῦτα ὄντα τοῦ Πατρὸς, ἀεὶ ἔστιν ἐν αὐτῷ, οὐ διὰ τὸ μὴ ἐσχηκέναι οὖν ποτε ταῦτα ἔλεγεν, ἀλλ' ὅτι ἔχων ἀδίως ὁ Υἱὸς ἃ ἔχει παρὰ τοῦ Πατρὸς ἔχει. Nannius : Si enim quæ Patris sunt ad Filium pertinent, et semper illa Pater habet, cer-

(f) T. II [nunc t. IV], p. 28.

(g) T. I [nunc t. II], p. 203.

(h) T. II [nunc t. IV], p. 2.

(i) T. I [nunc t. II], p. 464, Græca vitata sunt.

tum est Filium semper habere ea quæ sunt Patris; A tamen ipsorum verba sunt. *Vertendum autem* : Qui quippe qui semper in eo sit. Quocirca non ideo quod aliquando non habuerit istiusmodi locutus est, sed quæ possidet ut Deus, ea postulat ut Filius. *Vertendum* : Quocirca non ideo quod aliquando non habuerit istiusmodi locutus est, sed quia habens perpetuo Filius quæ habet, ea a Patre habet.

« *Et secunda oratione contra Arianos (a)* : Καὶ φανερόν ἐκ τούτου δείκνυται, ὅτι αὐτὸς μὲν ὁ Υἱὸς οὐδενὸς μετέχει, τὸ δὲ ἐκ τοῦ Πατρὸς μετεχόμενον τοῦτὸ ἐστὶν ὁ Υἱός. *Nannius* : Atque inde clarum ac evidens fuerit Filium nullius rei extraneæ, diversæque a Patre participatu imbuti ac tingi, sed idipsum quod ex participatu Patris existit Filium esse. *Vertendum autem* : Huic porro clarum ac evidens fuerit, ipsum quidem Filium nullam rem participare; quod autem B ex Patre participatur, id esse Filium.

« *In oratione quarta contra Arianos (b)* : Ὡς γὰρ ὁ Κύριος ἐνδυσάμενος τὸ σῶμα γέγονεν ἄνθρωπος, οὕτως ἡμεῖς ὁ ἄνθρωποι παρὰ τοῦ Λόγου θεοποιούμεθα προσληφθέντες διὰ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ. *Nannius* : Ut enim Dominus induto corpore factus est homo, ita et nos homines ex Verbo Dei deificamur, eo quod illud receptum sit in carne. *Vertendum autem* : Ut enim Deus induto corpore factus est homo, ita nos homines a Verbo deificamur assumpti per carnem ipsius.

« *In eadem oratione (c)* : Εἰ γὰρ καὶ ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, ἀλλὰ τῆς σαρκὸς ἴδια τὰ πάθη. Καὶ εἰ ἡ σὰρξ θεοφορεῖται ἐν τῷ Λόγῳ, ἀλλ' ἡ χάρις καὶ ἡ δύναμις ἐστὶ τοῦ Λόγου. *Nannius* : Si enim Verbum caro factum est, ergo carni et sua qualitas, diversæque a C Verbo affectiones sunt. Rursum, si caro in Verbo Deum gestat, gratiam inde commodaque percipit. *Vertendum autem* : Etsi enim Verbum caro factum est, passiones tamen propriæ sunt carnis. Rursum, si caro a Deo gestatur in Verbo, gratia tamen et virtus Verbi est.

« *In oratione, « Quod unus sit Christus (d)* : ». Οἱ ταῦτα κατηγοροῦντες τὴν αὐτῶν γνώμην φανερὰν καθιστῶσιν, ὅτι δύο ὑποστάσεις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ἡμᾶς συκοφαντοῦσι καὶ πείρουνται ἅμα πανταχόθεν εἰς ἐν τῶν ἀτόπων περιάγειν τοὺς ἡμετέρους λόγους συμπληρωτικὸν εἰπεῖν τῆς ὑποστάσεως τοῦ Λόγου τὸ σῶμα, ἢ ὁμοούσιον τῷ Θεῷ, ἢ ἕξον καὶ ἀλλότριον παντάπασιν τῆς ὑποστάσεως τοῦ Υἱοῦ, ὅπερ αὐτοὶ λέγουσιν, ἄλλην ὑπόστασιν εἰσάγοντες τῆς σαρκὸς. *Nannius* : Cæterum, qui ista loquuntur, suam ipsorum mentem sensumque aperiunt, quod duas hypostases sive personas in Christo constituent, et adversum nos calumniis utantur, et undequaque satagant nostros sermones ad aliquid absurdum detorquere, quasi corpus diceremus aliquid conferre ad absolvendam Verbi essentiam, aut illud e se ejusdem cum Deo substantiæ, aut non alienum exteriusque omnibus modis a persona Filii, quæ

talia contentiose aiunt, mentem suam aperiunt, quod duas in Christo hypostases esse velint; et conantur undecunque eo nos redigere, ut unum ex hisce absurdis concedamus, vel corpus esse quid absolvens et consummans personam Verbi, vel esse Deo consubstantiale, aut certe externum quid aut alienum omnino a substantia Filii: quod ipsi concedunt et est illorum sententia.

« *Ibidem* : Οὐδεις γὰρ τῶν εὐφρονοῦντων, ἢ νῆφειν ὄλωσ καὶ νοεῖν δυνάμενος εἰποι ἂν ὅτι ὡσπερ ὁ Λόγος τέλειος ὢν καὶ ἐνυπόστατος οὐ προσεδείτο σαρκὸς, ἵνα Θεὸς τέλειος γένηται, οὕτως οὐδὲ τὸ σῶμα τοῦ Λόγου ἐχρηζεν, ἵνα τέλειος καὶ ἐνυπόστατος ἄνθρωπος γένηται. *Nannius* : Nullus enim eorum qui recte sapiunt, aut quisquis sobrius est, aut mente non destituit, de ea re dubius esse potest, quod quemadmodum Verbum perfectum est et sua hypostasi absolutum, nequaquam opus habuit carne, ut Deus perfectus esset; ita neque corpus Verbo indiguit, ut integrum pro sua hypostasi fieret. *Vertendum autem est* : Nullus enim qui sapiat, aut sanæ mentis homo, et qui ratione uti possit, dixerit; quod, quemadmodum Verbum, cum perfectum esset et sua hypostasi subsistens, non indigebat corpore, ut Deus absolutus efficeretur; ita neque corpus Verbo indigebat, ut perfectus et subsistens homo fieret.

« *In oratione De salutari adventu Jesu Christi (e)* : Πῶς οὖν ἴσχυσαν οἱ Ἰουδαῖοι λύσαι ναὸν Θεοῦ καὶ τὴν ἄλυτον σύγκρασιν τῆς σαρκὸς πρὸς τὸν Λόγον γενομένην χωρῖσαι, εἶγε καθ' ἑμᾶς ἔσχε τούτον τὸν τρόπον ἢ τοῦ σώματος νέκρωσις; *Nannius* : Quomodo igitur possunt Judæi solvere templum Dei, et indissolubile temperamentum carnis cum Verbo disseparrare, nisi instar nostri, proque nostra ratione sese habuisset corporis mortificatio? *Vertendum autem est* : Quomodo igitur potuerunt Judæi solvere templum Dei et indissolubilem carnis cum Verbo conjunctionem dissolvere, si mors corporis eo modo facta est quo vos dicitis, nimirum per separationem deitatis a corpore?

« *In oratione De incarnatione, contra Apollinarianum (f)* : Καὶ τίς ἢ ἐν τούτοις εὐεργεσία, ᾧ μάταιοι, εἰ ταῦτα ἐν Χριστῷ οὐ γέγονεν, & γέγονεν ἐν τῷ πρωτοπλάστῳ Ἀδάμ; *Nannius* : At quænam isthinc beneficentia, o stolidi, si ea in Christo constituatis, quæ in protoplasto? *Vertendum autem est* : Quænam isthinc beneficentia, o stolidi, si ea natura in Christo non fuit, quæ facta est in protoplasto Adam?

« *In epistola ad Epictetum episcopum (g)* : Τοῦτο ἦν τὸ ἐν μνημείῳ τεθὲν, ὅτε αὐτὸς ἐπορευῆθη μὴ χωρισθεὶς αὐτοῦ, κηρῶσαι καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασιν. *Nannius* : Corpus tum quippe in sepulcro erat positum, cum Verbum abiit ut prædicaret spiritibus qui in carcere tenebantur. *Vertendum autem est* : Corpus hoc erat, quod fuit in sepulcro positum, cum

(a) T. I [nunc t. II], p. 531.

(b) Ibid., p. 463.

(c) Ibid., p. 468.

(d) T. II [nunc t. IV], p. 40.

(e) T. I [nunc t. II], p. 760.

(f) Ibid., p. 740.

(g) Ibid., p. 723. Vide ibi.

ipsum Verbum non separatam a corpore, profectum A litteras ad Julium mittit, rogans ut ab ipso synodo convocaretur, aut si vellet, ipsemet præberet se judicem, putans se terriculis hisce nos commoturum.

« In disputatione in Nicæno concilio contra Arium (a): Οὐχ ὡς Θεὸς Λόγος ἐκοιτάσεν, ἀλλ' ἕνα φανῆ δεισάρκα ἦν οὐκ εἶχε πρότερον ὁ Λόγος καὶ Θεός, ταύτην ἀνέλαβεν διὰ τοῦτο τῆ σαρκὶ συναχώρησε πάσχειν. Nannius: Non Verbum quod Deus est laboravit lassitudine, sed ideo factum est, ut ostenderet carnem, quam prius non habebat, cum Verbum et Deus esset, eam se denuo resumpsisse. *Vertendum autem est*: Non enim qua est Deus Verbum, lassitudine affectus est; sed ideo factum, ut ostenderetur, quod carnem, quam prius non habebat, Verbum divinum assumpsit.

« In oratione de sanctissima Deipara, quæ tamen neque stylum, neque exactum illum scribendi morem B Athanasii præ se fert: nam ibi Platonico more philosophatur auctor de vocabulo οὐσίας et videtur etiam aperte docere, distinctum quid esse in divinis essentiam ab attributis et actionibus essentialibus; quæ fuit posteriorum Græcorum opinio, et multum contra divum Thomam agitata a quodam Gregorio Palama, quem fuisse aiunt Marci Ephesini præceptorem: cum Athanasius ipse pluribus in locis contrarium doceat. Dicit præterea sicut beatam Virginem, ita ipsam animam Christi, non habuisse claram Verbi visionem necnon beatam Virginem hæsitasse ad verba angeli, etiam cum dixit: Ecce ancilla Domini; optandique modo dixisse, Fiat mihi secundum verbum tuum. Refertur vero ibi proposita illa, quam Cyrillus in epistola ad Successum episcopum Diocæsariensem ait esse Patrum antiquorum his verbis (b): Διὸ καὶ τοὺς λέγοντας μίαν φύσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένην, καὶ μὴ ἐπιζέροντας ἐψυχωμένην λογικῆν τε καὶ νοερὴν, οὐ πάνυ ἀποδεχόμεθα. Nannius: Ideoque et eos qui dicunt, solum naturam Dei Verbi incarnatam, neque addunt eam animatam esse; et rationalem, et mente præditam, non admodum recipimus. *Vertendum autem est*: Ideoque eos qui dicunt unam esse Dei Verbi naturam incarnatam, neque addunt carnem assumptam esse animatam rationali et intellectuiva animata, non admodum recipimus.

« Postremo quia in verbis Athanasii in Apologia secunda, auctor ille qui confecit indices tomo secundo D affixos, deducere vult suam illam conclusionem, quod Julius pontifex ab Eusebio episcopo Ariano judex fuerit constitutus, notata sunt Athanasii verba, quibus ille oppositum asserit: inquit enim (c), Καὶ ὁ περὶ Εὐσέβιον καὶ πρὸς Ἰούλιον Ἐγραψαν, καὶ νομίζοντες ἡμᾶς ἐκφοβεῖν ἤξιωσαν σύνοδον καλεῖσαι, καὶ αὐτὸν Ἰούλιον, εἰ βούλοιο, κριτὴν γενέσθαι. Nannius: Quin et Eusebiani ad Julium litteras misere, et ut nos terrerent, synodum jusserunt convocari, et ipsi Julio, si vellet, arbitrium causæ detulerunt. *Vertendum autem est*: Quin et Eusebius

« *Explicit censura in primum tomum Operum sancti Athanasii Græce et Latine editorum anno 1599, ex translatione Petri Nannii.*

« *Censura in secundum tomum deest in manuscripto codice.* »

11. Hæc probe observata. Verum hand felicibus, ni fallor, in historicis, ut putat iste quisquis sit anonymus, versatus Nannius est, quam in theologis. Exemplis id palam fiat (d): Οὕτως εἶπετο πρῶτοι, καὶ φιλόανθρωποι, καὶ τὸν τρόπον ἐπιεικεῖς μᾶλλον δὲ, εἰρήσεται γὰρ τάληθες, πονηροὶ καὶ πικροὶ, καὶ ἐκ φόβων καὶ ἀπειλῶν, ἢ ἐξ εὐσεβείας καὶ ἐπιεικειᾶς, ἃ τοῖς ἐπισκόποις πρέπει, τιμῶμενοι. Ubi Nannius: *Homines scilicet admodum mansueti, et moribus æquis, vel quod verius est, improbi et perquam acerbi, qui terroribus et minis potius, quam pietate et æquitate, quod episcopus decet, ad pœnas deproperant.* Vides quam importune illud, τιμῶμενοι, ad pœnas deproperant, interpretetur; ubi vertendum, honorantur, vel, honorari student. Et paulo post: Κατηγορία γὰρ ἀληθῶς, ἀγαπητοί, τὰ παρ' αὐτῶν γενόμενα, καὶ πασῶν ἀνωτάτω κατηγορία ἕπου γε καὶ πάντων τῶν ἀνθρωπίνων ἀνωτάτω τὰ δικαστήρια: τί γὰρ ἄλλο τέλος τῆς ἐπὶ τοῦτοις ἐξετάσεως, ἢ θάνατος ἐκ βασιλικῆς κινήσεως ἐπαγόμενος; *Calumniam enim est, dilecti, quam tentant, eaque gravissima et maxime omnium capitalis, idque in summis omnium rerum humanarum tribunalibus. Quis enim alius iustius questionis finis, nisi ut mors regio tumultu inferatur?* Illud, πάντων τῶν ἀνθρωπίνων ἀνωτάτω τὰ δικαστήρια, palam est significare, omnium humanorum suprema tribunalia, ἐκ βασιλικῆς κινήσεως, quam prave, regio tumultu, reddit, cum luce clarius sit vertendum esse, *ex imperatoris ira, vel, a commoto imperatore.* Et, paucis interjectis, ut videas lector, quam frequens ruat Nannius, καὶ φονεῖσιν ἐπιχειροῦσιν, ἐὰν συγχωρῶνται, καὶ ποιεῖν ἐξορίστους: συνεχωρηθῆσαν γὰρ τοῦ θεοφιλεστάτου πατρὸς τῶν βασιλέων ἀντὶ θανάτου τῆ μεταθέσει τοῦ τόπου τὴν θυμὸν αὐτῶν ἐκπλήσαντος. Hic Nannius, non advertens de unius Athanasii exsilio agi, imperite vertit: *Aut necem moliantur, si ipsis liceat, aut saltem exsules facere. Quod et impetraverunt ab religiosissimo Cæsaris patre, qui iras ipsorum offensaque, cum supplicium capitale posceretur, exsilio damnatorum explevit.* Ne multa, si quis Græce guarus, et historię ecclesiasticę peritus, subsequentiā percurret, vix aliquam periodum Nannianis lapsibus vacuam deprehendat. Inferius vero quam incommode illud (e), καὶ καθάρσειν ὀνειδίζειν αὐτῶν τολμᾶ, καθαιρεθεὶς αὐτὸς, καὶ μάρτυρα τῆς καθαιρέσεως ἔχων τὴν ἀντ' αὐτοῦ (f) κατὰστασιν. Πῶς οὖν ἢ αὐτὸς ἢ

(a) T. II [nunc t. IV], p. 162.

(b) T. II [nunc t. IV], p. 310.

(c) T. I, p. 110.

(d) Edit. Commel. p. 562, edit. Parisiens. pag.

723, edit Venet. pag. 99.

(e) Edit. Parisiens. p. 727.

(f) Sic probe legit Nannius, non ἀντ' αὐτῶν, ut habet editio Parisiensis.

Θεόγνιος ἰδύονατο καθαιρεῖν ἄλλον, αὐτοὶ καθαιρε-  
θέντες, καὶ ταῖς ἀντ' αὐτῶν καταστάσεσιν ἐλεγχόμε-  
νοι; Οἴδατε γὰρ ἀκριβῶς, ὅτι Ἀμφίων μὲν ἐν  
Νικομηδείᾳ, Χρηστός δὲ ἐν Νικαίᾳ κατεστάθησαν ἀντ'  
αὐτῶν. Ubi Nannius : *Nec veretur ei objicere ejus  
dignitatis exauctorationem, ipse interim maxime ex-  
auctoratus, ut qui suæ exauctorationis testimonium  
et argumentum in ipsa sui constitutione ostendat. Qui  
igitur vel ipse vel Theognius potuerunt alios deponere,  
ipsi depositi et exauctorati, et vitio suæ creationis  
famosi? Bene siquidem cognitum habetis, Amphionem  
Nicomediæ in eorum locum ..... episcopos constitutos  
esse.* Ubi vertendum fuit, ut quisque vel mediocriter  
peritus advertat : *Ac depositionem ipsi (Eusebius  
Athanasio) exprobrare non veretur, cum ipse depositus  
fuerit, ac eo ipso testem depositionis suæ habeat, quod  
alter ejus loco successus sit. Quomodo igitur vel ipse  
vel Theognius alium deponere potuerunt, cum ipsi  
depositi sint; ut vel hinc arguitur, quod alii eorum  
loco sint constituti? Probe etenim nostis, Amphionem  
Nicomediæ, Chrestum Nicææ eorum loco fuisse ordi-  
natos.* Est ubi Nannius nomina propria non advertat,  
et quasi aliud quam nomen viri significarent, inter-  
pretetur. Sic in epistola Alexandri Thessalonicensis  
hæc, Ὅπως μὲν οὖν διαχειρέμεθα περὶ τὸν μνήμης  
ἄξιον Σώζοντα, οὐδ' αὐτὸς ἀγνοεῖς, ita vertit (a) : *Quo  
igitur nos affectu esse erga eum, qui ita virum me-  
moriam dignum in se consecrat, existimas.* Ubi hæc  
vera interpretatio : *Quo igitur affectu fuerimus erga  
Sozontem memoria dignum virum, non ignoras.* Et  
in Epistola encyclica (b), olim ad orthodoxos inscri-  
pta, Πιστόν nomen proprium, *fidum* perperam in-  
terpretatus est : quæ vox inconsulte est a Parisien-  
sibus editoribus in Γρηγόριον commutata. Innume-  
ra proferre possem, quibus eruditus lector luce  
clarius id perspiceret, non licuisse nobis Nanniana  
etī versione; quando tam multa immutanda oportuit,  
ut vix Nannii versio exinde vocari posset : ve-  
rum ne in re nota et pervulgata mukus et insolens  
sim, libenter ingrato labore supersedeo. Miretur  
autem acutus quilibet inter præstantissimas annu-  
meratam, et quidem a doctis viris, Nannii versio-  
nem; ut propalam sit istiusmodi judices in confe-  
renda cum Græcis illa interpretatione non multum  
otii consumpsisse. Nimirum decipit frons prima  
multos : cum enim in loca quædam feliciter reddita  
casu incidissent (et sunt fatemur ejusmodi non pau-  
ca), de cæteris conjecturam fecerunt. Auctoribus  
igitur et consuasoribus ell. VV. Bigotio et Cangio,  
quos memorantem

*Καλεπὸν ἐμὲ πένθος ἰκάνει,*

ad novam edendam versionem animum appulimus,  
etsi rem arduam fore prospiciebamus. Etenim quam  
difficile sit ad tot eruditorum nutum ac sententiam  
Græca Latine dare, hinc palam, quod quantumvis

(a) Edit. Parisiens. p. 785.

(b) Edit. Parisiens. p. 948

A multi sint qui librum eundem vertere seorsim ag-  
grediantur, ne duo quidem eandem prorsus inter-  
pretationem edant. Ea porro fuit instituti nostri ratio,  
ut interpretando mediam ceu viam teneremus  
inter παραφραστικὴν vertendi rationem, et strig-  
osam illam aliam, quæ Græca e vestigio et κατὰ  
πῶς consecratur : atque ita Græca reddidimus, ut  
quoad facultas tulit, a consuetudine Latinae linguæ  
non deflecteremus. A vocibus tamen perpetuo usu in  
Ecclesia admissis, etsi Latine minus usitatis, non  
abstinuimus, ut sunt exempli causa, *mortificatio,  
tribulatio, persecutio*, et aliæ id genus, quia potissi-  
mum exstant in Vulgata nostra, et a Patribus fre-  
quentantur. Nec morigeros esse visum est iis, qui  
oblitas Latio voces tam sedulo ancupantur, ut etiam  
B importuno scrupulo a suavi, et ab ipsis Ecclesie in-  
cunabulis ubique receptæ SALVATORIS voce abstineant.  
Contra vero religio fuit sacrum nomen cum  
aliis commutare, etsi magis ad Latinae linguæ idio-  
ma accedentibus : cum maxime exploratum sit  
voci Σωτήρ nullam e Latinis probe congruere. Audi  
Tullium (c) : *Itaque eum non solum patronum istius  
insulæ, sed etiam SOTERA inscriptum vidī Syracusis.  
Hoc quantum est? Ita magnum, ut Latino uno verbo  
exprimi non possit. Is est nimirum SOTER qui salutem  
dedit.* Frustra igitur quæras apud antiquos Latini-  
tatis auctores vocem quæ isti Σωτήρ respondeat :  
quapropter vulgo Salvatoris eam nomine reddimus,  
raro Serratoris; a reliquis vero, nuper excogitatis,  
utpote insolentioribus, abstinemus. Sicubi porro sub-  
limior res agitur, ut Trinitatis Incarnationi quæ  
C ratio, tum simpliciore vocum usu omnia interpreta-  
mur, nam in hisce, ait Julius papa, non speciem  
eloquentiæ quærendum est. Si occurrunt Scripturæ  
sacræ loca, Vulgatam, ubi res fert, sequimur : sed  
quando ex Veteri Testamento sententiæ afferuntur,  
quia plerumque Vulgata quæ ex Hebræo expressa  
fuit, cum Græcis Septuaginta non convenit, tum ne-  
cesse prorsus est literæ obsequi, aliamque versionem  
parare : imo etiam cum Vulgata nostra ex Græcis  
exprimitur, non raro ab ea nonnihil deflectere oportet,  
sive lectio diversa, sive Athanasii mens aliam  
interpretationem postulet : quod haud raro evenit.

D Ordinem quod spectat, una nobis fuit temporis  
ratio, omnium scilicet opportunissima cum ad histo-  
riam et chronologiam, tum ad iudicium vobelas vel  
γνησότητος ferendum. Admonitiones cuique libro  
aut epistolæ; vel sicubi plura opuscula mutuo co-  
hærent, pluribus, præmissimus. Ibi tempus investi-  
gamus; opus germanum esse, cum res postulat,  
palam facimus; quæ difficillima occurrunt explica-  
mus, quantum in nobis situm est. Monitum porro  
lectorem volumus, nos sic omnia temperasse, ut ne  
nimia notarum prolixitate ipsi nauseam mole-  
stiamve crearemus : ac multa consulto prætermi-  
sisse, quia vel in *Onomastico* explanata sunt, si

(c) In Verr. iv.

qua voces spectant; vel in *Athanasii Vita*, si qua A historiam; vel in *Monitis*, si qua res diversas et insolentes; ut possit quisque animum explere suum. Dubia et spuria in secundum tomum (1), præmissis *ῥησέας* signis, ablegavimus. Quanto autem labore ac studio contenderimus, ut si qua laterent in variis Europæ bibliothecis Athanasii opera non edita transmitterentur nobis, fidem spero li facient, quotquot ministerio atque officiis ea in re usi sumus. Et sane bene multa jam primum Athanasianis accedunt sive hactenus inedita, sive hic illic in editis variis distracta. Quæ omnia observare licet in catalogo suis distincta notis: In *ἀνεκδότοις* vero mole et pretlo anteit *Commentarius in Psalmos*, qui ex compluribus manuscriptoris jam primum in lucem prodit, et quidem ingenti labore exscriptus, ut pluribus ad frontem operis indicatur. Sed quanti quanti, bene emitur quod necesse est. Ne quid lectoris commodis deesset, *Onomasticon*, quoad facultas tulit, accuratissimum damus ac non Athanasii modo, sed aliorum etiam Patrum scriptis intelligendis peropportunitum. Varias lectiones notis intermistas ad unum paginæ locamus: quæ ratio omnium est commodissima. Lectiones autem etiam eas, quæ parvi pretii videntur, non duximus negligendas; id licet nostrum Gallorum genium non sapiat, ut minutis, si quæ ita videntur, rebus operam demus: qui quodcunque primo aspectu leve putatur, statim cum fastidio respicimus. Quorsum illæ nœniæ, aientes, quis usus lectionis hujusmodi, quin isthæc missa faciunt? Verum in promptu est quod opponatur: nos omnium inservire commodis, neque modo curare ut theologi, sed etiam grammatici, rhetorici, et si qui alii, nihil in hoc opere desiderent. Et præterea non desunt ex iis qui in republica litteraria inter primarios computantur, qui id summe expetant a nobis. Et ni ea res nos longius ab incepto traheret, utilitates varias diversarum lectionum etiam minutissimarum monstrare in promptu esset. Nihil demum, candide lector, quod vires quidem ferrent, negleximus, ut opus totum sartum et lectum, ut aiunt, tibi offerremus.

## II.

*De stylo Athanasii.*

1. A priscis perinde atque a nuperis scriptoribus admirationi habita est Athanasii eloquentia. Ejus scripta quot quantisque veterum testimoniis laudibusque celebrentur, videre est in collectione locorum, quæ bene multa congegimus. At ut semper fuere quædam pestes hominum laude aliena dolentium, unus repertus est Philostorgius, qui Athanasium innumeris prope maledictis in *Historia* sua insectatus est: et nihil agebat aliud, quam ut dolorem suum in talem virum, suæ sectæ perniciem, conviciis exoneraret. Is impudenter ait quodam

(a) Suidas in voce Βασίλειος.

(1) Apud nos quartum. Edit.

loco (a), Athanasium Basilio, Gregorio et Apollinario comparatum, instar pueri habendum esse. Sane tanti facienda Philostorgii de Athanasio verba, quanti hæc Eunomii de Basilio: quem, ut ait Gregorius Nyssenus, lib. 1 *contra Eunomium*, vocabat *πονηρὸν, κακοήθη, ψευστὴν, καὶ ἐτι πρὸς τοῦτοις, θρασὺν, ἀμαθῆ, παράγραπτον, τῶν θεῶν ἀμύητον*. Id est: *Malum, improbum moribus, mendacem; et præterea audacem, indoctum, falsificum, divinarum rerum imperitum*. Misso itaque iniquissimi rabulæ iudicio, ad Photium veniamus, æquum peritumque, si quis alius, iudicem. Is ait in *Bibliotheca* sua: *Σαφὴς μὲν ἔστι τὴν φράσιν, καὶ ἀπέριττος καὶ ἀφελῆς, ὀριμὸς δὲ καὶ βαθὺς, καὶ λίαν τοῖς ἐπιχειρήμασιν εὐτονος*. — Καὶ τὸ γόνιμον αὐτοῦ, ἤλικον ὄσον καὶ θαυμαστόν. Hoc est: *Clarus, nihil redundans, simplex; acutus tamen et altus, in argumentationibus nervosus. Cujus tanta est ubertas ut admirabilis sit*. Et cætera quæ fusius ille prosequitur: additque in subsequentibus, Basilium et Gregorium Nazianzenum ex ejus contra Arianos scriptis theologiam hausisse suam.

2. Sublimiorem adhuc dicendi facultate Athanasium exhibet Erasmus, qui videtur eum Patribus ferme omnibus anteferre. Sic ille in epistola ad Joannem episcopum Lincolnensem: *Erat vir ille sæculo tranquillissimo dignus, dedisset nobis egrægiis ingenii facundiaque suæ fructus. Habebat enim vere dotem illam, quam Paulus in episcopo putat esse præcipuam, τὸ διδακτικόν, adeo dilucidus est, acutus, sobrius, attentus, breviter omnibus modis ad docendum appositus. Nihil habet durum, quod offendit in Tertulliano: nihil ἐπιδεικτικόν, quod vidimus in Hieronymo: nihil operosum, quod in Hilario: nihil laciniosum, quod est in Augustino, atque etiam Chrysostomo: nihil Isocraticos numeros, aut Lysie compositionem redolens, quod est in Gregorio Nazianzeno, sed totus est in explicanda re*.

3. Quid si inclidisset Erasmus in exquisitissima illa opera tam multa quæ nunquam vidit, in *Epistolas* scilicet *De sententia Dionysii, ad Dracontium, ad monachos, ad Epictetum*, in libros *Contra Arianos, Contra Apollinarianum*? Quid si in librum *Contra gentes*, in *Apologiam ad Constantium*? Annon tantorum operum artificem, omnium eloquentissimum nuncupasset? Sed paulum libet spatiari: et quia tantam laudem tulit Athanasius, et quidem a laudatis viris, ut elegantissimis Græciæ scriptoribus anteferretur, jam qua in re præstare, qua item aliis nonnihil cedere videatur expendamus; et quæ crebro Athanasii scripta regustando comperimus, proponamus studioso lectori. Primo quidem si Gregorii Nazianzeni illam quadrandæ orationis industriam, si numeros spectes, ab hoc eloquentiæ genere alienus semper fuit Athanasius, cujus dictio plus habet nativæ elegantiae quam artificiosæ dili-

gentiæ. Et si quando hic plusculum artis adhibeat, ut in *Oratione contra gentes, epistola ad Dracontium, Apologia ad Constantium*; ita tamen omnia temperat, ut lateat artificium, et oratio non astrictè sed remisse numerosa sit: contra vero Gregorius, ultra siliquando quam satis sit, circumscriptiōne et ambitu utitur, ut certis definita, tanquam orbe inclusa currat oratio. Chryostomi vero:

Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώττης μέλιτος γλυκίων βέβη ἀδύη, illam expeditam et profluentem verborum copiam, concinnitatis leporisque plenam, non attingit Athanasius, qui plerumque pressus ac brevis est, et majore sententiarum quam verborum ubertate. Verum longe præstat salihus, nervis et τῶ εὐτόκῳ redundantiam omnem resecente. Nimirum possunt esse summi, qui inter se sint dissimiles: quod in eloquentia pariter et in multis artibus observatur. Basilio autem nemo propius ad Athanasii dicendi genus accedit. Sed præit ille elaboratione; hic longe præstat acrimonia. Et hac in parte, quæ scilicet nervos spectat, sales, acrimoniam; omnes, mea quidem sententia, longe antecellit Athanasius, estque hoc in genere princeps. Figuris autem, sicubi hæreticos insectatur, frequens est, apte et apposite distributis, etsi potius suoapte ingenio quam elaboratione adhibitis. Hujus oratio nunquam effluit, nunquam longius vagatur.

4. Sunt autem Athanasii, ut et alterius cujusque, opera, non pari elegantia concinnata. Quæ aliis antecellunt, meo quidem judicio, sunt: *Oratio contra gentes*, eximium opus; et cui, dicere liceat, par in eodem genere vix deprehendas; si respicias vim argumentorum, nervos; si advertas quam perspicuus sit, quam nitidus; quam salse rideat, ubi res fert, gentilium superstitiones, quam concinnus sit in descriptionibus. Nec præniteat quædam hic apponere (p. 27): Τίς γάρ ὁρῶν τὸν οὐρανοῦ κύκλον καὶ τὸν δρόμον ἡλίου καὶ σελήνης, καὶ τῶν ἄλλων ἀστέρων τὰς θέσεις καὶ τὰς περιπολήσεις, ἐναντίας μὲν καὶ διαφόρους γιγνομένας, ἐν δὲ τῇ διαφορᾷ ὁμοίαν τὴν τάξιν παρὰ πάντων ἡμοῦ σωζομένην, οὐκ ἐνθυμεῖται ὅτι οὐκ αὐτὰ ἑαυτὰ, ἀλλ' ἕτερός ἐστιν ὁ διακοσμῶν αὐτὰ ποιητής; τίς δὲ ὁρῶν ἡλιον μὲν ἀνατέλλοντα καθ' ἡμέραν, σελήνην δὲ φαίνουσαν κατὰ νύκτα, καὶ φθίνουσαν, καὶ πληρουμένην ἀπαρᾶλλᾶκτως, κατὰ τὸν τῶν ἡμερῶν ἴσον πάντως ἀριθμὸν, καὶ τῶν ἀστέρων τὰ μὲν διατρέχοντα καὶ ποικίλως ἐναλλάττοντα τοὺς δρόμους, τὰ δὲ ἀπλανῶς κινούμενα οὐκ ἂν ἔνοιαν λάβοι, ὅτι πάντως ἐστὶν ὁ κυβερνῶν αὐτὰ δημιουργός; τίς ὁρῶν τὰ ἐναντία τῇ φύσει συνημμένα κατὰ σύμφωνον ἔχοντα τὴν ἁρμονίαν, οἷον, τίς ἰδὼν πῦρ ψυχρῶ, καὶ ξηρὸν ὑγρῶ κεκραμένον, καὶ ταῦτα μὴ ἀντιστατοῦντα πρὸς ἀλλήλα, ἀλλ' ἐν ἀποτελοῦντα ὡς ἐξ ἑνὸς τὸ σῶμα, οὐκ ἂν ἐνθυμηθεῖται ἐξωθενεῖν αὐτῶν τὸν ταῦτα συνάψαντα; τίς ἰδὼν, etc. Id est: *Ecquis enim cæli ambitum, solique ac lunæ cursum, aliorumve siderum positiones ac circumvectiones, contrarias quidem ac dissimiles; sed in ipsa dissimilitudine æqualem ordinem*

*ab omnibus simul servatum intueatur, quin secum cogitei hæc non a semetipsis, sed ab alio, nempe ab Auctore, administrari et regi? Quis solem die exortiri et lunam nocte apparere, immutabilique lege per æqualem omnino dierum numerum decrescere ac crescere; atque ex sideribus alia quidem discurrere, cursusque varie immutate, alia vero citra errorem moveri conspiciens, non intelligat illa necessario ab opifice aliquo gubernari? Quis contrarias naturas mutuo conjungi ac consonam efficere harmoniam cernens: quis ignem cum frigido conjunctum, et sic cum humido commistum, nec tamen secum invicem pugnare, sed unum quasi ex uno corpus conficere, non colligat, alium ab his esse qui illa simul copulavit? Quis videns, etc. Quibus quid validius, quid concinnius? Horum elegantiam Græce periti solum plene advertere possunt.*

5. Miræ sunt eloquentiæ *Epistola de sententia Dionysii, Epistola ad Dracontium*; itidemque *Orationes contra Arianos*: ubi in altercando cum hæreticis, aculeis frequenter, maledictis facete utitur; creber in reperiendis, acutus in solvendis argumentis. *Apologia de fuga et ad Constantium* elegantes, quibus plus inest quam reliquis diligentia et artis, tropis apposite et sobrie respersæ, salibus frequentissimis. Salsum est illud in priore (p. 254): Μόνη δὲ γνώσις ἐν αὐτοῖς ἐστὶ τοῦ κακοποιεῖν, καὶ καθ' ἡμέραν χεῖρονα χεῖροσιν ἐφευρίσκειν. Καὶ γὰρ καὶ τὴν νῦν φυγὴν ἡμῶν οὐκ ἐπ' ἀρετῇ θέλοντες ἡμᾶς ἀνδραγαθῆσθαι διαβάλλουσι· πόθεν γὰρ' εὐχὴ τοιαύτη παρ' ἐχθροῖς, ὑπὲρ τῶν μὴ συντρέχόντων αὐτοῖς τῇ κακοφροσύνῃ; Ἀλλὰ κακοφθεις ὄντες σχηματίζονται τοιαῦτα περιδορβεῖν, νομίζοντες, εὐθήβεις ὄντες ἀληθῶς αὐτοὶ, ὡς ἄρα δεῖσι τῆς παρ' αὐτῶν ληθορίας προσάξομεν ἑαυτοὺς ποτε αὐτοῖς. Θέλουσι γὰρ, καὶ διὰ τοῦτο ταῦτα περιτρέχουσι, etc. Hoc est: *Una autem est illis scientia, maligne agere, ac quotidie pejora pejoribus comminisci. Nostram quippe fugam non eo criminantur quo velint nos cum virtute ac fortiter agere: nam unde inimicis volium hujusmodi, pro viris qui non uno secum malignitatis cursu feruntur? At improbi cum simi, simulatione usi, hæc ubique spargunt: rati, ita nempe stulti sunt, nos metu ejusmodi illorum convitiis ali-*

D *quando ipsis occursuros. Id peroptant scilicet, eaque de causa ubique circumcursant, etc. Et inferius hæc quam pulchre, quam argute dicta (p. 257): Ταῦτα ὁρῶντες καὶ μὴ ἐντραπέντες ἐφ' οἷς πρότερον καθ' ἡμῶν ἐτύρευσαν κακοῖς, ἐτι καὶ νῦν κατηγοροῦσιν, ἐκφυγεῖν δυνήθέντας αὐτῶν τὰς ἀνδροφόνους χεῖρας· μάλλον δὲ οὐδύρονται πικρῶς, ὅτι μὴ καὶ ἐκποδῶν τέλεον πεποιθήσασιν, καὶ λοιπὸν προφασίζονται δειλῶν ὀνειδίξειν, ἀγνοοῦντες ὅτι, καὶ τοῦτο γογγύζοντες, εἰς ἑαυτοὺς ἐπιστρέφουσι μάλλον τὴν μέμψιν. Εἰ γὰρ φαῦλον τὸ φεύγειν πολλῶν χεῖρον τὸ διώκειν. Id est: *Hæc cum illi agant, nec pudeat malorum quæ adversum nos moliti sunt, nos etiamnum ideo criminantur, quod sanguinarias illorum manus effugere poterimus; imo potius acerbe im-**

gent, quod me non e medio prorsus sustulerint : ac deinceps simulate timiditatem exprobrant ; non intelligentes se, dum ita obmurmurant, in sese magis ipsam vertere criminationem. Nam si turpe est sugere, multo deterius persequi, et cætera bene multa, præclara etiam, quæ consulta brevitatis causa prætermittimus.

6. Limatior etiam Apologia ad Constantium, quam cum lego videor mihi Ciceronianam orationem ob oculos habere. Annon Ciceroniana isthæc, quæ, cum mentirentur Ariani, misisse illum litteras ad tyrannum Magnentium, depellendi criminis causa dicit (p. 237) : Ποία με πρόφασις εἴλας γράψαι τῷ τσαούτῳ ; Ποῖον προοίμιον τῆς ἐπιστολῆς ἔτασσόν γράφων αὐτῷ ; Ὅτι τὸν τιμῶνά με, οὐ τῶν εὐεργεσιῶν οὐκ ἂν ποτε ἐπιλαθεῖμην, τοῦτον φονεύσας B καλῶς ἐποίησας, καὶ ἀποδέχομαι σε τοὺς γνωρίμους ἡμῶν Χριστιανούς καὶ πιστοτάτους ἄνδρας ἀνελόντα ; καὶ ἀποδέχομαι σε σφάξαντα τοὺς ἐν Ρώμῃ γνησίως ἡμᾶς ὑποδεξαμένους ; Hoc est : *Quantum ductus occasione viro hujusmodi litteras misissem ? Ecquod fecissem epistolæ ad talem virum mittendæ exordium ? Num illud : Probe fecisti eum occidendo qui me cum honore excipere solebat, et cujus beneficiorum nunquam obliviscar : teque laudo quod viros nobis familiares, eosque Christianos ac fidelissimos sustuleris ; te acceptissimum habeo, quod eos Romæ obtruncaris a quibus perhumaniter exceptus fui ?* Prorsus simile habes apud Tullium in Verrina v : *Quæ porro præfatio tuæ donationis fuit ? Illa scilicet resus atque imperatoria : Quando tu quidem in præ- C sio, in bello, in re militari : cujus ne mentio quidem te prætoris ulla facta est ? An illa : Quandoquidem tu nulla unquam mihi in cupiditate ac turpitudine defuisti, omnibusque in iisdem flagitiis mecum et in legatione et in prætura, et hic in Sicilia versatus es. ?* etc.

7. Tempus me deficeret, si loca similia congerere vellem, si adnotare quæ notatu digna sunt : quam salse nimirum mordet aversam eunuchorum libidinem, admistis facellis, quæ tamen nihil de gravitate decerpant ; quam acriter insectetur Meletianoræ avaritiam, qui dignitates ecclesiasticas venales quibuslibet viris proponebant, etc. Acutissimæ sunt etiam *Orationes contra Apollinarium*, in iisque invenimus Athanasium Athanasio δριμύτερον. In polemicis enim maxime ætatem contrivit, curans semper ne aliena dogmata Arianorumque ausus plebi catholicæ quid apportarent mali. Etsi vero asper est, et sannis maledictisque plenus, quando res est illi contra hæreticos : nemo tamen est, qui perspecta hæreticorum, maxime Arii sequacium pertinacia, furore, immanitate in Christianos, in episcopos, proborum item hominum carnificina, in nefarios aliquid inclementius dictum arbitretur. Aspere scilicet agit Arianos, quia nihil contra tantam vim sine vi fieri poterat : et remisse depellere feroces

A homines, fateri erat diffusum se causæ suæ. Etsi vero mordet acriter, cum insolentia criminum aut hæresum temeritas acrem postulat oratorem ; ubi tamen res illi est cum adversariis aliquam æqui bonique rationem tenentibus, sobrie ac prudenter verba facit,

... mollitque animos et temperat iras.

Fuit autem illud sobrii temperantisque animi argumentum, cum rogatus a Serapione ut Arii mortem mandaret litteris, hominis Deo juxta hominibusque invisi ; perniciem divinitus immissam ægre recensere se testificatur (p. 269), ne quantumvis impio post obitum insultare videretur ; nimirum, Ζῶντας κολλᾶζειν οὐκ εὐσεβές.

Ὅν γὰρ ἐσθλά καθαροῦσι κερτομισῖν ἐπ' ἀν- [δράσιν (a).]

8. Ad mansuetiores vero musas an aliquando se contulerit Athanasius, necne, haud facile dictum est : augurari tamen licet sanctum Doctorem, cum quotidianæ curæ angerent animum, et pro Ecclesia semper ille, pro capite, pro fide decerneret, modicam hujusmodi studiis operam dedisse, descriptionibus videlicet, encomiis, philosophiæ. Carmina vero ne minime attigisse videtur. Dictione ejus pura et elegans est ut plurimum : nec inficior tamen nonnullis ejus operibus aliquam peregrinitatem attulisse Latinæ linguæ usum ; quale illud est, Ἐκκλησίαν ἔδωκεν εἰς πρέδαν, βετεράνος, et alia id genus. Impetratum scilicet a consuetudine fuerat, ut si ex quotidiana Latinorum familiaritate aliqua hujusmodi dictiones in buccam venirent, ne ab his vel Græce peritiores abstinere. Licet autem insidias auribus minime paret, lectoris sibi tamen, illecebris nescio quibus, benevolentiam captat. Nihil morosus in exordiis est, sed statim ab initio in arcem causæ invadit, et contra hæreticos canit quodammodo cla sicum. Platonis Homerique libros legit assidue, necnon aliorum veterum, ut ex *Oratione contra gentes* et ex aliis ejus operibus propalam est. Quod si Gregorius Nazianzenus illum hac in parte mediocriter duntaxat eruditum fuisse narret, id nimirum Gregorio visum fuit, qui magnam ætatis suæ partem his in studiis contrivit. Aliis autem jure videatur Athanasius φιλόλογος, et his in rebus probe eruditus.

III.

*De amissis Athanasii operibus.*

1. Etsi tam peritum dicendi opificem Athanasium fuisse mox narrabamus, ut ne nos pœniteat dicti, vel id unum satis sit, quod tanta vario scribendi genere Athanasii scripta amissa fuerint, ut nonnisi partem debitæ laudis tulisse ille videatur. Quot, amalo, opera emisit in lucem, qui inenno adolescentia ejusmodi ludum ingressus, mox specimina dabat magistro digna ; qui decursa jam ætate adeo naviter et salse Ecclesiæ hostes aggreditur, ut dicas hæc dicendi ornamenta accrevisse viro, dum cor-

(a) Archilocus.

poræ vires deficerent? Quot, putas, tot annorum A spatio elucubravit, ita diligens et navus, advigilans semper frangendis hæreticorum consiliis? Anni certe intersunt ab edita *Oratione contra gentes*, ad absolutos usque *Contra Apollinarium* libros, plus quatuor et quinquaginta, quibus innumera haud dubie scripsit, in otio, in negotio, homilias videlicet, epistolas, commentarios, hæreticorum confutationes. Quanta æstimas edidisse in deserto, dum calamitas, solitudo prohiberent ab officio, et spatii multum esset ad scribendum; atque aliunde curis confectus animus nonnisi litterarum usu sese exonerare posset? Hinc propalam est, etsi multa ab antiquis laudantur Athanasii opera, jam injuria temporum extincta, multo plura esse quæ a scriptoribus tacita relicta sunt.

2. Paucissima sane enumerat Hieronymus, si vel solum conferas cum iis quæ jam edita exstant: et ex illis tamen ab eo memoratis quædam nusquam comparent, liber nempe *Contra Ursacium et Valentem*, liber *De virginitate*, alius scilicet ab eo qui inter dubia computatur secundo [quarto] tomo. Duos *Contra gentes* libros idem doctor commemoravit, unus jam superest ea inscriptione; ne tamen secundum amissum existimato. Nam qui librum *Contra gentes* excipit, *De incarnatione* nuncupatus, quoad magnam partem et ipse contra gentes datus est, et serie mutua cohæret cum præcedenti; ut exploratum sit hos esse binos contra gentes libros. Liber *De Psalmorum titulis* ab eodem Hieronymo inter Athanasiana connumeratus, si non idipsum est quod argumenta in expositionibus Psalmorum, ad frontem cujusque psalmi posita, vel quod expositiones ipsæ, extinctus pariter fuit (1).

3. Sed nulla, opinamur, jactura major quam *Epistolarum ἑορταστικῶν*, aut *festalium*, sive in cœtu Ecclesiæ legendarum, quas item laudat Hieronymus. Has ingenti numero Athanasius, cum Arianici furoris declinandi causa in deserto Thebaidis lætens ageret, ad plebem catholicam Alexandrinam misit. Atque ut ex iis quæ hodieque supersunt fragmentis, conjectare licet, magna pars in enarranda et deploranda Ecclesiæ calamitate versabantur (2). Hic quæstiones ab Arianis injectæ, ut plebem absente pastore a proba sententia excuterent, et vacillantes D animo ad deteriore partem applicarent, ab Athanasio solvebantur. Hic quæ doctrinam, quæ disciplinam, quæ mores spectabant, per otium solitudinis explanabat ille. Et demiror plane amanuensium Græculorum gustum; qui dum aniles fabulas, sædissimaque commenta, Athanasii nomine publicata, plus millies exscriberent, quæ nemo sanus sine stomacho legere possit, hæc ita neglexerunt, ut incuria perierint. Hoi hei! quam pungit dolor amissi thesauri! quantum ad historiam, ad consue-

(a) Epist. 75.

(1) Is est quem publici juris fecit Antonelli: Vide ejus præfationem hujus editionis tom. III. (EDIT.)

(2) Athanasii *Epistolas festales* Syriace Londini nuper edidit Dr. Willhelmus Cureton; Syriace et Latine card. Angelo Mai, ex quo eas accepimus. Adi tomum III. EDIT.

tudines Ecclesiarum, ad morum præcepta hinc lucis accederet! Et fortassis adhuc alicubi latent in Oriente, ubi bene multa exstant. Nam licet complures inde ad nos perlati cœdices fuerint, at cum plerumque ut fors tulit, sine delectu et apparatu quopiam, ad eam rem tamen perquam necessario, cœdices accumularint qui curam hujusmodi suscipere; hinc factum ut sæpe quorum jam operum multi cœdices exstabant in bibliothecis nostris; eorundem alios cœdices sine fine compararent; et contra quorum vel rari vel nulli penes nos erant, ea præmitterent. Ad *Epistolas festales* ut redeamus, exstat sat prolixum tricesimæ nonæ fragmentum, qua Arianorum falsis rumoribus, de Scripturæ sacre libris, commotam catholicam plebem sedat sanctus Doctor, et verum Scripturarum sacrarum textit catalogum. Ad hæc Colbertinum quemdam cœdicem antiquissimum evolvendo, in aliud fragmentum incidimus Latine ex Græco versum, quod perquam gratissimum accidit. Hinc cernas in Occidentem usque perlatas fuisse ejusmodi *festales epistolas*. Hæc autem, cujus fragmentum jam primum publicamus, ab Athanasio post traditas anno 356 Arianis ecclesias, consolationis causa, ad plebem catholicam missa est. Haud improbabilius conjectamus, fragmentum item a Theodorocto allatum, ab eoque *Ad virgines* nuncupatum, fuisse in cœtu Ecclesiæ legendum: nam cœtum populorum alloquitur in masculino genere. Et quia virgines maxime omnium ab Arianis vexatæ fuerant, cum in illis παραμυθητικοῖς λόγοις, id est *consolatoriis sermonibus*, frequens virginum esset memoria, et sæpe fortasse virgines alloqueretur Athanasius, hinc factum ut *Ad virgines* nuncuparetur. *Festalium* item *epistolarum* mentio est inferius.

4. Athanasius ipse in sua *De Nicænis decretis epistola* prolixiorum laudat ab se ad amicum datam, quæ jamdiu interit et a nemine antiquo quod sciamus memorata fuit. Item in *Epistola ad Palladium*, alterius meminit, *ad monachos Cæsarienses*.

5. Ad hæc Basilius, cujus epistolæ ad Athanasium non pauca supersunt, cum magna significatione familiaritatis, aliquas memorat (a) ab eo ad se transmissas, quas ipse asservabat penes se; iisque velut norma quadam, sicubi res postularet, utebatur. Nam ad res ecclesiasticas componendas dabant illi operas mutuas.

6. Ait Epiphanius Athanasium contra Manichæum scripsisse, quod opus funditus periit. Ejus nomine perpauca affert Facundus Hermianensis libro undecimo, quæ sunt Serapionis, non vero Athanasii, ut adnotavit Sirmondus. *Dialogus enim contra Manichæos*, qui inter Damasceni opera exstat, in manuscripto quodam ascribitur Athanasio, sed perperam: est enim revera ejusdem Damasceni. Qua de



re in præfatione secundi [quarti] tomi. Memoratur A item apud Epiphanium (a) in epistola synodi Diocæsariensis epistola Athanasii ad ejusdem synodi Patres. In *Ancorato* ejusdem in epistola Tarsini, Matidii et aliorum fertur Athanasius litteris suis multos, qui circumventi in errorem lapsi fuerant, ad sanum consilium reduxisse.

7. In *Chronico Alexandrino* epistolæ Athanasii ad Epiphanium excerptum legimus, editum una cum aliis fragmentis ad calcem.

8. Meminit insuper Theodoretus *Sermonis de fide majoris*, ejusque loca nonnulla affert, quæ nos ad calcem inter fragmenta locavimus (1).

9. Synodus vi œcumenica maximam partem affert operis in hæc Scripturæ verba: *Nunc anima mea turbata est.*

10. Facundus item Hermianensis hæc Athanasii scripta jam amissa memorat, horumque excerpta affert quæ nos edidimus ad calcem tomi primi, *Epistolam ad Diodorum Tarsensem* Tyri tum agentem, *Epistolam etiam ad Antiochenos*: cujus item fragmentum habetur in Actis concilii Lateranensis. Alio edita sunt ad calcem primi tomi. Aliud item Athanasii rescriptum in eodem concilio memoratur (b).

11. Leontius Byzantinus in libro *Adversus Apollinarianas fraudes*, quorumdam Athanasii scriptorum meminit. Hæc sunt ejus verba: *Sufficiunt hæc iis qui non sunt nimium rudes et tardi, ad ostendendum Apollinarii esse epistolas quæ nomine Julii feruntur, præter eas epistolas Apollinarii, de quibus Athanasius et historici meminerunt. Discipuli enim Apollinarii antiquiores sunt omnibus qui his usi sunt, quas, ut verisimile est, quæ a Julio per schisma discesserunt, inscripsit. Neque solum hoc: sed sunt ex orthodoxis qui, inscriptione decepti, rectas eas esse intelligere et dicere perseverabant propter personæ auctoritatem fide dignam. Alioqui magis orthodoxorum est agnoscere illos sermones proprii doctoris esse. Ne autem ex solo testimonio discipulorum, sermones ipsius Apollinarii agnoscamus, quamvis aliqui eos Julio, quamvis Gregorio, quamvis Athanasio falso inscribant; sed etiam ex eodem genere sermonis et stylo.* In concilio Lateranensi, t. VI Conciliorum, p. 301, exstat fragmentum epistolæ cujusdam ad Antiochenos de doctrina vera agentis, a nobis pariter cusum ad calcem.

12. Laudat Joannes Damascenus in *Oratione de defunctis*, sub suem, librum Athanasii *De mortuis in Domino*, qui jam non exstat. Item alium hac inscriptione, *Εἰς τοὺς κοιμηθέντας παραρμόνιος λόγος*, qui fortasse idem.

13. In secunda Nicæna synodo locum sat prolixum habes ex *Epistola* Athanasii ad *Eupsychium Cæsareæ presbyterum*, quem pariter edidimus ad calcem, una cum fragmentis ex Gelasio desumptis: quæ tamen excerpta videntur ex operibus Athanasii, quæ

(a) Hæc. LXXV.

A jam exstant, verbis paulum immutatis. In codice Felkmanni quodam affertur locus ex libro Athanasii *De honorabili conjugio.*

14. Photius in *Bibliotheca* sua memorat *Commentarium* Athanasii in *Ecclesiasten*, jam penitus amissum. Item in *Cantica canticorum*, cujus fragmenta dedimus. Alia porro fragmenta *Commentariorum in Jobum* et in *Evangelia*, quæ itidem edi curavimus ad calcem, suspicamus ex variis Athanasii operibus, cum jam exstantibus, tum deperditis, a catenarum collectoribus excerpta fuisse, non autem ex perpetuis sancti Doctoris commentariis. Cujus rei sat perspicuum argumentum illud est, quod eorum multa in operibus jam exstantibus compareant.

15. Librum quemdam *De Incarnatione* laudat Michael Glycas, p. 208, ejusque bina affert fragmenta, quæ ni fallor non exstant in editis. In concilio Florentino hæc leguntur: *Τούτο γὰρ τὸ πνεῦμα, φησὶν ὁ ἱερός Ἀθανάσιος, πνοή ἐστὶ τοῦ Υἱοῦ.* Hoc est: *Hic enim spiritus, ut ait sanctus Athanasius, spiratio Filii est.* Quæ videntur ex quodam supposititio opere profecta.

16. *Disputatio cum Zachæo Judæorum nomodiascalo*, quæ exstat in bibliotheca Vindobonensi, et Athanasii nomine memoratur a Petro Lambecio tom. V, pag 135.

17. In schedis quibusdam Emerici Bigotii τοῦ μακαρίτου, quæ penes me sunt, fertur esse quædam beatæ Theclæ Vita in bibliotheca Scorialensi, quæ Athanasii nomen præferat.

18. Exstat item *Spicilegii* tom. II *Epistola Potamii ad Athanasium*, et quidem, ni labor opinione, ingenti suspitione laborat.

19. In *Vitis sanctorum Siculorum*, Octavio Cajetano Syracensano collectore, est nomine Athanasii Vita S. Philippi Agyrrensis, de qua in spuris.

20. Vir clar. et nobis amicissimus Gabriel Grodecus, linguæ Hebræicæ Lipsiæ professor, in catalogo quodam mihi transmissio, de quo alias fusius, testatur se Mediolani in bibliotheca Ambrosiana vidisse codicem, in quo exstat *Commentarius* nomine Athanasii in *canticum Moysis et Mariæ.*

21. Agmen claudat opus jussu Athanasii a quodam ejus familiari elucubraturum, de quo hæc Lambecius ad tricesimum septimum codicem theologicum, p. 58: *Valde autem notabile est, in solo hoc codice 37 ante epistolam sancti Jacobi exstare anonymi cujusdam pervetusti auctoris proœmium sive epistolam dedicatorem ad sanctum Athanasium archiepiscopum Alexandrinum, qua clare atque expressè testatur, se hypotheses illas et lemmata capitum Epistolarum catholicarum fraterno ipsius jussu composuisse. Titulus istius proœmii, una cum principio, est talis: Πρόλογος τῶν καθολικῶν Ἐπιστολῶν. Μικροί μὲν καὶ μικρὰ τολμῶσιν, οὐκ ἀδέες. Ὁ δὲ ἐλάχιστος ἐγὼ*

(b) Concil. Lateran., t. VI Conc., p. 301 et p. 228.

(1) Integrum postea edidit Montfauconius in *Bibliotheca nova Patrum Græcorum.*

τοὺς ὑπὲρ ἐμὲ πόνοις ἔχειρων οὐχ ἥμισυ πέφυκα ἀκινδύνως : ὡσπερ ἂν εἴ τις. etc. Id est : *Prologus in catholicas Epistolas. Pusillis et pusilla aggredientibus, res meæ non vacat. Quod autem ego perquam minimus homo laborem qui vires meas longe superet aggrediar, non modici periculi res est. Quemadmodum si quis,* etc. *Nec multa post auctor huius proœmii sanctum Athanasium appellat fratrem his verbis: 'Ἐφ' αἷς οὖν ἔγωγε πολμῶ συγγνώμην αἰτῶν νέμειν, ἀγάπης νόμῳ βεδιασμένος ὑπὸ ΣΟΥ ΑΔΕΛΦΕ ΑΘΑΝΑΣΙΕ ΤΙΜΙΩΤΑΤΕ. Οἷα γάρ τις ἡμιθνήτων, etc. Id est : De tali ausu meo veniam rogans, vi et lege charitatis ab te compulsus, VENERABILIS- SIME FRATER ATHANASI. Nam quasi semimortuus. Clauditur denique idem proœmium hoc modo : Δέξαι τοιγαροῦν, δέξαι παρ' ἡμῶν ἀσμένως τῶν σῶν ἐπιταγμάτων τὴν πραγματείαν, εὐχῆ τῆ ὑπὲρ ἡμῶν ἡμᾶς τῆς πειθοῦς διηνεκῶς ἀμειβόμενος. Ἐγὼ δὲ στοιχηθὼν τὰς καθολικὰς καθεξῆς Ἐπιτολὰς ἀναγνωσομαι, τὴν τῶν κεφαλαίων ἔκθεσιν ὁμοῦ καὶ θείων μαρτυρίων ἐνθὲνδε ποιούμενος. Id est : Accipe igitur, accipe libenter a nobis opus jussu tuo editum, et assidue precibus tuis obsequentiam nostram remunera. Ego vero catholicas Epistolas ordine perlegam, atque capitum una atque dicinorum testimoniorum expositionem edam. Sequitur deinde hypothesis Epistolæ sancti Jacobi his verbis : Ἐπειδὴ αὐτὸς ὁ Ἰάκωβος ταύτην γράφει τοὺς ἀπὸ τῶν δώδεκα φυλῶν, etc. Id est : Quoniam Jacobus hanc duodecim tribubus rescribit, etc.*

IV.

De doctrina Athanasii.

1. In Christianæ fidei exortu non erant ejus mysteria certarum vocum limitibus circumscrip- ta; sed emergentibus demum erroribus vocabula quædam defini- ri necessum fuit, quibus seu claustris continerentur temerarii homines rerum novandarum studiosi. Et indicare ne pigeat, cum nihil periculi ex iudicio sit, salvis semper et integris rebus, ac fide nihil mutata, multa Athanasii ævo ejusque ope inducta verba fuisse, et ad certam formam redacta fidei capita; ut pater hodiernæ theologiæ jure ille vocari possit. Quo major vir habendus est, ut qui eam fidei enarrandæ rationem prior induxerit, ex qua peritissimi quique, tanquam ex fonte, verum sentiendi pariter et loquendi modum haurirent: inter quos Ecclesiæ lumina Basilii et Gregorius Nazianzenus pro fidei magistro virum habuere. Nos ut Athanasii doctrinæ specimen demus, a Deo optimo maximo orsi, ad cætera progrediemur.

2. De Deo. — Primo ait (p. 27 seqq.), Deum cognosci ex opificiis, exque harmonia rerum, quæ quidem ratio cognoscendi Dei cuique obvia est, ut nulla sit venia aut excusatio iis, qui tantarum, tam disparatarum rerum concentum et motum ἀνοήτως et citra cuiusdam intelligentiæ moderamen regi et servari putent. A simili autem probat (p. 29), animam cognos-

A sci ex concinnis et cum ratione adornatis corporis motibus. Sed quoniam qui profligatis moribus sunt, quo liberius vivendi sit potestas, et Deum esse et animam esse immortalem inficiantur; contendit ille validis argumentis (p. 25), animam non exstingui exstincto corpore, scelestorumque perfugium amovet; qui, prohi dolor! id summi boni loco cflagitant, ut aliquando existendi finem faciant. Cujus rei in propria salute periculum facere grave est. Ferreum sane pectus, quod tanto discrimine non moveatur; cum vel ipsi gentiles et profani præmia et pœnas, felicitatem et infortunia secundum hanc vitam esse arbitrati sint, juxta illud Tragici:

Εὐδαιμονοῦσαν, ἀλλ' ἐκεῖ: τὰ δ' ἔρθα δὲ Πατὴρ ἀφελ.λετ' (a)

B Furiosæ matris dictum, quæ dum necam liberis parat, felicitatem ipsis in futura vita precatur, quam pater abstulerat in præsentem. Deum esse unum pluribus commonstrat contra gentiles, pugnatque vel unum vel nullum esse: ibi (p. 30) hanc præclaram edit sententiam, quæ fertur in primis, Ἐλέγομεν τὴν πολυθεότητα ἀθεότητα εἶναι. Hoc est: *Dicebamus multipliciter deorum, esse nullitatem deorum.* Cui alludere forte videatur Gregorius Nazianzenus oratione 24, cum gentilium superstitionem vocat πολυθεον ἀθεταν. Lepide autem nec sine facetiis exagitat illam gentilium deorum turbam, quorum quisque flagitiis suis nobilitabatur, ita ut non nisi nota quadam turpitudinis alius secerneretur ab alio. Religionem sane pulchre ad perniciem hominum instructam, cum nullus modus sceleris esset, quin alicujus dei exemplo niteretur.

3. De Deo uno. — Ait item sanctus Doctor (p. 39), si multi essent dii, necesse fore ut multi mundi essent, nec posse ἀταράκτως a multis unum regi mundum. Unum, inquit (p. 49, 171), Deum et in mundo et extra mundum suapte natura esse, quin spatio ullo circumscribatur. Depellit item (p. 38) Epicureorum commentum, qui iugabantur mundum fortuito factum; et Platonem, qui ex prius exstante materia conditum affirmabat. Genesim sive genethialogiam exitiosam artem, quæ ad hæc usque tempora perseverat, graviter exagitat (p. 46).

4. De generatione Filii. — Passim ac pene ubique locorum ait, Patrem Filium suum ab æterno gignere: generationemque illam esse passionem vacuam. Pugnat item frequens (p. 341), Filium esse ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ, æternum, non factum, perinde atque Patrem: nec insolentem esse vocem ὁμοούσιον, exemplo Dionysii Alexandrini commonstrat, cui vitio datum fuit, quod ea voce non uteretur cum de origine Verbi Dei sermonem haberet. Id argumento est, eam vocem, licet a Patribus ante Dionysium non memoretur, fuisse tamen antea frequentatam. Exstat porro inter nugatissima Valentinianorum commenta vox ὁμοούσιον, sed lon-

(a) Eurip., Medea.

ge alio usu. Affirmat contra Arium et assecclas ejus A (p. 174, 398) Verbum a Deo unum proferri, non multa. Deus, inquit sanctus Doctor (p. 31, 34), per Verbum suum omnia facit ac dispensat; ac per id intelligi datur, quod dicitur, ipsum esse principium viarum Domini: per ipsum movet etiam invisibiles illas potestates. Contendit Athanasius adversum Judæos (p. 36) Patrem cum diceret, *Faciamus hominem ad similitudinem nostram*, Filium compellasse suum; et hæc trita fuit omnium antiquorum Patrum sententia. Ut quotidiano Ecclesiæ usu progreditur, atque hoc utitur argumento (p. 388): Non licet rem factam adorare: Verbum adoratur: non est ergo res facta.

5. *De Spiritu sancto. Tres hypostases.* — Spiritum B sanctum ait (p. 86) esse *ἐκπόρευμα*, quasi dicas *emissionem* Patris. Ex Filio quoque procedere haud obscure prædicat, cum ait non semel (p. 701, 782), apud Deum Patrem Filium esse fontem. Spiritus sancti: et alio loco (p. 553), ideo Spiritum sanctum a Patre procedere, quia ex Filio effulget, atque ab eo mittitur (p. 81). Res cum primis observatu digna est, nec prætermittenda, quod Dionysius Alexandrinus atque Athanasius (p. 200) dicant, in manibus Patris et Filii esse Spiritum sanctum, et neque a mittente Patre, neque a ferente Filio dividi. Spiritus quoque *ὁμοούσιος* est Patri (p. 540), et tota Trinitas *ὁμοούσιος* dicitur (p. 741). Vulgare est et passim obvium (p. 700, 558, 718), in Patre, Filio, et Spiritu sancto unam esse deitatem, unam potentiam, unam substantiam. Pater per Verbum in Spiritu omnia condidit (p. 540, 554), non quidem ita ut Verbo, vel Spiritu sancto, ceu instrumentis aut ministris spiriibus ab se conditis, Pater usus sit: sed tres personæ principii unius rationem tenere, tenentque. Tres hypostases, *ὑπόστασις*, in Trinitate esse non semel docet, et quidem perfectas (p. 80, 616, 701): non tamen inter se divisas (p. 80); caute enim isthæ explicantur, ne suboriantur lapsus occasio. Et advertas quam inconsulte quidam ævi nostri scriptores Athanasium dicant nusquam hypostases memorasse. Ariani quoque tres hypostases præstebantur esse, verum subdolo consilio; eo quippe nomine diversas et divisas substantias intelligebant: monstrum scilicet erroris, quo vel unitas Dei, vel trinitas personarum elevatur. Etsi porro tres hypostases esse plerumque dicat Athanasius, nequaquam repudiat eos (p. 616) qui unicam *ὑπόστασιν* admissam vellent in Trinitate, dum id de substantia communi personarum intelligant, earumque distinctionem servant illæsam; imo ipse quoque alicubi (p. 714) ait, *ὑπόστασιν* idipsum esse quod *οὐσίαν*, seu substantiam, ea videlicet quam supra commemoravimus, sententia. In synodo autem Alexandrina anno 362 utraque formula, id est una hypostasis, et tres hypostases, catholica dicitur, dum recta servetur sententia. Et si quando vetat Athanasius, ne dicatur Filius ex alia hypostasi esse quam Pa-

ter, mox interpretationem adjicit hoc pacto (p. 1016), *Ἡ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως, ἡ οὐσίας φάσκοντας εἶναι τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, ἢ τὸ Πνεῦμα τὸ ἕγιον, τρεπτὸν ἢ ἀλλοιωτὸν, τοῦτους ἀναθεματίζομεν.* Id est: *Aut qui dicunt ex alia hypostasi vel substantia esse Filium Dei, aut Spiritum sanctum, mutabilem aut variabilem, hos anathemate damnamus.* Et in *Epistola ad Afros* similiter *ὑπόστασιν* per *οὐσίαν* sive substantiam explicat, ita ut ubi hypostasin eandem esse in Patre et in Filio prædicat, mox adjiciat *οὐσίας* sive substantiæ explicationem. Hypostasin autem simpliciter ac sine addito hujusmodi, unam in Patre atque eandem in Filio esse, non meminisse me legisse in germanis Athanasii operibus.

6. Patrum antiquioris ævi scripta commemorat, ac excerpta eorum afferens, doctrinæ suæ auctoritatem parat. Origenem nunquam sine laude memorat, imo purgat eum a suspicionibus jam contra tanti viri doctrinam obortis: aitque, quas sententias problematis more *ὁ φιλόσοφος* dixerat, non perinde ac si affirmando dictæ fuissent, acceptas oportere. Idipsum vero Pamphilus martyr, in *Apologetica pro Origene*. Quare non est quod inclementer cum viro tanto agatur; si dum liberum esset varie mysteria sacra enuntiare, ea dixerit, quæ ad hodiernum usum non satis accedant. Duram provinciam capit, qui ad certos verborum limites vult omnia omnium sæculorum effata revocare. Res, tempus, animus et cætera ponderanda; et sic odia minuas. Præter Origenem, Theognostum item præclarum virum Origenis æqualem laudat, et scripta ejus assert in testimonium doctrinæ suæ. Utitur quoque Dionysii Romani pontificis loco eximio ad Arianorum commenta propulsanda. Æque huic rei opportunus Dionysius Alexandrinus, ejus auctoritate τὸ *ὁμοούσιον* confirmat. Etsi enim ille in suspicionem pravæ circa Filium Dei sententiæ vocatus fuerat, ejusdam dicti causa quo Filium incautius inter res factas connumerare videbatur, qua de causa in crimen vocatus a Basilio est; ac cum postea sui purgandi gratia, et quid vere sentiret effatus, et τὸ *ὁμοούσιον* professus fuerit, adversum Arianos in medium profertur ab Athanasio, qui suo ipsos telo confodit. Nam cum Dionysium illi erroris sibi auctorem esse clamitarent, ejus auctoritate assertum *ὁμοούσιον* nec sine pudore conspexerunt. Eximia porro Dionysii fragmenta nobis attulit Athanasius, ac peroptato nobis datum est, ut codicum ope præclaram de Trinitate clausulam restitueremus, quæ sic habet: *Οὕτω μὲν ἡμεῖς εἰς τε τὴν Τριάδα τὴν μονάδα πλατύνωμεν ἀδιαρπτον, καὶ τὴν Τριάδα πάλιν ἀμειωτον εἰς τὴν μονάδα συγκεφαλαιούμεθα.* Id est: *Sic quidem nos unitatem quæ dividi nequit in Trinitatem dilatamus, et rursum Trinitatem quæ imminui nequit in unitatem contrahimus.* Hanc sententiam, quæ in nullis exstat editis Græcis, ex omnibus quibus bene multis usi sumus codicibus jam integram damus, magni usus sane contra novos Arianos, qui tertii

sæculi Patres secum consentire jactitant. Ob alia vero quæ minus considerate dixisse videbatur Dionysius, in Basilii reprehensionem incurrit: verum sat ab Athanasio purgatur ab omni adversum suspicionem.

7. *De Incarnatione.* — Ait Doctor sanctissimus (p. 737), carnis cum Verbo conjunctionem ex utero factam fuisse. Frequenti autem usu, carnis nomine testificatur se totius hominis, animæ scilicet et corporis, naturam complecti (p. 762). Et contendit non magis rationi absonum esse Verbum humanam assumpsisse naturam, quam omnibus in rebus existere (p. 65). Ait autem (p. 42) ideo Filium hominem factum fuisse, quia, cum omnia creasset, omnia solus instaurare potuit. Christum esse τέλειον ἀνθρώπου καὶ τέλειον Θεόν (p. 747), id est, *perfectum hominem et perfectum Deum*, quem cum adoramus non rem creatam aliquam adoramus, sed omnium rerum opificem (729, 732). Estque Athanasii illud effatum memorabile (p. 703): Χριστός ἐστὶν ἡ χεὶρ καὶ αἱ χεῖρες τοῦ Πατρὸς. *Christus est manus ipsa, et manus ipsæ Patris*; quo indicat, nihil nisi per Christum a Patre effici vel creari. Neque minus memoratu dignum est, aliquando vocem, *Dominus*, in Veteri Testamento pro Filii persona intelligi, cum ab Athanasio (p. 707), tum ab aliis plerisque Patribus. Multis commonstrat (p. 53), e re fuisse ut Christus interficeretur, nec vulgari hominum morte interiret. Verbum ipsum natum et passum esse dicitur (p. 50), quia corpus non alterius, sed ejus ipsius erat. Quoniam vero Apollinariæ Deum ipsum, id est divinitatem passam fuisse negabantur, hæc adversus lucifugas verba facit Athanasius (p. 758): *Cur ego scripsistis Deum esse, qui in carne passus est et resurrexit? Si enim Deus sit, qui per carnem passus sit ac resurrexit, passibilem ergo dicitis et Patrem et Paraclatum, cum unum sit nomen, et una divina natura.* Ante Nestorianam enim hære in, cum nondum res controversiis implicata esset, nec cautione esset opus, bono animo, salvaque fide hæc locum habebant: *Deus passus non est, Deus non est natus*, intelligas scilicet, divina natura aut divinitas, ut explicat Athanasius (p. 65). Hinc palam est, non esse quod Nestorianismi nota aspergatur liber ille Anonymus secundo [quarto] tomo quia inter alias clausulas isthæc rejicitur, *Passum est Verbum carne*: nondum quippe res ad certum vocum usum deducta fuerat. Et dum Dei nomine divina natura intelligeretur, Deum passum esse negare fas erat: hoc pacto negat Athanasius (p. 351), atque eo nomine Appollinaristas insectatur. Cum Filius exaltari dicitur, jubet Athanasius (p. 47) intelligas de Christo secundum humanam naturam. Qua sententia porro dicatur Filius hominis ignorare iudicii diem, pluribus explanat ille, et nos spero non indiligenter in notis, etsi paucis pro instituti ratione. Mariam Virginem passim Θεοτόκον, sive Deiparam nuncupat: sapienter, si consilio, feliciter, si casu: peropportuna quippe contra

Nestorianos fuit Athanasii hac in re auctoritas. Duas esse in Christo voluntates ῥητῶς affirmat (p. 709), et commonstrat ex plerisque litterarum sacrarum locis. Moriente Christo, deitatem corpus ejus non reliquisse haud ait semel (p. 723, 748, 758); et si quid alienum dicere aliquando videatur, res est aliis locis explicanda.

8. Christi adventum veritatemque Christianæ religionis pluribus comprobat: contra Judæos quidem (p. 60, 64) sexcentis Veteris Testamenti locis, ac potissimum ex famosa illa Danielis prophetia. Contra gentiles autem (p. 71) Christiani cultus veritatem propugna: his argumentis: quod Græci philosophi tanta rerum peritia, tot conscriptis libris, ne pauculos quidem vicinorum ad suam pellexerint opinionem; cum contra evangelica doctrina humilibus dictis, atque usu plebeio tritis late serperet in dies et totum pervaderet orbem: quod ea ipsa doctrina (p. 74), simulacra deorum, magicam artem, philosophos omnes prodigaverit, non opibus armisque, sed innata vi veritatis: quod falsorum numinum cultus ab adventu Christi paulatim fractus viribus ad interitum pergeret (p. 76); dum homines alio conferrent animum confluenterque ad veram religionem.

9. *De Scriptura sacra et de fide.* — Scripturæ sacræ dignitatem haud semel prædicat, atque cæteris omnibus præstare (p. 575): non quo tollat traditionis aut synodorum auctoritatem; minime gentium; imo vero non uno loco ait (p. 166, 167) licitum synodis esse voces proponere ex litteris sacris non mutatas. Affirmat evangelicam doctrinam eandem esse, quam antiquorum Patrum, Adami, Abelis, Enochi, Noæ, Abrahamæ, Moysis. Libros Scripturæ sacræ in canone receptos enumerat accuratissime (p. 768). Eleganter de fide loquens ita fatur (p. 559): Τὰ γὰρ πίστει παραδιδόμενα ἀπεριέργαστον ἔχει τὴν γνῶσιν. Hoc est: *Quæ fide traduntur, notitiam habent non curiose investigandam.* Memorabilia isthæc quoque sunt (p. 757): Οὐτε γὰρ πίστις κατὰ θῆλου φαινόμενη πίστις ἀν λέγειτο: ἀλλ' ἐστὶ πίστις ἡ τὸ ἀδύνατον ἐν δυνάμει πιστεύουσα, καὶ τὸ ἀσθενὲς ἐν ισχύϊ, καὶ τὸ παθητὸν ἐν ἀπαθείᾳ, καὶ τὸ φθαρτὸν ἐν ἀφθαρσίᾳ, καὶ τὸ θνητὸν ἐν ἀθανασίᾳ. Hoc est: *Neque enim fides evidenter apprens, fides dici potuerit: verum fides est, quæ quod impossibile est in potentia, inod infirmum in virtute, quod corruptibile in incorruptione, quod mortale in immortalitate esse credit.* Eam Christianæ fidei teneram, hunc χαρακτῆρα esse ait (p. 550), quod Verbum Dei Filius, propter nostram salutem, in fine sæculorum homo factus sit.

10. *De restauratione humani generis. De gratia. De baptismo.* — Hominem sumpte malitia collapsum esse dicit (p. 5): nam a Deo creatus cum libero vel boni, vel mali agendi arbitrio, ad deteriorem partem declinavit. Hinc sædata labefactataque divina illa ab ortu imaginæ, opus fuit adventu Filii Dei, qui sarciret damnum, et recrearet collapsum

humanum genus, instauraretque divinam illam imaginem: Sufficiebat, inquit Athanasius (p. 46), gratia qua ad imaginem Dei facti sumus, ad Deum Verbum, et Patrem per ipsum Verbum cognoscendum. Verum Deus, cui hominum infirmitas probe nota erat, eorum negligentiam prospexit; ut nempe si Deum per seipsos cognoscere negligere, possent ex naturæ opificiis Creatorem non ignorare. Gratia (p. 542) et donum, quod a Trinitate datur, datur a Patre per Filium in sancto Spiritu. Gratia autem peccato amittitur (p. 455), pœnitentia recuperatur. Baptismi necessitatem ubique prædicat: sed ait diserte (p. 403) inutilem esse baptismum Arianorum ac quorundam hæreticorum. Ubi meminisse iuvabit ea tempestate moris fuisse, ut qui baptismum adirent, Christianæ doctrinæ addiscendæ per atatem idonei essent: Ἴν' ἐκ τῆς μαθήσεως, inquit Athanasius, ἡ πίστις ὀρθῆ γένηται, καὶ μετὰ πίστεως ἡ τοῦ βαπτισματος τελείωσις προστεθῆ. *Ut ex doctrina oriretur recta fides, et cum fide baptismi initiatio accederet.* Inferius autem, de hæresibus loquens: Ἄλυσιτελής, αἶψα, ἔχουσι καὶ τὸ παρ' αὐτῶν διδόμενον ὕδωρ, λατόμενον εὐσεβεῖα, id est: *Inutilis est aqua quam donant, quippe cui desit pietas.* Nimirum ideo inutilis, quoniam qui illa tinguntur, salutem consequi non valent. Enimvero quod Athanasius iterandum esse baptismum esse sentiebat, non constat; imo potius contrariæ sententiæ esse videtur ex *Antiochenæ synodi tomo* et ex *epistola ad Rufinianum*, ubi de conditione hæretici recipiendi agitur, nec dicitur baptismum ab Arianis datum de integro repetendum oportere, Et sane, dum ait ibidem (p. 403) in periculum venire Arianos amittendæ baptismi integritatis, subindicat se non ea esse sententiam, iterandum esse eorum baptismum. Vide notam ibi. Hæc de iteratione baptismi satis sunt; rem enim pluribus agitare per otium non licet. Et exploratum est eam fuisse olim sat tritam in Oriente sententiam, hæreticorum baptismum esse redintegrandum (p. 100, 706). Adeantur qui hæc fuse tractarunt, inter quos facile princeps Augustinus.

11. *De Eucharistia.*—Corpus et sanguinem Christi in Eucharistia esse diserte neque semel prædicat, apertissime vero ubi ait, corpus quod sedet a dextris Dei, illud ipsum esse quo pontifex et apostolus est, per mysterium quod dedit nobis, dicens: *Hoc est corpus meum*, etc. Ubi vero dicit, corpus illud esse *spiritualem cibum*, et *spiritualiter dari in escam*, id ita intelligas, ut pluribus in notis explicator: non more cibi corporei sumi, nec esse cibum corporalem, qui per partium divisionem comminutionemve comedatur: *Quot enim hominibus*, inquit, *corpus satis esset ad esum, ut totius mundi fieret alimentum?* Ibi videsis.

12. *De ordine.*—Ordinatio presbyteri a presbytero facta, nulla habebatur, ut propalam est exemplo Colluthi presbyteri, qui ausu temerario et insolenti presbyteros constituendi potestatem vindicabat sibi. Verum jussu Alexandrinæ synodi, cu-

rante Hosio, quotquot tali aditu ecclesiasticos gradus invaserant, ad laicorum conditionem reducti sunt. Memoratu dignum est, episcopos, cum in literis suis de presbytero aut diacono agerent, ita eos nuncupare solitos esse, συμπρεσβύτερος, συνδιάκονος ἡμῶν, *compresbyter, condiaconus noster.* Quod signum est, ea illos fuisse sententia, ut episcopi gradum presbyteri et diaconi ordinem complecti putarent. Præter episcopos, presbyteros, et diaconos, subdiaconi, ὑποδιακόνου, item meminit Athanasius.

13. Animam justorum statim post obitum in cœlum ferri dicitur in *Vita Antonii* (p. 675). Suspectus autem est ille locus ex Damasceno allatus p. 1024, quem hic etiam asserre ne pigeat: Ἐἴτα ὁ ἐν βίῳ καὶ λόγῳ περιβλεπτός, καὶ τῆς τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίας θεμέλιος Ἀθανάσιος, τάδε φησὶ περὶ τῶν ἐν Κυρίῳ νεκρῶν· ὅτι περὶ διὰ τοῦτο τοὺς σωζομένους ὁ Θεὸς κεχάρισται τὸ μέχρι τῆς κοινῆς ἀναστάσεως, ψυχικῶς ἀλλήλοις συνεῖναι καὶ συνευφραίνεσθαι, ἀπεκδοχὴν ἔχοντες τῶν μελλόντων αὐτοῖς ἀποκληροῦσθαι θεῶν δωρεῶν, id est: *Præterea conspicuus ille vita et moribus, atque Ecclesiæ fundamentum Athanasius, hæc habet de mortuis in Domino: Idcirco Deum iis qui salutem consequuntur concessisse, ut usque ad communem resurrectionem, animæ uno in loco simul commorantes, collatentur, animæ spe ut futurorum tandem bonorum possessione fruantur.* Quæ cum millenariorum sententiam oleant, et aperte repugnent cum loco Athanasii mox memorato, jure in suspicionem vocetas vocentur.

Juramento perperam aut præcipitanter dato non standum esse docet non semel Athanasius (p. 209, 210, 235)

## V.

*De hæreticis ab Athanasio impugnatiss et memoratis.*

1. Impugnandi hæreticos studium ubique præfert Athanasius: quod inceptum a parvo cum ætate accrevit simul. Arius enim unus perniciosus Ecclesiæ et patriæ suæ civis, totam pene Athanasii ætatem bellis, pugnis, controversiis, calamitatibus contrivit: nam defuncti provinciam in eadem palæstra exceperunt, qui Ario nihil concedebant ferocitate, astutia, protervia. Ac præter istos, alii hæretici ex transverso subinde inexpectati accedentes, in discrimen vocabant Ecclesiæ tranquillitatem. Athanasius vero unus pene omnium impetum excepit, unus innumeros profligavit. Annon extinctam apud homines veræ fidei curam dixisses, cum Instanto Constantii metu fracti omnes, aut cedere, aut dissimulare compulsi sunt; Athanasiique solitudo tanta erat, ut ne desertum quidem sat tutum ipsi esset ab insidiis consceleratorum? Et tamen illo strenuus veræ fidei patronus, non Arianorum inodo, sed aliorum quoque conatus fregit, eorum scilicet qui postquam exoneratus ille Ariano metu fuerat, novarum opinionum auctores fuere. E re autem fore speramus, si de hæresibus, quas vel data opera confutavit, vel carptim tetigit Athana-

sus, paucis pro more verba faciamus. Nam Epi-  
phanus, tametsi magno labore et accuratione hæ-  
reticorum sententias collegit, attamen, ut solet  
in hujusmodi enumerationibus evenire, multa  
prætermisit intacta, quæ ab Athanasio aliisque Pa-  
tribus notantur. Quoniam vero Arianam hæresim  
potissimum adortus est Athanasius : et si quando  
alias insectatur, vel occasione Ariatorum, vel ab  
Arianis proseminatas exagitat, de Ariana primum  
agetur.

2. Arianismi in ipso exortu hæc fundamenta,  
hæc tæseræ fuerunt. Ore impio Arius, quos pri-  
vatim et in angulis consperserat errores, in sy-  
nodo demum Alexandrina protulit audacterque pro-  
pugnavit. Aiebat ergo, Dei Verbum non semper  
fuisse, sed ex nihilo factum et creatum (p. 314), non  
æternum, non Patri simile secundum substantiam,  
neque verum Dei Verbum, aut sapientiam, sed *κα-  
ταχρηστικῶς* ita vocari : esse natura mutabile, ne-  
que nosse Patrem, imo ne suam quidem ipsius na-  
turam. Propter nos factum fuisse, ut illo ceu in-  
strumento nos conderet Deus; neque creandum  
unquam fuisse, nisi nos Deus condere voluisset.  
Hæc vera Arii doctrina, hæc pluribus illè in *Thalia*,  
quam vocem inter res tam serias ne memoratam  
quidem oportuit. Erat quippe illa effeminatis qui-  
busdam ac joculariis modis adornata, exemplo scilicet  
impurissimi Sotadæ, nobilis hoc in genere  
pœtæ. Unde est quod a Gregorio Nysseno (a)  
Arianæ *Thaliæ* dicta *καταθεθρομμένα Σωτάδεια*  
nuncupentur. Callide item Arius cum vulgi multi-  
tudo nascenti hæresi nomen daret, carmina et  
cantus popularibus adornavit, quibus errorem pro-  
pinaret suum : nam priscum est :

*Τὴν γὰρ δοῖδὴν μᾶλλον ἐπιχλίσου' ἄνθρωποι  
Ἦτις ἀκούοντεςσι νεωδέτη ἀμφιπέληται* (b).

3. Hisce probe ad perniciem instructus, multis  
exilio fuit. Si quando vero post hæc vel ipse Arius,  
vel ejus sequaces, in fidei formulis ac controversiis,  
quædam vel celaverint prorsus, vel mitigarint, id  
vafre et fraudulenter, metu impendentium malorum,  
ut paulum tempori concederent. Et quia solet ad-  
versarius ille humani generis litteras sacras ob-  
tendere in velamen errorum, Arius, diaboli versutia  
usus, hæc ex Scriptura sacra argumenta mutuaba-  
tur (p. 405), his Verbi divinitatem tolli putabat :  
*Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem, propterea  
unxit te Deus, Deus tuus oleo latitiæ, præ consorti-  
bus tuis.* Et, *Dominus creavit me initium viarum  
suarum in opera sua.* Item, *Omnia mihi tradita sunt  
a Patre meo.* Et : *Nunc anima mea turbata est,* atque  
aliis bene multis. quæ in indice congesta videre est.  
Aiebat item : Si Filius semper fuisset, frater Patris  
vocari posset, utpote ipsi cœvus. Et, Si Filius per-  
fecta esset imago Patris, etiam gignendi facultatem  
haberet. Eos perspicue refellit Athanasius (p. 240),

<sup>1</sup> Prov. viii, 22.

(a) *Contra Eunomium.*

A injectasque difficultates elevat : Arianos vero Loe  
dilemmate oppugnat (p. 167) : Verbum vel est Fi-  
lius Dei natura, vel gratia, ut sunt ii de quibus Joan-  
nes : *Quotquot autem receperunt eum dedit eis pote-  
statem filios Dei fieri.* Si priore modo, est igitur ejus-  
dem substantiæ atque Pater; si posteriore, ut vole-  
bant Ariani (p. 168), falso unigenitus vocatur, neque  
a nobis in Filii ratione differt. Reponebant Ariani :  
Ita intelligimus Filium rebus creatis antecellere, et  
ideo unigenitum dici, quod ipse solus a solo Deo  
factus sit; cætera vero omnia a Deo per Filium  
sint creata. Id depellit Athanasius hisce argumentis:  
Si Pater solum creat Verbum, an præ lassitudine  
a cæteris condendis abstinet? atqui impium illud  
est : an quia sua potentia indignum putans ea omnia  
condere, administrum ante creavit? verum nulla  
in Deo superbia, tumor nullus; et alioquin pugnat  
illud cum sexcentis Scripturæ locis, ubi omnia a Deo  
facta dicuntur, scilicet per Verbum *συνῆν*; an quia  
cætera opificia invictam Dei *τοῦ ἀγενήτου*, id est,  
*non facti*, manum ferre non valerent, opus fuit Filio  
qui conderet, ut Asterius et Arius tradidere? Verum  
argute Athanasius id propulsat : Si, quia res factæ  
sunt, non facti manum ferre non possunt; sane ne-  
que Filius, qui, ut vos dicitis, factus est, manum  
ejus ferre potuit : et alio medio erit opus, itaque  
erit in infinitum progressio. Aliis item argumentis  
Arii insaniam depellit : Si Filius aliquando non fuit,  
non fuit semper Trinitas; Pater item non fuerit  
semper Pater, non existente Filio; insuper Pater  
fuerit aliquando *ἄλογος*, sine verbo. Nam animad-  
vertas velim, eam Arii opinionem fuisse, quod Pa-  
ter verba multa produxerit. Quæ sententia, ut lin-  
pia ab Athanasio rejicitur, ac merito quidem; unum  
quippe in Deo Verbum est. Nam Deus sapiens est  
per sapientiam suam, id est per Filium : et rationalis  
per rationem suam, id est *λόγον*, seu Verbum.  
Demum si ex Arii furore aliquod erumperet novum  
argumentum, omnia Athanasio erant ad illud fran-  
gendum expedita.

4. Sentit fortasse lector quam procul abducere-  
mur, si omnia Athanasii argumenta, si Ariatorum  
sophismata recenseremus : quare, missis aliis, vi-  
deamus quo pacto depellat argumentum Ariatorum  
ex hoc Proverbiorum dicto deproptum : *Dominus  
creavit me initium viarum suarum in opera sua*<sup>1</sup>.  
Insita hominum mentibus est opinio, Athanasium,  
si Hebraice peritus fuisset, si veram hujusce dicti  
sententiam tenuisset *ידה כנני ראשית דרתי קדם*  
*ידה כנני מפעליו מאז* quæ est : *Dominus possedit me initium  
viæ suæ ante opera sua ex tunc*, non tantum laboris  
susceptorum fuisse in enervando argumento Ariato-  
rum, qui dictum hujusmodi : *Dominus creavit me*,  
ad Filium inter creatas res connumerandum de-  
torquebant. Verum perquam facile Athanasio fuit  
ex Origenianis *Hexaplis*, quæ penes ipsum erant,

(b) *Odysæ. A.*

germanam Hebraicæ lectionis sententiam mutuari. At fortasse id non tanti ponderis futurum erat, quanti arbitrantur illi. Nam una Septuaginta viro- rum interpretatio in Ecclesia Græca obtinebat, nec sedandæ controversiæ parës erant Aquilæ aliorum- que interpretum versiones. Cujus rei id indicium est conspicuum, quod Eusebius Pamphili, quo sese ex hac difficultate expediat, non Hebraicam lectio- nem, non Origeniana *Hexapla*, quæ tamen frequens ille adibat, in medium attulerit; sed interpretatio- nem dederit, Athanasianæ finitimam (a). Verum ut ut sit, opportunam Athanasius huic sententiæ ex- plicationem suppeditat, dum ait has voces, *feci, pos- sedi, peperit*, idipsum in Scripturis plerumque signifi- care, et ad rem perbelle hoc Geneseos exemplo utitur (p. 373): *Possedi hominem per Deum*, ubi *posse- di*, idem est quod *genui*; quod referas item ad eam sententiam: *Dominus possedit me initio viarum suarum*. Nam utrobique Verbum ὄν legitur. Ari- anorum vero sententia, quam paucis supra complexi sumus, non una semper fuit: dum enim manaret in dies latius, alii alia apprehenderunt, et in varias opiniones distracti sunt: multi quippe, non qua- lis initio prodierat, hæresin vindicabant, sed quod- dam delimitam verborum colore. Soli vero Aetiani et Anomœi dissimilitudinem substantiæ propugna- bant, dum alii temporum conditioni sese adtempe- rantes, ut rerum eventus ferebat, plus minusve de- traherent ex errorum perfidia. Orso autem dissidio Semiariani ab Arianis, priscum retinentibus, abs- cesserunt. Erant porro Semiariani ii qui, repudiato ἁποστῶ, Filium ὁμοουσίον, sive substantia simi- lem esse profitebantur. Quam sententiam non peni- tus improbat Athanasius, nec nisi ut minus idoneam respicit. Erant tamen ex Seminariorum grege, qui obtento verborum furo in Arii impietatem pror- sus relaberentur. Etsi enim aiebant Filium esse si- millem Patris, at consensu et voluntate tantum, non autem natura.

5. Ex inauspicata hujusmodi radice prodierunt item Pneumatomachi, principe Macedonio episcopo Constantinopolitano. Illi ingentes in Oriente atque in Ægypto turbas dederunt, dum dicerent Spiritum sanctum esse rem creatam, unumque ex admini- stris spiritibus, Patri dissimilem, etc. Rem ut primum accepit Athanasius, indicante Serapione Thmu- tano episcopo, nascentem hæresin, missis ad eum- dem Serapionem litteris, pluribus exagitavit. Novos autem lucifugas Tropicorum nomine insectatur, quia tropis figurisque sacras adulterabant litteras. Hi Tropici, ex Ario prognati, cum Arianis maxima pars consentiebant. Nam plurimi Arianorum pari in Fi- lium atque in Spiritum sanctum vesania dehadha- bantur. Arius igitur, qui ut novati dogmatis suspi- cionem declinaret, in aîos hæreticos declamabat *aisidos*, hæreticorum ipse deterrimus fuit. A quo ferme ortum duxere omnes quarti et quinti sæculi

hæreses. Ille vero, impietatem suam ex superiorum ætatum hæreticis hauserat, et simplicioribus, quibus per animi imbecillitatem non licebat bonam a prava doctrina internoascere, haustum venenum propina- bat. Et vero quid ex qualibet hæresi mutuatus Arius sit, obiter commemorat Athanasius. Hæc nos paucis lectori ob oculos ponemus, orsi ab iis qui primis Ecclesiæ temporibus novas opiniones in Christianum orbem invexerunt.

6. Basilides putabat angelos creavisse mundum (p. 386), cui hac in parte affines Ariani erant, quod ipsi a Filio Dei, re, ut impie dicebant, condita, mun- dum creatum fuisse arbitrarentur. Idipsum docuit Carpocrates (p. 364); ideoque cum Arii magistris connumerandus.

7. Valentinus non modo angelos creasse mundum autumabat, verum etiam Christum ejusdem atque angelos generis esse, atque ea in re proxime ad Arianam hæresin accessit (p. 364, 386). Duo prin- cipia in Deo nugabatur, qua in parte cum Arianis item consentit: ii namque cum Filium diversæ a Patre naturæ esse comminiscerentur, et tamen Fi- lium ἀρχήν, principium rerum creatarum esse di- cerent (p. 614), duo principia genere discrepantia inducebant. Ad hæc Valentiniani litteras sacras adulterabant (p. 303), in quo lisdem finitimi Ariani erant, qui licet ipsam Scripturarum litteram mi- nime vitarent, adulterabant tamen ad pravam do- ctrinam detorquendo. Hac in re quoque cum Ario consonat Valentinus (p. 486), quod Arius sive ejus sequaces Ariani duo verba prædicarent: aliud in Patre, ἐνδιάθετον scilicet, sive internum; aliud ex- tra Patrem προφορικόν nuncupatum, sive prolati- tum aut externum, quæ tamen voces non ex Arii officina profectæ, sed multo antiquiores sunt; Va- lentinus autem Unigenitum vocat νοῦν seu mentem, atque ab eo λόγον procedere dicit, quæ sententia cum Ariana probe consonat. Cum Pneumatomachis item mira Valentino affinitas (p. 527); ait quippe: Misso Paracleto, una cum eo coævus ipsi angelos fuisse missos, illi vero comministrum angelorum Spiritum sanctum esse impie comminiscabantur. Valentinum in crimen vocabant Ariani (p. 583), quod docuisset Filium esse Patris προβολήν, id est, rem emissam, quæ tamen sententia, nisi ab hære- ticis, corrupta mente præditis, ac vix quidpiam sa- num admittentibus profecta esset, benigne fortasse explicari posset. Erat item Valentinus ex eorum nu- mero, qui dicerent Christum δοχῆσε: tantum (p. 728), id est, sola specie et phantasia venisse in mundum; commentum Valentino antiquius, et post Valenti- num inter Dimœrlitarum errores connumeratum. Putabant item Valentiniani (p. 743) Patrem et Spi- ritum sanctum gestasse carnem. Et si nonnunquam iis pugnantia sentire deprehendantur, id solemne hæreticis est, ut, amisso semel veritatis tramite, huc illuc oberrent, et ne secum quidem consistere

(a) Euseb. Pamphil. contra Marcellum, p. 45.

possint : atque item contingit plerumque, ut ejusdem sectæ homines alii aliud apprehendant, et diversa proferant. Cæterum Ptolemæus Valentini discipulus dixit (pag. 482), cum ἀγενήτω, sive cum Deo, duo conjuncta esse, nimirum cogitationem et voluntatem : ac primum cogitasse, deinde voluisse, nec quæ cogitaret potuisse proferre, nisi postquam voluntatis virtus accesserat. Hinc sane, subsequitur Athanasius, doctrinam suam mutuati Ariani, voluntatem et arbitrium Verbo præire volunt. Nam impie censebant Ariani, voluntate et consilio Patrem creavisse Verbum suum.

8. Marcion monarchiam, id est unitatem principii in Deo, in tria principia secabat, qua in re cum Arianis et pneumatomachis consentire videtur. Is Vetus Testamentum negabat; et cum aliis superius memoratis hæreticis affirmabat angelos creasse mundum. Dixit etiam, Christum non verum corpus, sed similitudinem corporis gestasse, quod fuit item Dimœritarum commentum (p. 182, 215, 386, 744).

9. Phrygum seu Montanistarum sententiam hanc ait esse (p. 473), prophetas et alios verbi ministros, cum ea quæ agunt, tum ea quæ annuntiant ignorare.

10. Manichæos sæpissime commemorat Athanasius, hæresinque illorum, ut dicebamus; peculiari quodam opere confutavit. In duo principia inducebant, duoque ἀγέννητα, unum bonum, alterum malum. In hoc affines Arianis, quod sicut Manichæi Deum alium commenti sunt, qui omnia sub aspectum cadentia condiderit (p. 401, 402); ita et Ariani præter Verbum quod est in Patre, aliud sibi Verbum, Filiumque omnium conditorem excogitarunt. Ad hæc autem, hos Manichæorum errores variis in locis (p. 215, 302, 503, 360, 724, 737, 743, 475, 583, 222) enumerat Athanasius. Manichæi legem et Vetus Testamentum negabant, Scripturas sacræ adulterabant, Verbum caruere esse factum, corporeumque illius adventum iudiciabantur; sed δοχῆται seu specie solum advenisse dictabant. Cujus naturam, non vero πράξι, peccatum esse impie affirmabant : nam aiebant peccatum ex natura esse. Nugabantur insuper, ex ignorantia quæsiisse Deum, *Adam ubi es?* et : *Ubi est Abel frater tuus?* Si sit Arianis fides, pulabat Manichæus, Patris prolem esse partem ejus ipsi ὁμοούσιον. Demum ait Athanasius, penes Manichæos nullam esse misericordiam, remque perosam ipsis esse pauperem miserari.

11. Sabellii hæresis disparata omnino ab Ariana, in eo sita erat, quod diceret, nullam in Deo esse personarum distinctionem, Deumque non ὁμοούσιον, sed μονούσιον esse, id est non consubstantialem, sed unius et ejusdem substantiæ non distinctæ personis. Nimirum unum Deum, penes varia officia, Patrem, Verbum seu Filium, et Spiritum sanctum nuncupari (p. 182, 205). Nam vocabat Filium ἀυ-

πύστατον, id est, sine hypostasi, et Spiritum sanctum ἀνύπαρχτον, scilicet sine existentia.

12. Paulus Samosatenus doctrinam sectatus est Artemæ ejusdam, affirmantis Christum esse merum hominem. A quo Artemæ, sive Artemone, ait Athanasius (p. 586) posita fuisse fundamenta Arianae hæreseos. Paulus autem Samosatenus aiebat, Christum non fuisse antequam fieret, et hominem tantum esse perinde atque cæteros homines, atque Patri externum (p. 339, 349, 379, 475, 180). Ex discipulis porro ejus erant quidam magistro ipso nugaciores, qui Verbum a Filio separarent. Ut ait autem Athanasius (p. 606), cui accinit Basilus (a), ideo Patres Antiocheni vocem ὁμοούσιον repudiaverunt, *quia Paulus arguari vellet ac diceret: Si Christus non ex homine Deus factus est, ergo consubstantialis est Patri, atque hinc necesse est tres esse substantias, unam priorem, duas vero ex illa procedentes. Ideoque illud Pauli sophisma caventes dixere Christum non esse consubstantialem; neque enim Filius ita erga Patrem se habet, ut ille cogitabit.*

13. Rhetorius Ægyptius prodigii similem induxit sententiam, quam memorat Philastrius. Putabat enim omnes hæreses optimas, omnes hæreticos probe sentire. Quæ sententia ita portentosa Athanasio videtur (p. 759), ut ne commemorare quidem ipsam velit. Illius sectatorum summam infrequentiam fuisse verisimile est. Nam exigua permansit hominis memoria.

14. Hieracas item Ægyptius aiebat Filium ex Patre esse, ut lucernam ex lucerna, ut lampadem in duo distinctam (p. 583). Quæ tamen tolerari forte potuissent, nisi insolentia dicti in suspicionem erroris vocaretur. Ad hæc autem, si fides auctori libri *Contra omnes hæreses*, qui inter spuria ablegatus est (t. II [IV], p. 186), nuptias rejiciebat Hieracas, ac Vetus Testamentum negabat.

15. Meletii nullus initio error contra fidem erat : sed hominis ambitus, scelus, protervia, totam Ægyptum in perniciosum dissidium conjecit. Verum in ordinem a synodo Nicæna redacti Meletiani, stimulante dolore amissæ dignitatis, societatem ineunt cum Arianis; et dum communis rei gerendæ studio mutuas darent operas, demum Meletiani ex frequenti Ariatorum usu et familiaritate veræ fidei jacturam fecerunt. Horum historia pluribus in *Vita Athanasii*; quamobrem missis aliis, famosam illam de receptis in Nicæna synodo Meletianis quæstionem obiter attingamus. Apud Theodoretum igitur in epistola Nicænae synodi fertur, eos qui a Meletio ordinati fuissent, sanctiore manuum impositione confirmatos, *μυστικωτέρῳ χειροτονίᾳ βεβαιωθέντας* ad communionem statis conditionibus admissos fuisse. Hinc controversiæ, hinc pugnæ : aliis collatas per Meletium ordinationes, irritas arbitrantibus; aliis veras opinantibus, sed ritu quodam confirmatas. Nonnihil fortasse lucis huic controversiæ afferant hæc Pseudo-

(a) Basil. epist. 300.



Justinī verba (a) : Τοῦ αἱρετικοῦ ἐπὶ τὴν ὀρθοδοξίαν ἐρχομένου τὸ σφάλμα διορθοῦται· τῆς μὲν κακοδοξίας τῆ μεταθέσει τοῦ φρονήματος· τοῦ δὲ βαπτίσματος τῆ ἐπιχρίσει τοῦ ἁγίου μύρου· τῆς δὲ χειροτονίας τῆ χειροθεσίᾳ· καὶ οὐδὲν τῶν πάλαι μένει ἄλντον· Id est : *Cum hæreticus ad sanam fidem accedit, sic erratum ejus purgatur : pravæ doctrinæ scilicet mutando sententiam ; baptismatis per unguenti sacri unctionem ; ordinationis vero per manuum impositionem, ita ut nihil ex prioribus abrogetur.* Quod si hæreticorum ordinationes inter irritas non numerabantur, multo minus schismaticorum qui nihil in fide peccarent. Μυστικώτερα autem, sive sanctior aut secretior ideo nuncupari videtur iterata illa manuum impositio, quia a sanctis et catholicis præsulibus collata. Ingentis operæ foret rem pro dignitate agere, quæ nos a cursu destinatæ viæ revocaret.

16. Colluthiani a Collutho, qui presbyter cum esset tantum, eo erupit audaciæ, ut presbyteros constituendi sibi facultatem vindicaret; ac multis ejus cupidini suffragantibus præset invito Alexandro episcopo (p. 153, 154). Imo etiam contra sanam fidem peccabat, cum perspicuum sit non inesse presbytero hujusmodi facultatem. Colluthiani perinde atque Meletiani ad Arianorum partes confluerunt.

17. Marcellus Ancyranus (p. 118, 150, 494, 506), quicum Athanasio diuturnus usus et familiaritas intercessit, Arianorum hostis acerrimus, in crimen novatæ doctrinæ ab ipsis vocatus est. Eusebius autem Cæsariensis, jussu Constantinopolitanæ synodi Arianae, ut testificatur ipse, Marcelli librum *Περὶ ὑποταγῆς Κυρίου*, id est, *De subjectione Domini* inscriptum insigni volumine exagitavit. Atque in ipso sui operis exordio, livoris odium erga fratres Marcellum incusat in his verbis, Ἡ ὑπόθεσις αὐτῷ τῆς γραφῆς *μισαδελφία κατέστη· τὸ δὲ ταύτης αἴτιον ζήλος καὶ φθόνος.* Hoc est : *Argumentum hujusce libri scribendi ipsi fuit odium in fratres : causa vero ejus edendi livor et invidia.* Ejus porro doctrinam his de causis in crimen vocat : quod affirmet, Verbum non ante fuisse Filium, quam carnem assumeret; Patrem et Filium unum esse ὑποστάσει· nullam esse Filii existentiam; Christum ante ascensionem non fuisse Dei imaginem : ait etiam illum Sabellii errore imbutum esse, etsi non semel ille Sabellium oppugnet. Impie quoque in Marcellum invenitur, quod Verbum æternum esse dicat. Viro item vitio vertit, quod Deum dicat esse τριπρόσωπον, quæ tamen sententia ex æquo et bono accepta vera est et catholica. Verum hæc omnia Eusebius ex Marcelli scriptis hinc inde excerpta collegit, detorta persæpe viri sententia, atque ad pravam doctrinam vi ratiocinii deducta; Eusebius scilicet et ipse suspectæ fidei homo, quem inter Arianorum primipilares receusent Athanasius et Hilarius. Nec defuere tamen ex Ecclesiæ magistris, qui Marcello corruptæ fidei notam inurerent.

(a) Justin. edit. Paris. p. 390.

(b) Basil. epist. 52.

A Basilium enim multis in locis asperè hominem violatæ veræ doctrinæ causa insectatur, ac missis Athanasio sub extremum vitæ ejus litteris (b), ait necessarium videri sibi Marcellum; disparatam Arianæ hæresin invehentem, perinde atque Arium damnari. Unde id certum videatur, Athanasium, etsi suspectam Marcelli fidem teste Epiphonio aliquando habuerit, nondum tamen vitum communionem interdixisse sua cum Basilio hæc scriberet. Et vero testatur Epiphonius, a multis suo ævo in controversiam vocatum fuisse, hæreticusne an catholicus Marcellus esset.

18. Verum si dubia Marcelli, apertissima sane fuit discipuli ejus Photini impietas, qui affirmabat Christum non fuisse ante Mariam, eaque de causa damnatus fuit in variis synodis

19. Agmen claudat Dimæritarum sive Apollinaristarum hæresis, extremis Athanasii vitæ annis exorta; de Dimæritarum nomine non semel alias actum, Eorum porro sententiæ ejusmodi erant. 1° Verbum non assumpsisse carnem humanam; 2° corpus ex Maria natum, esse consubstantialè Verbi deitati; 3° Verbum in carnem, ossa, capillos, et in totum corpus mutatum fuisse : error olim Marcionis; 4° Dominum δοχῆσει solum adventasse in mundum, antiquissima et omnibus retro sæculis vulgatissima hæresis; 5° ipsam deitatem circumcisam et passam fuisse; 6° Verbum nequaquam ex Maria, sed ex sua sibi substantia, corpus efformasse; 7° qui ait Domini corpus ex Maria esse, non trinitatem, sed quaternitatem admittere. Ab argumentis autem adversum pugnantis referendis abstinemus, quoniam hosce errores dilucide et naviter Athanasius propulsat in *Epistola ad Epictetum*, et in elegantissimis *contra Apollinarium* libris. Ipse autem Apollinarius, superstitè Athanasio, ejus captandæ amicitia gratia, catholicam fidem ementiebatur; ita ut etiam Athanasius, fraude veteratoris deceptus, Timotheum ejus discipulum Damaso papæ commendaret, teste Facundo Hermianensi, cujus hæc verba sunt (c) : *Nam et si legere alia dignentur qui legenda conscribunt, invenient etiam Timotheum Apollinarius discipulum, a beato Athanasio per ignorantiam, temporibus beati Damasi, sedi apostolicæ velut orthodoxum commendatum : atque ab ipso papa Damaso sine cohibentia hæresis simpliciter esse susceptum.* Verum si fragmentum illud in *Matthæum* jam primo publicatum pag. 1006 (ubi ad hæc Scripturæ verba, *Surgens accipe puerum*, dicitur his argui Apollinarium qui dixit animam intelligentiæ capacem non inesse Christo), Athanasii vere sit, sub finem vitæ ejus conscriptum fuerit, ac recte arguerit Athanasium sub extremum vitæ Apollinarii impietatem odidisse; nisi forte dicatur eum, qui hæc in *Matthæum* expositiones ex variis ejus operibus consarcinavit, nomen Apollinarii suo Marte adjecisse.

(c) Lib. vii.

VI.

*De disciplina Ecclesiae Athanasii aeo, ex ejus scriptis συνοπτικῶς.*

1. Grandis otii res esset, quarti saeculi disciplinam ecclesiasticam, tot controversiis implicatam, minutatim ac pro rerum singularum dignitate commemorare : neque tamen horreret animus ab hujusmodi studio et labore, si aliqua venirent seriae. Verum in praesenti, pro instituti mei ratione, id mihi negotii credo solum dari, ut quae de consuetudine Ecclesiae Athanasius vel pluribus agit, vel tangit obiter, recenseam accurate, iis plerumque additis, quae scitu opus sunt ad Athanasii locorum intelligentiam.

2. *Sacrorum celebratio* (p. 100, 261, 88, 117, 298). — Mos erat illo aeo in secretiore aliqua ecclesiae parte sacra facere, qui locus *ερατειον* sive *sacrarium* dicitur. Significabatur item eo nomine caelus ministrorum altaris. Exempla vide in *Onomastico*. Altare autem seu mensa, utroque enim nomine notatur, aut lignea erat, aut lapidea, ut innuere Athanasius videtur cum ait: *Εἶτα ὡς τὸ δλον τῆς ἐντολῆς πληροῦντες, τοῦτο γάρ ἦν τὸ σπουδαζόμενον, τοῦτο καὶ κόμησι καὶ ὁ καθολικὸς παρήγγελλον ἀρκάσαντες τὰ συμφέλλια, καὶ τὸν θρόνον, καὶ τὴν τράπεζαν, ξυλίνην γάρ ἦν, καὶ τὰ βῆλα τῆς ἐκκλησίας, τὰ τε ἄλλα ὅσα ἡδυνήθησαν ἐξενέγκαντες ἔκαυσαν.* Id est : *Hinc quo penitus mandatum exsequerentur (hoc namque illis cordi erat, hoc item comes catholicusque, praecipiebani), subsellia, thronum, mensam, nam lignea erat, vela ecclesiae, ac caetera quae potuere, direpta et asportata combusserunt.* Ubi illa exceptione, nam lignea erat, indicat ex alia materia nonnunquam extrui altaria, scilicet ex lapide. Ligneum altare memorat item Optatus Milevitanus (a) ubi ait : *Quis fidelium nescit, in peragendis mysteriis ipsa ligna linteamine cooperiri ? Inter ipsa sacramenta velamen potuit tangi, non lignum. Aut si tactu possit penetrare velamen, ergo penetrantur et ligna. Si penetrari possunt ligna, penetratur et terra. Si a vobis lignum raditur, et terra quae subter est foditur. Altam facite scrobem, dum pro vestro arbitrio quaeritis puritatem. Sed observate ne veniatis ad inferos, et illic inveniatis Core, Dathan et Abiron schismaticos, magistros scilicet vestros. Ergo et fregisse vos et rasisse constat altaria. Quid est quod in hac re vester quasi languere visus est furor ? Videmus enim vos postea mutasse consilium, et altaria a vobis jam non frangi, sed radi tantummodo aut removeri.* Unde propalam sit, illa tempestate usu receptum fuisse ut altaria lignea essent, non omnia quidem, sed lapidea quoque alia deprehenderentur, ut Athanasii exceptione exploratum videtur, et ut diserte ait Chrysostomus hom. 20 in II ad Corinthios.

3. *Synaxis* (p. 105, 156, 116). *Locus plebi deputatus in ecclesia* (p. 105, 312). *Thronus episcopalis* (p. 265, 109). *Cerei et candelabra* (p. 90).

(a) Optat. lib. vi contra Parmenianum.

A — Mos item in Aegypto illa aetate fuit, ut non nisi Dominico die sacra adirentur : qui sacrorum usus συναξις Graece vocabatur, varia exinde nomina consecutus. Non licitum catechumenis, multoque minus gentilibus et Judaeis erat, oblationi aut sacris rebus interesse. Sacrum calicem populis episcopi propinabant, ministrantibus, ut vero simile est, diaconis. Erant populares omnes, excepto clericorum caetu, sacrarii aditu interclusi. Intra sacrarii ambitum suggestus ligneus erat, θρόνος dictus, editior, quo prospectus episcopo ad plebem esset; atque, ut videtur, proxime populares positus; ut hinc clerus, inde populus episcopi conspectibus pateret. Ut episcopale munus decebat, erat thronus (apetibus velaminibusque circumquaque exornatus, ἐπισκοπικῶς ἐστολισμένος et quidem, ut ex Athanasii verbis augurari licet, muro defixus, quo firmius consisteret. Erat ecclesia velis aut ad ornatum, aut ad usum quemlibet instructa, itemque subselliis atque cancellis ad populi commodum. Cerei et candelabra haud semel memorantur; et quidem, ut videtur, ad rem sacram deputata, nec nisi cum honore tractari solita. Hinc queritur Athanasius, candelabra ecclesiae ad parietem reclinata fuisse, ac si rei saerae violatae Arianos accusaret. Quem usum cercorum ad rem sacram in Occidente suo aeo fuisse negat Hieronymus (b), conceditque tamen in Oriente admissum fuisse. Frequenti ac vulgato usu, cum metus instaret, aut incursionis formidine populi agitantur, oleum, vinum, facultates deportabant in ecclesias ceu in perfugii ac praesidii loca.

4. *Baptisterium* (p. 90). *Fidei confessio in baptismo* (p. 92). — Baptisterium in ecclesia erat, muro aut saltem septo ligneo clausum. Nam queritur Athanasius, Judaeos in baptisterium dum conflagraret ingressos. Qui sacro baptismo tingebantur, hanc perbreve ceu fidei formulam recitabant : *Credo in Deum Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum Filium ejus unigenitum, et in Spiritum sanctum.* In extremo vitae baptismus quamplurimis conferebatur, in quam consuetudinem acerrime invehitur Augustinus. Erant tamen qui ad obitum usque rem non extraherent, ut in loco superius allato videre est et in *Vita Athanasii*.

5. *Delectus episcopi* (p. 88, 102, 117, 207, 210, 281). — Mos erat, ut episcopus deligeretur a populo et a clero : et quidem ex caetu cleri ejusdem civitatis, in eaque baptizatus, educatus, populis notus, ipsisque acclamantibus. Qua in re tamen non una consuetudo, non mos ubique idem. Jam enim eo tempore homines erant honoris quam officii cupidiores, qui in episcopatus involarent, vi, pecunia, gratia et patrocinio. Et frequens illa tempestate fuit, homines videre, qui de ambitu postulabantur, in synodis. Nec impune erant qui non trita via gradus ecclesiasticos adirent. Exteriore quadam nota episcopi, etiam cum decumberent ac somnum cape-

(b) In lib. contra Vigilantium.

rent, dignoscebantur; sed quæ illa nota esset ignoratur. Tres episcopi, recepto et vulgato more, ordinabant eum qui a populis allectus esset. Verum instante hæreticorum formidine, cum non liberi aditus essent ad eam civitatem, unus poterat officio tali defungi, ut exemplo Siderii animadvertere est ad annum 371. Nefas erat episcopum, nisi suprema necessitas urgeret, episcopatum deserere: *Cum Scripturas legeris, ait pulchre Athanasius Constantium alloquens, nosti quantum illud sit criminis, episcopum Ecclesiam deserere suam, Deique ovilia non curare. Pastorum enim absentia gregis invadendi occasionem lupis præbet.* Et cætera quæ bene multa adjicit ille.

6. *Res nefaria episcopatum emere* (p. 309).— Pro nefario et execrando habebatur, episcopalem dignitatem pactione pecuniæ nancisci. Malum Athanasii ævo totam pervaserat Ægyptum, Meletianis, corruptissimis viris, venales ecclesiasticas dignitates proponentibus. Neque curabant impii homines an catechumenus esset, an gentilis, qui tale munus postulatum accedebat, aurum modo daret; nam

*Quid faciant leges, ubi sola pecunia regnat?*

leo autem viri ne quidem Christiani, ac nulla mentis ingeniique dote commendati, dignitatum ecclesiasticarum cupidine flagrabant, quia immunes clericis, multoque magis episcopi, erant a publicis operibus ac vectigalibus: atque ut conjicere licet, pinguioribus fundi et majores opes erant Orientalibus episcopis attributæ quam Occidentalibus; nam horum plerique laborabant inopia rei familiaris, ut vix ad vulgarem plebeiumque usum necessaria suppeterent (p. 579).

7. *Commutatio episcopatum illicita* (p. 102, 114, 131).— Non licitum episcopis erat ad aliam, maximeque ad ampliorum civitatem transire. Qui id ageret, priorem etiam quam occupabat Ecclesiam amittebat, ἀκυρώσας αὐτήν, utriusque scilicet ecclesiastico jure jacturam faciebat: ac perinde atque mœchus, qui alienæ uxori, despecta sua, cupiditatis oculos adjiceret, abdicabatur. Lex tamen impune ab Eusebio violata est.

8. *Perlustratio locorum per episcopos* (p. 108, 151, 147, 121).— Episcopus comitante clero, suæ ditionis loca, ordinis ac veræ fidei servandæ causâ, frequens lustrabat. Imo legimus in *Vita Pachomii*, Athanasium, utpote Ægypti totius metropolitanum, initio episcopatus sui Thebaidem perlustrasse, ut infirmos in vera fide atque vacillantes recrearet, atque ad meliorem applicaret partem. Non licebat episcopis citra sententiam metropolitani sui decretum ullum edere, quod vel episcopos, vel rem communem spectaret. Ait Julius papa, id esse moris, ut ne de causis quibusdam (quas majores vocamus) inconsulto Romano pontifice judicetur. Hæc ejus verba sunt querentis de Athanasii abdicatione: Ἡ ἀγνωστὴ ὅτι τοῦτο ἔθος ἦν, πρότερον γράφεισθαι ἡμῖν, καὶ οὕτως ἔνθεν ὀρίζεσθαι τὰ δίκαια; id est: *An ignoratis eam fuisse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, ac deinde*

*A quod justum est decernatur?* Et sane hujusce moris luculentum videmus exemplum ex tertio sæculo petitum: ubi Dionysius Alexandrinus, cum cujusdam epistolæ causa in suspicionem natus sanæ doctrinæ vocaretur, ad Dionysium Romanum ab Alexandrinis fratribus delatus est.

9. *Archiepiscopi nomen* (p. 148).— Archiepiscopi nomen in *Breviario* Meletii primum reperimus usurpatum. Post enumeratos enim alios aliarum civitatum episcopos, quos ausu temerario et insolenti, invitoque metropolitano, ordinavit ipse, de Joanne hæc Meletius ait: Ἐν Μέμφι Ἰωάννης κελευσθεὶς παρὰ τοῦ βασιλέως εἶναι μετὰ τοῦ ἀρχιεπισκόπου, id est: *Memphi, Joannes jussus ab imperatore ut esset (sive maneret) cum archiepiscopo.* Dixi in notis ad eum locum, Joannem juberi cum Meletio, qui archiepiscopi nomen aut jure obtinebat aut usurpabat, consistere atque una manere. At vidi secundo hæc emunctissimæ naris hominem, qui his de causis isthæc ad Alexandrum Alexandriæ archiepiscopum, cui *Breviarium* suum tradidit Meletius, spectare existimat, quia scilicet archiepiscopi nomen ad Alexandrinum quam ad Lycopolitanum præsulem potius pertinet. Itidem cum Meletius prima persona loquens *Breviarium* ordiatur hoc pacto, Ἐγὼ Μελέτιος ἐν Λυκῶ, hic dicturus erat, ὁ κελευσθεὶς εἶναι μετ' ἐμοῦ, non, μετὰ τοῦ ἀρχιεπισκόπου, si quidem hæc verba Meletii essent; sin

glossema sit Athanasii, nunquam Athanasius Meletium vocaturus erat archiepiscopum. Ad hæc, verisimilius est Joannem petulantem virum, turbamque auctorem, jussum fuisse manere cum Alexandro, ubi nullus motuum locus, nulla turbandi via fuisset, quam apud Meletium, turbulentum et ipsum procacemque hominem. Verum isthæc, ut erudite observata sunt, non tanti mihi videntur esse, ut animum alio conferre suadeant. Nam archiepiscopi nomen quod spectat, ne semel quidem vel in Alexandri epistolis, vel in operibus Athanasii, in usu reperimus: quo conjectura nascitur hæc verba esse Meletii qui totum *Breviarium* descripsit; nec antequam hæc proferantur, loquendi finem fecisse videtur. Quid quod certum est Meletium archiepiscopi nomen usurpasse? Epiphanius enim, qui suam de Meletianis historiam ab aliquo illius sectæ homine hausisse videtur, ita scilicet laudibus celebrat vel petulantissimos Meletianorum, Meletium ipsum ita exornat, ὁ δευτερεύων τῷ Πέτρῳ κατὰ τὴν ἀρχιεπισκοπήν, hoc est, *qui secundas post Petrum in archiepiscopatu obtinebat.* Et alio loco: Μελέτιος ὁ τῆς Αἰγύπτου ἀπὸ Θεβαίδος δοκῶν εἶναι καὶ αὐτὸς ἀρχιεπίσκοπος. *Meletius qui in Thebaide Ægypti regione archiepiscopus et ipse erat.* Nam vox δοκῶ, uti observamus in *Onomastico*, frequentissime nihil minuit affirmationem. Quamobrem cum exploratum sit Meletium sibi archiepiscopi nomen arrogasse, et nusquam Alexander aut Athanasius illud memoraverint, aut sibi attribuerint, annon potius hic vox ἀρχιεπίσκοπος videatur esse Meletii, qui superius

ad hanc usque vocem verba fecit, quam Athanasii? Quod autem Meletius in prima persona loquatur initio *Breviarii*, hic vero in tertia, quid hac ἀναλλαγῆ frequentius, et quot vel ex Athanasii scriptis afferri possent consimilia exempla? Unum esto satis. In *Historia Arianorum ad monachos* (p. 281) hæc ille: Εἶτα μετὰ μῆνας που δέκα τελευτήσαντος Γρηγορίου, μεταπέμπεται καὶ Ἀθανάσιον μετὰ πάσης τιμῆς, οὐχ ἄπαξ, οὐδὲ δεύτερον, ἀλλὰ καὶ τρίτον γράφας αὐτῷ μὲν φιλικὰ, δι' ὧν θαρσεῖν καὶ ἐλθεῖν προέτρπε· πέμπει τε πρεσβύτερον καὶ διάκονον, ἵν' εἴη μᾶλλον θαρρῶν ἐπανέλθοι, ἐνομίσει γὰρ διὰ τὸν φόβον τῶν πρότερον γενομένων ὀλιγωρεῖν με περὶ τὴν ἐπάνοδον. Γράφει δὲ τῷ ἀδελφῷ ἔκτου Ὁ Κωνσταντι, ἵνα καὶ αὐτὸς ἐπανελθεῖν με προτρέφῃται. Διεβεβαίουτο γὰρ ἐν αὐτῶν ὄλον ἐκδέχουσαι τὸν Ἀθανάσιον. Id est: *Hinc post decem circiter menses, defuncto Gregorio, Athanasium cum summo honore accivit, cui non unas, aut binas, sed ternas misit litteras amicitia plenas, quibus hortabatur illum ut cum fiducia accederet. Misit quoque presbyterum diaconumque, ut majore animi securitate rediret: ratus me, ob ante gestarum rerum formidinem ægre reversurum. Scripsit etiam fratri suo Constantii, ut me et ille ad remigrandum cohortaretur. Affirmabat enim se anno integro Athanasium expectavisse.* Hic vides paucarum linearum spatio a tertia ad primam, a prima rursus ad tertiam personam regressum dari. Ad hæc autem, si Athanasius hæc glossematis more adjecisset, cum ignorantibus, multo post datum *Breviarium* annorum spatio, scriberet, non videtur ita perplexe locutus fuisse. Contra Meletius, absoluta Nicæna synodo, mox *Breviarium* dedit, et de re manifestissima loquens paucis rem tetigit. His comprobatis, vix crediderim hic vocem ἀρχιεπισκοπος intelligi de Alexandro, sed de Meletio putarim. Idque suadere videtur historia hujusce temporis: nam tribus post Nicænam synodum mensibus Joannes ab ipso Meletio orator ad imperatorem missus est. At si jussisset Constantinus Joannem proxime Alexandriam Alexandria consistere, an legatum a Meletio æquo excepisset? Annon potius existimes Meletium imperatori legatum talem misisse, qui jussu ipsius penes se degeret? Utra conjectura melior lectori erudito æstimandum relinquatur.

10. *Frumenti largitio* (p. 109). — Frumentum a Constantino primum in usum viduarum egenorumque erogatum, ab episcopo tribui solebat, qui clericis hac in re administris utebatur.

11. *Memoria episcoporum*. — Mos erat defunctorum episcoporum, qui cum laude vitam egerant, nomina in album reponere.

12. *Clericorum officia* (p. 13, 300, 301). — Clericorum, scilicet presbyterorum, diaconorum et subdiaconorum officia hæc erant: ægros invisere, eos qui in extremo positi necdum baptizati essent sacro lavacro tingere, quod ad presbyterosne solos pertineret, altum silentium. Clerici item erant, qui

A egeni et vidui in assignato loco, et quidem in ræ ecclesiæ septum, sedentibus victum erogarent.

13. *Forenses judices* (p. 124, 137, 141). — Forenses judices arcebantur a causis ecclesiasticis, quæ tamen consuetudo, cum magno res in motu essent, sæpe violata fuit. Presbyteri ac clerici, multoque magis episcopi, gaudebant ἀλειτουρησιᾶ, id est immunitate a publicis operibus. Clerici in sacrorum officio stichariis lineis utebantur, quod vestis sacræ genus pluribus describitur in *Euchologie* Coari.

14. *Pervigilia* (p. 103, 511). — Ab ipsis primordiis more receptum erat pervigilia celebrare, quæ πανυχίδας vocabant. Nocte scilicet cum magnam solemnitatem, tum Dominicam in qua synaxis habenda erat, præcedente, in ecclesias confluere, pernoctabantque, orationibus et psalmis vacantes. Episcopus in throno sedebat: jussu ejus diaconus psalmum incipiebat ad medium usque versus: tum populi diacono respondebant, atque extrema versusum prosequebantur. Inter cantica Ecclesiæ, principem obtinebat locum ἡ δοξολογία, scilicet hic versus, Ἅγιος, ἄγιος, ἄγιος, Sanctus, sanctus, sanctus (p. 86), cui etiam τρισάγιον nomen fuit. Doxologia vero Hierosolymitana hæc verba complectebatur: Ὁ Κύριε, σῶσον δὴ, ὦ Κύριε, εὐδόωσον δὴ, ἡὺλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι Κυρίου. O Domine, salutem da, o Domine, bene prosperare, benedictus qui venit in nomine Domini. Mos erat inter orandum nianus extendere (p. 241).

15. *Cœmeteria* (p. 581, 689). — Cœmeteria loca sacra erant, in quibus Catholicorum tantum corpora humare licitum erat. Consuetudo a priscis usque idolorum temporibus, condiendi corpora defunctorum, atque in lectis reclinandi, adhuc obtinebat apud Christianos Ægyptios. Quem morem acerbissime insectabatur sanctus Antonius, monachorum pater, et curabat apud episcopos, ut subditos suos a simili ritu deterrerent.

16. *Signum crucis* (p. 2, 642). — Signum crucis passim usu veniebat apud Christianos, eoque sancti viri ad mirabilia patranda dæmonesque fugandos utebantur. Vis illius non semel memoratur celebraturque.

17. *Synodorum ritus* (p. 103, 110, et in *Vita Athanasii*). — Synodi pro veris ac legitimis non habebantur, si episcoporum maxima pars ejus qui reus agebatur inimici essent; si depositi, vel idololatricæ crimini obnoxii; si vis quædam sæcularis conventum moderaretur. In templis celebrari solebant: quamobrem haud immerito carpuntur Ursacius et Valens, qui in Augusti palatium synodum Mediolanensem ex ecclesia transtulerunt. Officium diaconorum erat eos in synodum intronittere, quorum causa agebatur. Synodorum cogendarum hæc causæ erant: hæresis oborta, grandis quædam de ecclesiastica disciplina controversia, qualis fuit illa de Paschate in synodo Nicæna; ingens cujuspiam episcopi flagitium; encænna templi recens ex-

ciati celebranda. In synodiis vulgo edebantur fidei formulæ (p. 157, 586). Experientia quarti maxime sæculi compertum fuit, synodorum nimiam frequentiam plus ad perniciem quam ad commodum Ecclesiæ contulisse. In fidei formulis non temporis nota præmitti solebat, non imperatoris consulumve nomina. Quapropter cum Valens, Ursacius aliique præsules, quotidiano aulae Cæsareæ usu ad nimiam assentationem eruditi, Constantii nomen, cum odiosa æterni nuncupatione, fidei formulæ præfississent, in crimene ea de causa haud abs re vocantur ab Athanasio (p. 619). Qui episcopi synodo interesse non poterant presbyteros aut diaconos mittebant actum quæ agenda oporteret: aliqui etiam monachos.

18. Synodo reorum exilium aut eadem decernere curareque non licitum erat (p. 103). Nicæna synodus concessit (p. 112), ut acta prioris synodi in subsequenti expendere, ut caute priores definirent, quæ post examini subjectum iri noverant. Signum communionis erat, alicui litteras mittere, missasque ab eo recipere: quare in synodo Sardicensi prohibetur litterarum usus cum hæreticis. Precari cum hæreticis vetitum erat: et si quis id facinoris admitteret, cum illo pariter precum usus interdictus erat. Lapsi in hæresim hac lege recipiebantur, ut si qui impietatis auctores patronive fuissent, iis venia quidem, non locus tamen restitueretur aut gradus pristinus in clero; iis vero qui vi aut necessitate compulsi ad hæreticos descivissent, et venia respicientibus daretur et locus pristinus. Eunuchos vetabat lex ad ecclesiasticum prorsus consilium admitti (p. 93, 110, 772, 768, 769, 290).

19. Tria videmus isto ævo per quidem mira atque insolentia. Epistolam Alexandri (p. 313) sic inscriptam: *Alexander presbyteris diaconisque Alexandriae et Mareotæ, præsens præsentibus, dilectis in Domino fratribus, salutem*: datam scilicet illis qui præsentibus aderant. Litteras Alexandrinæ synodi, anno 362 missas (p. 619) ab Eusebio et Asterio cum aliis ea in synodo tum versantibus, ad seipsos ad Antiochenam synodum properantes, hac forma: *Athanasius, Eusebius, Asterius... Lucifero, Eusebio, Asterio, etc.* Denique morem Ægyptiorum præsulum subscribendi pro absentibus, si quando synodum celebrarent (p. 718).

20. *Exsules, martyres* (p. 261). — Quotquot tyrannorum Christianæ religionis furorem declinantes, profugi interirent, martyrum loco habebantur.

21. *Monachi* (p. 634). — Monachi perpauci in Ægypto, ac pene ignoti fuerant, ad initium usque quarti sæculi. Eo namque tempore Antonius innumeros exemplo suo ad eam vitæ rationem deduxit. Pachomius item in extremis Thebaidos partibus cœnobia excitavit quamplurima, ac numerosa cœnobarum sodalitia. Ammonius etiam in Nitria monasteria exstruxit frequentissima, sed paucorum sigula monachorum. Ex Ægypto Romam demi-

grare cœpit institutum hujusmodi anno 341, cum Athanasius eo profectus, Ammonium et Isidorum monachos virtutis eximia, viæ sibi comites ascivit (a). Quorum prior tanta erat humanarum rerum incuria; ut, etsi Romæ amplitudo omnes vel longe terrarum situs homines ad sui spectaculum evocaret, ille tamen amphitheatra, plateas et opera publica, Romæ degens, ne conspectum quidem ire vellet. Is ipse Ammonius est, qui postea ad episcopatum evocatus, abscissa sibi aure, ad eam dignitatem mutilatione corporis sibi aditum præclusit. Hinc vero colligas, ejusmodi vitium corporeum impedimento fuisse, ne quis episcopus constitueretur. Isidorus autem non minore virtutis fama et fluxarum rerum abdicatione florebat. Tum cœpit monasticus ordo in Occidente frequentari, ita ut paucis post annis monasteria permulta ubique locorum excitarentur, quorum frequentiam memorare videtur Athanasius sub initium *Vitæ Antonii*. Permultos circa medium quarti sæculi cum Alexandria, tum in locis circumpositis fuisse monachos palam videtur esse: nam in tumultibus per Arianos excitationis monachi semper asperse accepti feruntur. Tanta erat virtutis monachorum fama, ut honoris causa episcopi interdum ipsis in sacrario cum clericis locum darent. Ait enim Athanasius (p. 265), monachos et clericos, qui secum intus aderant quando Syrius cum exercitu ecclesiam circumscedit, in thronum ubi sedebat ipse conscendisse, atque vi extractum inde ferro inimicorum proripuisse. Ex monachorum numero permulti in episcopos allecti Athanasii ævo, tali munere cum laude perfuncti sunt (p. 210). Quorum unus Serapion erat, is ipse fortasse, quicum Athanasius conjunctissime vixit, videlicet Thmuitanus. Monachi omnes ascetæ vocabantur: sed an ascetæ omnes monachi tum essent, incertum. Opinor sane multos fuisse, qui Antonium ἀσκήσεως, sive exercitationis causa adirent, qui exinde tamen vitam monachi non inibant. Talisque fuisse videtur Athanasius, asceta scilicet nec modico tempore cum Antonio versatus, qui tamen nusquam monachus fuisse memoratur (p. 102, 665).

22. *Cœtus virginum* (p. 634, 20, et in *Vita Antonii*). — Ab ipso tertio sæculo cœtus erant virginum, quæ in corporis integritate consenescebant. In earum numero versabatur soror B. Antonii, quæ demum in præfectam cœnobia allecta fuit. Erant item aliæ virgines per urbes et pagos, quæ a tenera juventute voto virginitatem suam Deo offerebant. Virgines porro maforte, sive μαφορτω, aut velo operiebantur: et grandis injuriæ loco habebatur, si quis virginum capita nudaret.

## VII.

*Varia explicantur.*

1. Ad pag. 111 de Danio pauca tetiginus; et quia vulgaris opinio nostræ penitus adversatur, res est pluribus et accuratius explananda. Julius, litteris

(a) In *Vita Athanasii* ad hunc annum.

Orientalium provocatus, qui synodum ad Athanasii A causam expendendam postulabant, eosdem Romam ad synodum ibidem celebrandam evocat. Superbe illi Romanum iter detrectant, atque inter alias querelas, hanc futilem afferunt, Julium scilicet Eusebio soli, factiosorum antesignano, litteras suas nuncupasse. Litteras ille denuo mittit hac inscriptione : *Julius Danio, Flacillo, Narcisso, Eusebio, Muri, Macedonio, Theodoro, etc.* Quæritur quis iste Danius fuerit. Et primo manifestum est ab amanuensibus vitiatum fuisse nomen, ac varie in manuscriptis exstare. Nannius enim legisse videtur διακόνω, vertit quippe *diacono*. Putant ferme recentiores omnes cum Baronio esse Dianæum Cæsareæ Cappadociæ episcopum. Et sane ait Sozomenus lib. III, c. 5, Dianæum Cæsareæ adfuisse synodo Antiochenæ, quæ anno 341 habita est. Nuncupatur autem ille, cum a Sozomeno, tum a Basilio in epistola ad Bosporium episcopum, Διάκονος, *Dianæus*. Nos autem arbitramur esse Diognium, sive Theognium Nicænum inter factiosos insignem et passim memoratum, qui prior semper recensetur in legatione Mareotica, ubi sex erant legati, Diognius, Maris, Macedonius, Theodorus, Ursacius et Valens. Quod autem Theognius ille *Diognius* etiam vocaretur, planum est. Sic p. 196, ubi memorantur legati Mareotici, legitur : *Diognios, Διόγνιος, Maris, etc.* Similiterque p. 149, Διόγνιος, Μάρης, etc. Et p. 129 Regius codex, quem solum in eam *Apologiam* legimus, habet, διάκονοι Διογνίου, *diaconi Diognii*, ut exinde conspicuum sit promiscue Theognium ac Diognium dici. Certe Hilarius col. 1284 *Diognium* ait, Theognium scilicet indicans. Cum igitur Julius septem Arianorum primipilares hic commemoret, puto hunc Danium corrupte positum fuisse pro Diognio. Nemo eat inficias, hic Julium inter multos episcopos, eos consilio non casu enumerare, qui inter Eusebianos antesignati erant. Quamobrem æque mirum esset inter illos recenseri, ac primas tenere Dianæum Cæsariensem, qui nusquam inter Eusebianos, vel ab Athanasio, vel ab aliis memoratur; atque prætermitti Diognium vel Theognium Nicænum, qui tum in vivis erat et rem strenue gerebat contra Athanasium, facileque secundas post Eusebium hoc in negotio tenebat. Fuitque Eusebio superstes, imo etiam post mortem Eusebii, ejusdem sectæ strenuus vindex. Nam is est qui Macedonium tunc Arianum, postea Pneumatomachorum ducem, episcopum Constantinopolitanum, in Eusebii defuncti locum, ordinavit. Tam proclivi errato Danius ex Διογνίω, quam ex Διανίω, effici potest. Quid causæ igitur fuerit, quod Dianæum hic, Eusebianis peregrinum, potius substituamus quam Diognium, in quem omnes conjecturæ quadrant. Ad hæc Patres Sardicenses in epistola synodali sic habent apud Hilarium col. 1284, num. 2 : *Olim quidem scribentibus Eusebio, Mario, Theodoro, Diognio, Ursacio et Valente, Julio consecratosi nostro Romanæ Ecclesiæ episcopo adversus vrædictos*

*A coepiscopos nostros (dicimus autem Athanasium et Marcellum), ut scripserunt ex aliis locis episcopi nostri, quæ autem ab Eusebio facta sunt, nihil aliud quam falsitatis et mendacii fuisse plena. Nam etsi ex eo quo vocati sunt a Julio episcopo charissimo fratre nostro, claruit noluisse eos venire ex ipsis litteris, quibus eorum mendacia detecta sunt. Venissent enim, si habuissent fiduciam, etc.* His omnino consonat Theodoretus, qui eandem synodi Sardicensis epistolam affert libro II, cap. 8. Athanasius autem, qui eandem affert p. 127, solum Eusebii nomen habet, quia brevitatis causa nomina propria resecare solet, ut videre est hic et alibi. Ex superioribus autem patet, litteras Julii superius memoratas Diognium etiam spectare ut et alios Eusebianos : queritur enim eos noluisse Romam ad synodum accedere, quod perinde Theognio competit atque aliis. Re sic liquido enarrata, erudito lectori iudicium permittimus.

2. Pag. 112, scholiastes quidam ad marginem Regii codicis 2284, in hæc verba : Διὰ τοῦτο καὶ οἱ ἐν τῇ κατὰ Νίκαιαν μεγάλῃ συνόδῳ συνεληθόντες ἐπίσκοποι, οὐκ ἄνευ Θεοῦ βουλῆσεως συνεχώρησαν ἐν ἑτέρα συνόδῳ τῆς προτέρας ἐξετάζεσθαι. Id est, *Quocirca episcopi in magna synodo Nicæna congregati, non citra Dei consilium prioris synodi acta in alia synodo disquiri permiserunt, hæc adnotavit ab annis circiter trecentis, ut ex caractere conjicere licet : Σημειώσαι δὲ οὐκ ἀπατεῖ τὴν ἐκκλησίαν ὡς πάπας καὶ ἄρκυς ἀρχιερέως, ἀλλ' ἀπλῶς ἄξιοι ἐν ἑτέρα συνόδῳ τῆς προτέρας ἐξετάζεσθαι, κατὰ τὸν κανόνα τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου.* Id est : *Nota eum (scilicet Julium cuius sunt superius allata verba) non exigere appellationem, utpote papam et summum pontificem, sed simpliciter postulasse, ut in alia synodo quæ a priore decreta fuerint esquirantur, juxta canonem Nicænae synodi. Ἐκκλησίαν enim dici appellationem ad summum pontificem tritum vulgatumque est.*

Pag. 113. Diximus in notis, epistolam Alexandri episcopi Alexandrini ad calcem operum Athanasii cudendam fore. At secundum hæc mutata sententia, ex re magis visum est eam ante quatuor *contra Arianos orationes*, utpote quæ Arianismi initia spectet, collocare.

Pag. 119. Quam hic in notis vocamus epistolam ad solitarios, ea est quæ suo loco a nobis Athanasii vestigio hærentibus, *Historia Arianorum ad monachos* nuncupata est. Nec prætermittendum est, abs re vocatum in controversiam fuisse, utrum hoc præclarum opus Athanasii sit, an alterius qui jussu Athanasii hæc litteris mandarit. Nam quod dicunt, hic nunquam prima persona sed tertia semper loqui auctorem hujusce operis, illud, inquam, non considerate dictum est. Nam superius locum attulimus pag. xxxviii, in quo Athanasius bis in prima persona sermonem habet. Hæc ultra quam satis dicta sunt.

3. Pag. 152. In subscriptionibus Sardicensibus,

qui septuaginta octo primi recensentur ii sunt qui synodo interfuerunt, neque sunt per provincias distributi, ut alii absentes qui post solutam synodum nomen ascripsere. Palam res est ex Hilarii subscriptionibus (a), quæ eadem ferme sunt, atque illæ in prima classe ab Athanasio locatæ. Pauca tamen omissa nomina sunt in subscriptionibus Athanasii, quæ apud Hilarium leguntur; multoque plura omittit Hilarius, quæ Athanasius enumerat. Quæ apud Athanasium omittuntur, isthæc sunt ex Hilario desumpta: Marcellus Ancyranus, Evagrius a Macedonia de Heracleone, Julius ab Acacia [lege Achaia], de Thebe *Eptapyleos*, nisi sit idem qui Julianus apud Athanasium dicitur. Miror Labbeum (b) hoc loco restitui voluisse, *Eptapoleos*, cum luce clarius sit esse Theben Ἐπτάπολον, id est, *septem portarum*, aut Thebas Ἐπτάπολους, quæ ita vocantur πρὸς ἀντιδιαστολήν Thebarum Ægyptiarum, quæ ἑκατόμυλοι, sive centum portarum erant. De Thebis Græciæ Homerus (c),

Ἡμεῖς καὶ θήβης ἕδος ἄλλομεν ἑπταπόλιοι;  
De Ægyptiacis vero Thebis (d),

οὐδ' ὄσα θήβας.

Διγυγίας, ὄθι πλείστα δόμοις ἐν κτήματα  
[καίται].

Αἰὸν ἑκατόμυλοι εἰσι.

Cochras item ab Achaia, Dionysius. Nam duo sunt Dionysii apud Hilarium, unus apud Athanasium. Verissimus ex iis qui synodo interfuerunt inter Gallos recensetur ab Athanasio. Istos sex episcopos ab Athanasio omissos, si jungas cum 78 quos enumeravit, erunt 84. Iis si addas Euphratam Coloniensem et Olynpium, qui synodo Sardicensi interfuere, et ab Athanasio et Hilario prætermittuntur, 86 reperies. Dominianus idem est qui *Domitianus* ab Hilario dicitur, *Musæus* idem qui *Moy-sius* Hilarii, *Fortunatius* idem qui *Fortunatianus*; *Irenæus* idem videtur esse qui *Lerenius* Hilarii, *Ursicius* idem qui *Ursacius*; *Eutychius* idem videtur esse qui *Euthitius*, et *Eutychus* fortasse idem qui *Titius*: nam apud Hilarium corruptiora nomina sunt quam apud Athanasium. *Asclepius* idem qui *Asclepas Gazensis*.

4. Pag. 139. Paulinus sive Paulum episcopum, qui litteras Ursacii et Valentis ad Julium papam Athanasio transmisit, esse Tiburensem aut Tiburtinum, non Trevirensem antistitem, vix est quod ambigamus. Nam omnes manuscripti et editi, hoc loco *Τιβέρων* habent. Apud Photium autem ex *Eulogio* l. cxxxii, episcopus Tiburensis, aut Tiburtinus, sic vocatur Ἀγαμέμνων ἐπίσκοπος Τιβέρεως: et verisimilius est Tiburtinam vicinam Romæ episcopum, quam Trevirensem tanto itineris spatio dissitum litteras Julii Athanasio misisse. Paulinus autem Trevirensis anno 349, quo data putantur litteræ Ursacii et Valentis ad Julium papam, nondum iniisse episcopatum videtur. In *Historia* porro *Arianorum*

A ad monachos missa legitur, Παύλου ἐπισκόπου Τριβέρων, ubi *Τριβέρων* videtur mendose positum pro *Τιβέρων* ab amanuensibus. Nam quod *Paulus* hic dicitur, qui Paulinus superiore loco vocatus est, forte amanuensium vitio contigit, imo fortasse posterior lectio præstat priori. In *Italia* namque *sacra* Paulus episcopus Tiburtinus memoratur, qui Ursicius pseudopontificem consecravit anno 366. Nannius vertit, *episcopo Tybaris*. Eodem autem loco dele *p*, et lege *Τιβέρων*.

5. Pag. 157. Augustaliana, hoc nomen diximus ex Augustalibus profectum. At licet vox Augustalis antehac plerumque usurpata reperitur, non legimus tamen præfectos Ægypti ante annum 351, quod hæc *Apologia* scripta est. Augustales sine addito vocatos. Quare in incerto res versatur.

6. Pag. 288 dicitur Roma esse metropolis Romanæ, τῆς Ῥωμανίας, ubi Nannius vertit, *metropolis Romanæ dititionis*. Eademque sententia vox isthæc bis usurpatur ab Epiphano, scilicet hæresi lxxvi et hæresi lxxix.

7. Pag. 318. Præter allata in *Monito ad Epistolam ad monachos*, quibus defenditur diversum illud opus esse a quatuor *Orationibus contra Arianos*, aliæ suppetunt gravissimæ rationes quæ idipsum suadeant. Nam illud ad monachos missum opus velat Athanasius cuiquam exhiberi: hæc autem quatuor orationes, ut cuique legenti palam erit, ita concinnatæ sunt, ut publicis controversiis destinatæ laud dubie fuerint. Ac secunda adornata fuit ad ea confutanda, quæ adversus primam Arianam obtendebant. Tertia similiter est secundæ defensio. Et sane non publicæ modo fuere; verum etiam, ut ex ordiendi ratione conspicuum, diversis temporibus, ut res et usus postulabat, adornatæ; ita ut altera alterius occasio fuerit.

Pag. 632. Ex quo *Antonii Vita* edita fuit, in codices Latinos varios incidi, in quibus legitur, *non paululum temporis cum eo feci*. Hæc porro Evagrii versio tametsi libera admodum, et sententias modo resecat, modo adauget, hoc in loco κατὰ πόδα consecatur. Unde magis magisque adaugetur animus mihi, ut eam lectionem germanam existinem.

8. In *Monito ad Vitam Antonii* omisimus præclarum Justiniani Imperatoris locum ex tractatu *adversus Origenis errores*, qui sic habet: Εἶπε δὲ καὶ ὁ ἐν ἀγίοις Ἀθανάσιος ἐπίσκοπος καὶ αὐτὸς Ἀλεξανδρείας γενόμενος ἐν τῷ λόγῳ τῷ *Εἰς τὸν βίον τοῦ μακαρίου Ἀρταρίου* ταῦτα: « Πῶς δὲ χλευάζειν ἡμᾶς τολμάτε λέγοντας τὸν Χριστὸν ἀνθρωπων πεφανερωσθαι ὅπου γε ὑμεῖς ἐκ τοῦ νοῦ τὴν ψυχὴν ὀρίζοντες, φάσκετε πεπλανῆσθαι: αὐτὴν καὶ πεπτωκέναι ἀπὸ τῆς ἀψίδος τοῦ οὐρανοῦ εἰς σῶμα; » Id est: *Dixit autem sanctus Athanasius, qui et ipse episcopus Alexandriæ fuit, in libro De Vita beati Antonii: « Qui autem nos irridere aude-*

(a) Hilar., col. 1292.

(b) Tom. H, concil. Sardic.

(c) Iliad Δ.

(d) Iliad. Θ.

tis, quia dicimus Christum hominem apparuisse; **A** Ludovici Magni, aliosque passim memoratos in *Monitis nostris*.

9. Quanquam res est fortasse parvi momenti, ne pigeat hic adnotare, vocem Δαβδ ita cum β in prius editis haberi, quos etiam secuti sumus. Verum comperimus exinde Δαυδ vulgo a Græcis scribi: quod tamen raro animadverti potest, quia semper in codicibus Δαδ brevitatis causa scribitur. Semel Δαυττωδ, *Davidice*, scriptum reperimus. Et in codice Regio 211, ubi minio vita Davidis depingitur in tabellis sub initium adornatis, Δαυδ semper cum υ scribitur.

10. Restat ut erudito lectori, quorum codicibus **B** et opera usi simus significemus, et in grati animi obsequium, quid et quantum officii a singulis acceperimus litteratis omnibus qui in partem beneficii veniunt, palam faciamus. Præit autem hoc in munere bibliotheca illa vere Regia Ludovici Magni, omnium per orbem amplissima, unde ad arbitrium nobis codices omnis generis suppeditati sunt humanitate clar. viri abbatis De Louvois, bibliothecarii regii, cujus prolixam in nos voluntatem et in fovendis studiis nostris propositum passim experti sumus. Officia item nobis certatim impenderunt, qui secundum illum eam bibliothecam curant viri eruditissimi Clementius et Boivinius, toto orbe litterario notissimi. Haud minores suppetiæ accedere ex bibliotheca faustæ memoriæ viri clar. Joannis **C** Bapt. Colberti, regii ministri, qui in usum et commodum litterarum, ingentem codicum vim ex remotissimis terræ partibus advectam accumulavit. Horum nobis ad nutum copiam fecit vir eruditissimus ac multis nominibus nobis conjunctissimus Stephanus Baluzius, quem ignorat nemo qui litteras norit. Illic non codicibus modo, verum et consiliis semper adfuit rogantibus, sicubi res postulavit. Grandi nobis auxilio fuit Seguerianæ bibliothecæ codex, illustrissimi ac nobilissimi episcopi Metensis, qui tum abbas Coislinius audiebat, opera et consilio nobis concrediti. Qui codex quanti nobis usus fuerit, advertet passim eruditus lector. Cæteros longum esset commemorare, quorum vel opera **D** vel codicibus usi sumus, clar. viros Renaudotium, Tolnardum, Desmarezium, RR. PP. Jesuitas collegii

Roma lectiones permultas, fragmenta, opuscula ex codicibus Vaticanis aliisque exscripta nobis transmisit dominus Claudius Stephanotius, procurator generalis congregationis nostræ, opera usus et manu ut plurimum Joannis Guillotii, sodalis sui, qui haud ita pridem obiit. In Anglia vero Juvandis studiis nostris intentus semper fuit vir præclarus et eruditione conspicuus Jacobus Millius, principalis collegii S. Edmundi Oxoniensis, ut variis in locis observare quisque poterit: nec non quid collatum nobis fuerit a clar. viris Grodecio, Muratorio aliisque.

**B** Nec prætermittendi silentio sunt domestici, qui nobis harumce lucubrationum auctores et consuasores fuere, quos memorando vix a lacrymis temperamus, scilicet D. Claudius Martinus ὁ μακαρίτης, vir pietate et religione insignis, litteratorum in sodalio nostro patronus, quem patris loco venerabamur omnes. Is anno præterito cælitibus, ut speramus, ascriptus fuit: cui enim nisi tam probo, tam pio, sors illa obvenerit? Itemque D. Antonius Durban, cœnobiarcha noster, nuperrime sublatus, vir frugi, probus, litteratis opportunus, integris moribus ut *prisca gens mortalium*. Cujus obitu vix consolabilem animo dolorem caperemus, nisi qui munus excepit, pari animo, æquali studio et opera rei litterariæ patrocinaretur.

**C** Ingemui ablatum mihi symmystam meum D. Jacobum Loppinum, quicum initio hujusce editionis dabamus operas mutuas. Is, vixum ad mediam primi tomii partem devenimus, cum præmatura morte abreptus, mihi summo dolori fuit, vir Latine et Græce probe, Hebraice μετρίως eruditus, in philosophicis apprime versatus: comitate et modestia jucundus sodalibus. Hæc de nostris morte sublatis dicenda nobis erant,

Τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανάτου.

**D** Jam de Commelini Felckmannique lectionibus, necnon de codicibus quibus usi sumus hac in editione, agendum nobis est. Ac primum lectori Nannii, Commelini et Felckmanni hac de re *Monita* subjienda.

#### EXCERPTUM EX PRÆFATIONE PETRI NANNII ALCMARIANI.

Usus autem sum tribus exemplaribus, quorum primum cœnobii Prædicatorum Basiliensium fuit, adeo vetustum, ut litteræ multis in locis exolescerent, quo plurimum usus est Joannes Reuchlinus. Secundum fuit Justini Gobleri, juris peritia et eruditione linguarum, et quibusdam Demosthenicis versis clarissimi nominis, id quoque nullis mendis vitiatum, sed notulis formisque abbreviationum

nusquam alibi visis, ita difficile, ut potius ex sententiis verba, quam ex verbis sententias divinarim. Tertium Joannis Christophorsoni, Angli, eruditissimi et integerrimi viri, graviorum auctorum translatione insignis; id simul et emendatum et lectu facile et verbis ad plenum scriptis, non ita interpretem remorabatur. Illi tres clarissimi viri ad multos annos mihi sua exemplaria patientissime commu-



daverunt, quorum benignitatem silentio mihi præ-  
mittendam non putavi. Exstant et alia vulgo  
Athanasii nostri nomen præ se ferentia, a diversis  
Interpretibus in Latinum traducta, quæ Frobenius

et Episcopus chalcographi humanissimi, unde-  
cunque conquisita in quartum tomum congeste-  
runt; ne quid Athanasio ascriptum huic operi de-  
esset. Labores igitur nostros tibi debitos, etc.

## PRÆFATIO AD LECTOREM IN EDITIONE COMMELINIANA.

Ut scias, Lector, quid in hac Athanasii editione  
præstitum sit :

Principio Græcum textum antea nunquam edi-  
tum de libris manuscriptis jam primum nos edi-  
dimus. Et quidem sic edidimus ut perpauca desint,  
quæ nondum reperire licuit. Sed quæ et ipsa separ-  
atis pagellis edituri, et ad reliquum opus adjun-  
cturi sumus, si quando nacti fuerimus, ad quam  
rem ut nobis adjumento sint qui possunt, publici  
commodi causa, vehementer etiam atque etiam  
rogamus. Deinde Latinam versionem Nannii, ubi-  
cunque eam habuimus integram et nullo prorsus  
apice mutatam Græco contextui e regione addi-  
dimus, ut de ejus integritate integrum cuique lec-  
tori Judicium relinqueretur. Habuimus autem ver-  
sionem Nannii toto tomo primo, paucis lineis 716  
et 828 exceptis, quas ille, nescimus qua de causa  
non converterat. Tomo vero secundo, ubi Nannii  
versio plane defecit, in quibusdam opusculis an-  
tiquas Erasmi Roterodami, Joannis Reuchlini,  
Joannis Curterii, et aliorum doctorum virorum ver-  
siones ascivimus : in plerisque autem hactenus  
nondum versis novas versiones studiose factas ad-  
hibuimus, et iidem omnes Græco contextui e re-  
gione apposuimus, præterquam in uno opusculo *De  
passione imaginis Domini nostri Jesu Christi*, in quo  
Græca exemplaria, neque inter sese, neque cum  
Latinis congruebant, ibi duo Græca inter sese  
conjuximus, Latinum unum subjuximus : rati,  
gratius fore lectori, si legat illa, qualia in biblio-  
thecis antiquis reperiantur, quam qualia a recen-  
tibus interpolatoribus adornari possent.

Porro in Græcis excudendis usi sumus exempla-  
ribus manuscriptis plus quam viginti : quorum un-  
decima ad tomum primum pertinent, reliqui ad se-  
cundum. Primus codex, isque vetustissimus (ideo-  
que lectu perdifficilis), optimus et qui plura reli-  
quis omnibus habet, est Academiae Basiliensis,  
olim collegii Prædicatorum ibid., in quo præter-  
quam quod inter media Athanasii opera non pauca  
inserta sunt quæ ad historiam synodi Nicænæ per-  
tinent, multa quoque continentur Cyriilli Alexan-  
drini, Theodreti et Damasçeni hactenus, vel nun-  
quam, vel certe Latine tantum edita. Secundus est  
collegii S. Trinitatis in Academia Cantabrigiensi,  
olim D. Joannis Christophorsoni, quem in Italia  
magno pretio olim coemerat; qui ut præcedente est  
recentior, ita etiam facilius est, ac minus accura-  
tus. Tertius hoc non paulo vetustior est : scriptus  
namque est circa annum mundi 6829, secundum  
Græcorum chronologiam (hoc est anno Christi

1319), ut hæc ipsius scriptoris verba in fine codicis  
indicant : Χειρὶ ἀμαρτωλῶ 'Ρωμανῶ ἀναγνώστη  
ἔτους 6829. Fuit is olim Justini Gobleri : nunc  
cujus sit nondum exploratum habemus, cum inter  
res Hieron. Commelini repertus sit nullo posses-  
soris nomine adjuncto. Cæterum vere de hoc scri-  
bere potuit Nannius (qui eo ut et præcedentibus  
duobus usus est), eum notulis formisque abbrevia-  
tionum nusquam alibi visis ita difficultem esse, ut  
potius ex sententiis verba quam ex verbis senten-  
tiæ divinandæ ipsi fuerint, comperiet quisque cui  
is olim in manus venerit. Ubi tamen mirari subit,  
quid tandem causæ fuerit, cur hunc potius secutus  
sit, cum illorum utriusque lectio longe sit facilior.  
Observavimus enim in lectionibus codicum discre-  
pantibus Latinam Nannii versionem cum istius co-  
dicis lectione pene per omnia consentire. Quartus  
vetus non est, nec a Græca manu exaratus, Goble-  
riani absque dubio descriptum, cum quo (paucis  
læcis et mendis descriptoris exceptis) penitus con-  
sentiit, adeo ut totidem quoque et eosdem libros ac  
eodem ordine cum eo dispositos habeat, incerti vero  
dominii. Quintus bene vetustus, elegans, obscuria  
tamen et creberrimis abbreviationum notis refer-  
tus, ideoque difficilior : bonam quoque operum  
Athanasii partem continet, sed et ipse ἀδελφον  
κτῆμα. Textus, nostro judicio, centesimum annum  
non superat, eleganti ac æquabili scriptura, minus  
tamen accuratus et pauca quoque opuscula com-  
plectens. Septimus et octavus ejusdem ætatis, a  
diversa tamen manu : ille solam orationem tertiam  
contra Arianos comprehendens : hic quatuor priores  
et paucas quasdam alias, similiter ἀδέσποτοι et isti;  
quemadmodum etiam nonus et decimus : qui quia  
admodum recentes sunt, ac per omnia similes Bas-  
siliensi, ex eo descripti videntur. Undecimum com-  
municavit nobis ex bibliotheca Augustina vir clar.  
David Hæschelius. Continet is præter opuscula  
quædam quæ in tom. II rejecta sunt, *Disputationem  
Athanasii cum Ario* Nicææ habitam. Conscriptus  
vero est ab Andræa Dermario Epidaurio anno 1584,  
Venetiis. Et hæc quidem de codicibus, quibus in  
primo tomo usi sumus. Nam ad secundum ad-  
ornandum pene solis codicibus biblioth. Palat. adjuti  
sumus, excepto uno atque altero, qui ex Gallia ad  
nos perlati fuerunt, de quibus monuimus initio cu-  
jusque opusculi, et in variis lectionibus.

Cæterum, quia in tot codicibus mss. major erat  
varietas scripturum, quam ut una perpetua lectio  
indubitata inde erui posset, ne vel reipublicæ ec-  
clesiasticæ, vel tuis, quisquis es, pie lector, pri-

vatis studiis deessemus, varias lectiones codicum Græcorum non tantum scrupulose, sed pene etiam superstitiose adnotari cum elogiis Athanasii, ac reliquiis et fragmentis ejusdem, inter excudendum diverso tempore repertis conjungi, tituloque appendicis simul edi curavimus.

Hæc de materia scriptorum Athanasianorum. Ad dispositionem quod attinet, animadvertimus ex schedis Commelinianis voluisse illum ante omnia excudere ea quæ Nannius vertisset et antehac Latine edidisset. Id igitur consilii etiam nos secuti sumus, et in primum tomum omnia ea quæ Nannius converterat, conjecimus, alio tamen ordine. Nam ab ordine Nanniano (quem post ipsius Nannii præfationem videre poteris si voles) Commelinus tempestive discesserat. Ejus igitur vestigiis, quantum quidem ea deprehendere licuit, insistentes, in primo tomo primum elenctica, deinde historica, variis apologiis et epistolis comprehensa, mox exegetica sive commentationes in nonnulla sacræ Scripturæ dicta, deinde homilistica sive conciones populares posuimus. In elencticis quidem, primo loco quæ contra gentes, altero quæ contra Arianos et eorum complices, tertio quæ contra Apollinaristas, Sabellianos et Samosatenarios, quarto et postremo quæ contra omnes hæreses Athanasius scripserat collocata volumus. Sed hunc ordinem operæ typographicæ semel atque iterum interruperunt, et orationem Athanasii contra omnes hæreses, ac protestationem secundam populi Alexandrini a suis locis divulsas ad extremum primi tomi rejecerunt : in secundo tomo, quem ordinem servaverimus, ipse librorum catalogus, altera post titulum pagina collocatus, satis superque ostendet.

Porro, si quos titulos in catalogo editionum Nannianarum priorum exstantes hic non repereris, ne te id moveat. Nihil onisimus, sed ea tantum quæ per inscitiam antea pro peculiaribus libris, et sub peculiaribus titulis vendita erant, cum non nisi aliorum librorum jam antea in hoc volumine excusorum fragmenta essent, sustulimus : ne bis eadem frustra vel exprimerentur et venderentur, vel emerentur et legerentur. Hujus generis erant opusculum *De doctrina*, fragmentum *De passione*, et *Declaratio Levitici*, de diversa ejusdem rei nomenclatura ; quorum tamen alia in aliis atque aliis

A tantummodo Athanasii Latinis editionibus exstant. Ac primum quidem est fragmentum *Epistolæ de synodo Nicæna*, ut videre est p. 30 toni I. Alterum vero est fragmentum homiliæ *De passione*, ut patet ex tom. I, pag. 790. Tertium denique fragmentum est orationis quintæ *contra Arianos*, ut ex pag. 324, vers. 24, tom. I, manifestum evadit. Unicum λόγον σύντομον qui itidem est fragmentum primæ orationis *contra Arianos*, ut videre est ex tom. I, pag. 125 E et seqq., denuo excudi passi sumus : tam quod verba quædam Græca hic mutata essent præsertim ab initio : unde daretur existimandi copia quod Athanasius ipse hoc compendium suarum de deitate Christi demonstrationum seorsum exstare, atque ita in conspectu esse voluerit : tum quod versionem nacti essemus novam cujus collatio cum versione Nanniana non videretur fore infructuosa.

Sed et illud scito, Lector, in exemplari ms. Basiliensi, quod cæteris omnibus jure præferimus, multa inesse quæ neque Athanasii titulum præ se ferant, et jam antea, tam Græce, quam Latine in *Historia ecclesiastica* exstant, atque inde omnino in istum codicem transcripta : ista igitur omisimus, vel potius ad *Historiam ecclesiasticam*, unde ad verbum descripta erant, remisimus ; idque ideo nos fecisse indicamus, ne quis forte, qui codicem Basiliensem aliquando viderit, nostram hanc editionem mutilam esse suspicari possit. Quam suspicionem ut evitarem, quæcunque usquam Athanasii nomine divulgata esse comperissemus, cum cæteris Athanasii libris, sine omni vel detractatione vel adjectione conjunximus, etsi certum nobis esset multa ex illis esse supposititia ; quod et Nannius fatetur, et cum ipso fatebuntur omnes, quicumque ad hanc lectionem et scientiæ et conscientiæ non nihil attulerint. Nec enim felicior hæc in parte cæteris Patribus fuit Athanasius : quorum nullus unquam claruit, cui ista supposititionum librorum injuria illata non esset. Quæ autem in his duobus voluminibus genuina Athanasii scripta sint, vel non sint, theologis æstimandum relinquimus. Nos nullis partium studiis impliciti nostrum in faciendo officio nostro typographico candorem universo Christianorum populo probatum esse cupimus, et ita fore confidimus. V.

Et ad frontem variarum lectionum, hæc adnotat Petrus Felckmannus Coronæus.

#### Ad Lectorem.

De codicibus quibus in adornanda hac Operam D. Athanasii editione usi sumus, satis superque superius in præfatione tomo I monuimus. Hoc saltem nunc restat, ut quem codicum illorum quæque littera a tergo variæ lectionis posita signet, hic exponamus. Sic igitur accipe : B signat codicem Basiliensem, A Anglicanum sive Cantabrigiensem,

G Goblerianum, I primum anonymum et incerti domini, in ordine alias quartum ; II secundum anonymum, sed in ordine quintum ; III tertium sive sextum ; IV septimum ; V octavum, et sic deinceps : AV denique ultimum sive Augustinum. Ad hæc Fr. I amici nomen est, qui quasdam observationes nobis communicavit : at Fr. D. Frontonem Ducaum signat

## VETERUM ATHANASII EDITORUM

## PRÆLIMINARIA.

(Ex D. Bernardi de Montfaucon *Collectione nova veterum Patrum Græcorum*, t. II.)

**MONITUM.** — Dum huic eudendæ novæ Collectioni insudaremus, e re visum est fore ut etiam vetustissimorum Athanasii editorum præliminaria adnecteremus; quæ sanè cum memoratu digna non pauca complectantur, nec ingrata lectori, nec infructuosa erunt: cum maxime editiones illæ perraræ sint, et vix uspiam compareant. Prima omnium est Vicentina, quæ prodit anno 1482, et has initio præfert Epistolas et Præfationes.

Petrus Brutus artium doctor, episcopus Catharænsis, Barnabæ Celsano, S. P. D.

Non me fugit te errata corrigere, mi Barnaba: si qua sunt exscribentium vitio imperitorum divini operis adversus gentiles Athanasii scriptoris doctissimi: quod jampridem magna lucubratione et industria ex Græco in Latinum traduxit omnibus vir quidem ex omni parte bonus atque dicendi peritus. Quod laboris, mihi crede, religioni nostræ et fidei multum conferet: eritque legentibus et curiosis utile ac per jocundum. Ego enim qui librum quandoque lectitavi, mihi non parum emolumenti excepi. Quare tibi gratias ago et habeo, quod tuo labore, studio atque opera legi possit. Perge igitur ut cœpisti, et te hac suscepta provincia mortalibus gratum redde: quippe qui mores tuos, ingenium atque doctrinam, et in primis litterati omnes, et approbant et amplectuntur. Non enim vereor quin de virtute benemeriti omnes, quamprimum te virum doctissimum codicem perlegisse acceperint, cum sibi peculiare præ omnibus habituri sint. Delectabitur profecto studiosissimus litterarum, qui de fide catholica bene sentit, modo ex hoc dialogo, modo ex illo. Inest enim tanta verborum concinnitas, tantaque dicendi copia cum gravitate juncta, ut divinum opus quidem, et in arce poni dignum, quasi Minerva illa Phidia merito dici et affirmari possit. Mirabar equidem, vir doctissime, cum non ignorarem priscorum nostrorum permultos codices et poetarum et oratorum tua emendatione castigatos, si missum faceres hoc tantum opus: quod non tantum fugatis nebulis irradiante sole mundus ubique lucet atque discernitur; quantum hujusmodi scriptis et disceptationibus pro veritate tuenda explendescit Christianus sensus et intellectus humanus. Nutritur veritas, augetur fides, ratioque servatur, necnon singulari quodam et admirabili documento ritus nostros et institutiones contra hæreticos cœleste hoc opus et necessarium

A firmavit et stabilivit. Quæ res non lauit Omnibonum doctorem tuum: cujus benevolentibus floribus atque doctrina te mirum in modum perornasti; et adeo perornasti, ut te omnes qui virtute præditi sunt, virum bonum, doctum atque peritum judicent, dicant et affirment. Novit ipse hominum mentes quamplurimorum sæpius, curiosa quadam cupiditate, divina percontari, et dubitare aliquando quod certum est: quæ res quantum mali hominibus interdum afferri possit corde volutans et memoria repetens, Athanasii litteris Græcis scriptum in Latinum edere animum induxit: nec potuit vir optimus ipse addere quod optabat, minuere quod volebat, morte correptus: non sane ut scriptoris sententiam perturbaret, sed ut quod Græco dulce, Latine dulcius personaret. Nonne permisit hoc Deus? Voluit quidem atque decrevit: quando te alterum Omnibonum jure et merito hæc nostra ætas habeat et contempletur. Traduxit ipse, tu vero corrigis, castigas atque emendas: utrique debet non parum humana hæc mortalitas. Et cui plus? aliis relinquamus judicium. Attamen exitus acta probat (ut ille ait), et finis, non pugna, coronat. Neque, te rogo, Barnaba, exspectes ut aliquorum adhortatione et auctoritate ad hoc periclitandum munus incitatus videaris: quandoquidem inceptum hoc a te perfectum iri tua virtute, bonitate, constantia, integritate, boni judicent omnes. Fefellit unquam neminem probissimorum hominum optima de te opinio: quod impræsentiarum si decepti fortasse viderentur, eo gravius ferrent, quo facilius fideliusve hoc a te viro doctissimo fieri posse arbitrabantur. Non hæc scribo ut prudentiæ tuæ diffidam, vel quid tibi agendum sit te fugere dubitem; sed me æternus incitat amor, cogitque fides. Lego et ipse oratores tuos, quandoque lego et poetas animi causa: cum e communi studio nostro juris pontificii et sacrarum litterarum lectione aliquantulum me subtraham: quorum doctrina, ut orationis suavitatem omittam, et

carninum dulci modulatione currentium, tantam præ se fert dignitatem, et rationem bene vivendi; ut non nisi quæ ingenio atque cognitione digna sunt in ipsis inveniri possint. Sed tamen nihil commodius ægritudinibus humanis, nihil animis nostris conducibilius, quam scriptis sanctorum Patrum incumbere, Joannis Chrysostomi, Basilii, Athanasii, Gregorii Nazianzeni, Ambrosii, Hieronymi, Augustini atque Gregorii, et hujusmodi omnium, qui de sacris litteris benemeriti exstiterunt. Hæc sunt quæ nostris angoribus sola medentur et sanant, adversa non curant, jocunditatem parant, felicitatem atque beatitudinem pollicentur. Ad hæc igitur incumbere,

humanissime Barnaba, peto a te precario: et præsertim hujus nostri Athanasii operis copiam perficito, omissis omnibus aliis; ut quamprimum haberi possit: ne illustrata fidei veritas, quam summus ille opifex hominibus dedit, incuria tua longius in occulto jacere videatur. Da Vicentinis omnibus et cæteris, qui te virtute tua diligunt et observant. Hoc exspecto, hoc volo: qui si me audieris, habebis me profecto in omnibus semper jocundum et æque charum. Vale, litteratorum decus. Quarto Nonas Decembres, MCCCCLXXXI in palatio episcopali Vicentiano.

*Barnabas Celsanus, Petro Bruto episcopo Catharensi, S. P. D.*

Si eruditissimus quisque nostri sæculi Christiano munere fungeretur, Petre Brute episcopo Catharensis, non tam bene dicendi, quam etiam bene vivendi rationes iniri studeretur. Hinc efficeretur ut jam florentibus bonarum artium studiis, non deessent nobis optimi et eloquentissimi viri, qui de rebus divinis pulcherrime et ornatissime scriberent. Nam vis ingenii, et copia dicendi, ut ait Fabius, quemadmodum juncta natura, sic etiam officio copulata esse debent. Sed, per Deum immortalem! quotusquisque est eloquentiæ studiosus, qui non malit humana ornate dicendo laudare, quam vel recte scribendo, vel bene agendo divina complecti? An desunt fortasse nobis quæ de Deo dici possint? de beatissima Virgine? de mysteriis divinis? de universa Christiana religione? Quæ tam multiplex est, tam dives, tam copiosa, ut optimo cuique ingenio uberimam dicendi materiam præbere queat. Qua ex re plerique ad optimam frugem pervenirent, ac sapientiam cum vera religione conjungerent: cujus officium est docere, ut conculcatis terrestribus et abjectis erroribus, ad æterna cælestis thesauri præmia dirigamur. Quid enim ad agnitionem Dei conducibilius? quid ad veram beatitudinem consequendam aptius? quid homini Christiano magis necessarium, quam divinarum rerum contemplatio? Nam cum humana despiciamus, cognoscentes superna atque cælestia, hæc nostra ut exigua et mortalitati subiecta contemnimus, atque ego satis mirari nequeo quid ita cupidè cæteris bonis artibus incubabamus, atque cujusque placitæ disciplinæ consecemur magistros; divinarum vero rerum libros negligentius evolvamur: et, quod monstro simile esse videtur, nos homines nati ad divinarum rerum contemplationem, a sacris litteris abhorreamus, atque in fabellis, et deliramentis magnam temporis partem conteramus. Hinc fit ut bona eruditorum pars potius inter gentiles, quam inter Christianos, censeretur mereantur. Sed ex omni doctissimorum nostri temporis numero, pace aliorum dixerim, duos ego novi viros in omni genere doctrinæ eminentissimos: eosdem etiam vita probatissimos, ac Christianæ religionis assertores constantissimos; te dico, Petre Brute episcopo Catharensi, omni vir-

tute et doctrina præstantem; alter exstitit Omnibonus Leonicensus, præceptor meus suavissimus; Omnibonus, inquam, nostri sæculi decus, civitatis vero nostræ fama et gloria, litterarum tam Græcarum quam Latinarum columnen, honorum specimen, veræ probitatis exemplum, ut alter suæ ætatis Socrates merito dici potuerit. Religione vero tanta atque modestia fuit, ut nihil ei defuerit, quod in optimo et sanctissimo viro requirendum videatur. Nemini unquam detraxit Omnibonus, neque loquendo, neque scribendo, quamvis ab æmulis sæpius fuerit laceratus. Tanta denique vixit integritate, ut ἀνμαρτυρος dici potuerit. Quantum vero litteris Græcis valuerit (nam de Latinis testes sunt perpolitæ ejus orationes, et libri ornatissime conscripti) vel ex hoc intelligi potest, quod cum in Venetiis apud Bissarionem (sic) cardinatem Nicænum Græce orationem habuisset, tanta facundia peroravit, ut Græcos omnes eloquentia doctissimi viri judicio præstitisse dictus sit, eloquentiæque palmam, quam sola Græca possidebat, eum ita ad Latinos transtulisse, ut nihil aut parum egregiæ laudis apud Græcos relictum esse dicere non dubitaverit: quemadmodum de Marco etiam Tullio tradunt Apollonium dixisse. Sed, ut præterita et quæ sub oculis non sunt missa faciamus, conferamus Græcum Athanasium cum Latino: lectitemus utrumque; tum facile unicuique erit videre, si utramque linguam calluerit, quantum ille Græcarum litterarum cognitionis habuerit, in quo tanta dignitas, tanta veritas servatur, tanta verborum et sententiarum concinnitas, ut quod est in interprete mirum, ubique perspicitur æquabilitas orationis et gravitas. Non ita copiosa est ut luxuriet oratio, neque ita suavis, ut lasciviat, nec adeo compta, ut affectata compositione fucata esse videatur. Quibus virtutibus atque contextu orationis nihilo ipsius Athanasii archetypo inferior apparet: ex quo intelligi potest, quantum vel in scriptione Latina, vel eruditione Græca valuerit. Quamobrem nemo vel aptius, vel fidelius, vel etiam elegantius, quam Omnibonus, poterat traducere divinum Athanasii opus *Contra gentiles*: quippe qui et Christianissimus esset, et in utraque lingua præstantissimus: ut crediderim Deum opti-

nam maximum hunc delegisse hominem, qui ad institutionem nostram hunc librum posteris legendum atque ediscendum interpretaretur. Quod autem me, humanissime præsul, tam suavi epistola demulces tantumque tribuis, facis quidem amice; sed vereor ne id abs te potius ex propensa quadam erga me benevolentia dici plerisque videatur, quam quod tanto tanti viri præconio dignus existam. Nam quod tantopere me hortaris, petis, imo jubes, ut pergam hoc ipsum Athanasii opus emendare, id ego feci ἀκριβοῦς et celerius quam ipse putabam; sive suavitate orationis plectus, quod jocundissimi præceptoris mei viva vox adhuc auribus meis personare videretur, sive quod non ignorabam quam tibi jocunda futura foret nostra hæc qualiscunque esset emendatio. Jam nos tuæ morem gessimus voluntati, jam tibi satisfecimus. At tu (nam cum tua venia dicam), quid dormitas? quo vetero languescis? An oblivioni tradidisti id quod jam pridem mihi recepisti [rescripsisti], te editurum propediem contra Judæos opus prophetica veritate conscriptum? Quid igitur in editione cessas? An expectandum tibi est, ut inveterata exuti pervicacia, ultro ad fidem convertantur? Aversi sunt penitus, mihi crede, a vera religione. Id ipse satis didicisti, optime præsul, cum eos proximis diebus et antehac sæpius in frequentissimo doctissimorum cœtu gravissimis disputationibus incessisti: liberius etiam monuisti, vellent vates suos audire rectum salutis suæ trauitem ostendentes, non esse amplius Messiam expectandum. Sic enim Jesum Christum humani generis Redemptorem appellant. Venisse jam qui mitton-

A dus erat. Quod tum multis rationibus, tum per suas illas hebdomadas, tum vero per Osee gravissimum oraculum facile declarabas. *Sedebunt, inquit, filii Israel sine rege, sine principe, sine sacrificio, sine altari, sine sacerdote*<sup>1</sup>. Hæc et alia permulta, quæ memoriter enarrabas; Christianissime præsul, pro officio tuo argute simul, et copiose disserebas. Et ne gens impia tibi nimiam in disputando objiceret subtilitatem, in redarguendo vehementiam, in deserendo artificium (nam iis omnibus quantum valeas testes sunt optimi et doctissimi viri, qui hisce disputationibus interfuerunt), Hebraica volumina cum Latinis conferebas, verba verbis, sensa sensibus, non sine peritissimo Hebraicæ linguæ interprete componebas. At illi modo calumniabantur, interdum prævaricabantur, nonnunquam tergiversabantur: quod Deus ipse per Isaiam futurum prædixit: *Audite, inquit, audientes, et nolite intelligere; videte visionem, et nolite cognoscere: excæca cor populi hujus, et aures ejus aggravata*<sup>2</sup>. Tu tamen, optime præsul, a persequendo istos verpos non desistes, ut, si fieri possit, aliquando intelligant, non corpore, sed mente circumcidi oportere, si volunt veræ beatitudinis fieri consortes. Age igitur, solve rostratam navem, permitte vela ventis, atque in Judæorum classem ferare: quorum submersas obrue puppes, aut age diversos, et disijce corpora ponto: ut Judæus se tandem omni pelle instar fabulosi illius Marsyæ, exutum intelligat. Vale, præsidium meum et Judæorum scopule. Vicentiæ quinto Kalendas Januarias MCCCCLXXXI.

*Omniboni Leoniceni rhetoris excellentissimi in Athanasium ad Paulum Venetum II, summum pontificem, præfatio feliciter incipit.*

In multis Scripturæ locis, beatissime Pater, dolum quasi inimicum Dei legimus; sed præcipue ubi Dominus dixit disperdere omnia labia dolosa, et recte quidem: nam si Deus veritas est, contrarium nihil magis habet quam falsitatem: et repetentibus sanctorum virorum monumenta persuaderi facile potest aliam vim nullam fuisse, quæ bellum Ecclesiæ Romanæ gravius aut periculosius intulerit. Idololatria primum gentes non tam errore seductas quam illecebris suis captas aliquandiu tenuit: mox ubi veritas de terra orta est, et lux de cœlo prospexit, cum ipsa per se vanitas facile redargueretur, tum vero ineptiis suis homines magis magisque erubescere incipientes, Christum Dominum quidam spe alacres aperte sequebantur; pars metu percussis sentiebant melius quam fatebantur. Nam cæteri grassabantur in eos, quia suis cupiditatibus impliciti novæ legis sanctimoniam videre non poterant, vel certe nolebant, quippe adversantem voluptatibus suis, quas illi magnopere amplexi tenentes, cum aliter non possent, vi ac terrore tueri parabant; donec jam fide confirmati complures, ferrum ac tormenta perterent, mortemque ipsam pro Christi

nomine contempnerent. Nec viri solum et femine, sed pueri etiam atque puellæ; ut abs se terrorem in eos qui inferebant metuendi magis quam metuentes converterent, et id quod novum est victoriæ genus, cæsi de occidentibus triumpharent: nam quos vincens ratio non flexerat, eosdem mors devicta frangebatur. Jamque omnes propemodum in una Ecclesia Domino ac Deo Christo dicata coalescebant: cum subito hæreseos dolus exoritur, qua nulla pestis perniciosior dici, aut fingi potest, qui mentes hominum securas ipsas, et prætextu pacis securiores factas, circumvenit. Siquidem sese ostentat, armis nostris et insignibus instructus, ut incautos opprimat, nihil minus quam bellum expectantes. Dolus enim, ut mihi videtur, nihil aliud est quam falsa miscere cum veris, bona cum malis: ut vinum aqua vitiatum, ut aurum vel argentum ære confusum adulteratur; sic veritas quoties sanctis verbis profana inseruntur. Eo evenit ut multis antea tempestatibus perfidus hic hostis fidem nostram suis insidiis obsit, pene ad interitum deduxerit: cum adversus rem Christianam filios prope innumeros ediderit. Illic Eunomios extulit, hic Nesto-

<sup>1</sup>Osee. III, 4. <sup>2</sup>Isa. VI, 9, 10.

rios, hic Samosatēnos, hic Marcionēs et Manichæos, hic Herodianos, hic Eutychios, hic Sadducæos Arabesve protulit, aliosque multos, quos omneis longum esset enumerare : sed novissime dirum nefas Arium progenit, sicut in fabulis tellus, gigantum indignata cæde, monstrum in deos peperisse fertur immanius. Nam alii tametsi magnas in re Christiana calamitates fecerunt, eos tamen aliquando nostri nominis theologi viri singulos singuli excipientes profligavere. Nunc vero in unum conversi omnes (tantum fallendi arte pollebant!) vix tandem subigere poterunt. Et ut alios omitam Christianæ fidei pugiles, ex nostris notissimi Hieronymus et Augustinus, duo, ut ita dicam, hæreticorum scopuli; ex Græciâ duos item præ cæteris in Arianos scripsisse comperio, Cyrillum et Athanasium : quorum alter librum edidit, in quo vir ille omnes eorum ambages evolere ac refellere studet; Athanasius autem orator locuples, disputator acutus idem ac vehemens, subdolum et ipse Arium multiplicemque pertentat : ut ipsius ad Ægypti et Libyæ episcopos epistola indicat, et altera ad Serapionem de Spiritu sancto, quatuorque sermones, necnon divinus ille cum Ario dialogus, ubi ex ipso dilabente, ac diu multumque repetente, veritatem extorquet. Hæc Athanasii contra Arium scripta divinitus, cumque his homilias duas, contra gentiles unam, alteram de humanitate Christi, magno studio traducenda suscepi : quæ nomini tuo, beatissime Pater, Dei benignitate traducta devoveo. Nam etiamsi tanti viri characterem exprimere non petui, ut quantum ille dicendo, tantum ego vertendo consequerer; tua tamen lectione, beatissime Pater, non indigna putavi, nec absona quidem ab ea cogitatione, in qua mens tua tota versatur, ut hanc a grege tuo belluam pastor avertas, quæ cervicibus nostris jampridem imminere videtur. Nam ut illi, de quibus modo dicebam, sanctissimi viri ne veritatem inultam desererent, extrema omnia pati non dubitabant, injurias, contumelias, relegationes, exsilium, mortem denique ipsam, si falsitati aliter obviam ire non poterant; sic tu nuper, beatissime Pater, nullum laborem, nullum periculum recusasti, ut com-

muui omnium saluti consuleres. Non longitudinem viæ, non locorum asperitates horruisti : omnia vitæ incommoda pro nihilo habuisti : ut qui jam tum Ecclesiæ cardo, nec ætati nec valetudini parceres : sed quod Dominus dixit reipsa præstares, *Pastor bonus animam suam pro ovibus ponit*<sup>1</sup>. O te felicem, Christiane populus, qui talem tantumque Patrem sortitus fueris! O benignum potius, misericordemque Deum, qui tempora nostra miseratus gregem suum pastori vero demandaverit! Jam vero spe bona vos esse jubeo, Christiani. Profecto tantum promptitudinis Deus, tantumque studii minime contemnet. Nam si veteres illi Patres in dolo inimico Dei expugnando, qui ut ab initio docui, perniciosus est (capit enim improvidos, utpote sacris palliatus eloquiis); si in ambiguo, inquam, refellendo, quod sub veri specie latebat, sancti viri præsentia sua tantum valere, ut a veritate Romanos etiam imperatores stare compulerint; quid in periculo propulsando, tam certo tamque explorato, sanctissimus Pater quantum efficiet? Nonne conspectu ipso principum ac regum animos movebit, ut se ad hanc expeditionem accingant, tam honestam, tamque necessariam? Sanctorum enim virorum non verba solum, sed frons etiam atque oculi vim divinam quamdam præ se ferunt. Apparebunt igitur majestati tuæ, beatissime Pater, cum cæteri omnes, tum vero Itali duces, tam armis, quam periculo primi. Nam te Itale, te, inquam, appello, quem ista procella petit, cui minatur exitum : quid dubitas? quid tergiversaris? Te belli necessitas sequitur, si eam fugis, quin expergiscere tandem : populusque prior, in bella converte : quod profecto facies, si bene te tuorumque ingenia novi. Neque enim, fortissime, credo jussa aliena pati, et dominos dignabere Teucros, sic enim se appellant, tantumque sibi vanitate nominis arrogat, ut Romanum imperium, si Deo placet, tanquam debitum repetant. Sed me jamdudum proœmii metas egredi sentio : quare Athanasio cedam, ut ubi volueris, beatissime Pater, virum audias præclare cum Agio de Christi fide certantem.

In editione Parisina anni 1520 hæc Nicolai Beraldi epistola præmittitur, ubi agitur, perinde ac in sequenti præfatione, de Commentariis Theophylacti, quæ tunc ut Athanasianum opus inter Athanasiana scripta cudi solebant.

*Nicolaus Beraldus, doctissimo ac sapientissimo præsuli Michaeli Bodeto, Lingonensium episcopo, S. P. D.*

Ea est humanarum rerum conditio, ea lex, is genius, præsul sapientissime, ut ab ipso ortu suo in deterius perpetuo labatur, ab initiisque suis longe lateque degenerent, a seseque dissideant jamjam postremam perituræ : quod cum sæpe nulla hominum culpa, sed naturæ ipsius decreto quodam eveniat, eo ferendum est æquius, quo nulla humana ope, nullo hominum consilio, ea sors vitari potest, atque interdum ne differri quidem. Id vero non paulo indignius, quod quæ ab hominibus hominum

causa summo sunt et ingenio et labore inventa, quæque non diu modo florentissima, sed etiam immortalia esse conveniebat, ea sic ab hominibus ipsis plerumque temerari videmus ac pollui, ut quam sunt ab illis ad usum mortalium sapienter cogitata, tam nunc ad eorum perniciem ab aliis corrupta adulterataque esse videantur. Nam, ut alia omitam, quis non videt quanta sit superioribus sæculis bonis artibus ac studiis a barbaris clades illata, quam fœde a Gothicis istis disciplinæ omnes corruptæ, ab

<sup>1</sup> Joan. x, 11.

indoctis vexatæ, a sophistis, pene dixerim, excarnificatæ? quæ tandem philosophiæ pars non est hanc contumeliam experta? quotusquisque vero est ex iis, qui se solos Peripateticos ac philosophos haberi volunt, deque Aristotele ipso egregie se meritos gloriantur ac prædicant, quem non magis Buridani nescio cujus lectio teneat, quam Aristotelis? quique immania illa glossemata (quæ tanto philosopho nimium impudenter ascribuntur, ac pro Aristotelicis passim citantur) non pluris faciat, quam quæ vir ille in omni disciplinarum genere summus tanta cura ac studio et exquisita et scripta posteris legenda reliquit? ac de Aristotele quidem ipso facile utcumque fuerat, ut cujus doctrina, quanquam admiranda ac summa, Christiana simplicitas carere potuerit, nisi inde excitata eadem mali labe, ipsas quoque sacrosanctas leges, quibus vivimus, jampridem occuparet. Illud porro indignitatem omnem superat, quod quamplurimæ hoc sæculo exortæ rancæ (quo nomine potius sophistas appellem?) Salomonis templum, ac Christi quoque Ecclesiam nuper adortæ, ipsam evangelicam veritatem ita fœde distrahunt, diripiunt, lacerant; ut quæ suo candore illustris, eximia, intacta sacrosanctaque esse debuerat, ab iis non modo in ordinem coacta, sed suggillata etiam sit ac pene prostituta: nec desunt tamen (o tempora!) qui ex istiusmodi lacunis manant, quam ex veterum theologorum purissimis fontibus haurire: tantumque eis jam tribuant, ut si quem videant antiquis ac melioribus litteris adiectum, ab id genus scriptis vel tantillum dissidere, eundem protinus e sublimi illa theologorum arce deturbatum infra vilissimos grammaticas abjiciant. Rhetorculus est, inquit, poeta est, non philosophus, non theologus. Quare mirum non est, si passim summa quæque sibi genus id hominum vindicet, ut cui nihil non hoc sæculo jam concedatur, ob subtilissimas scilicet collectiones istas, elencchos, captionesque ac sophismata, quæ tamen, ut Seneca inquit, nec ignorantibus noceant, nec scientem ulla ex parte juvent. Idque in divinis litteris multo minus. Nam si, ut tragicus quidam scripsit, veritatis simplex est oratio, quorsum atinebat quæ a veritatis auctore profecta sunt, quæque fallere non magis possunt, quam veritas ipsa, quæ nec fallit, nec fallitur, acutis, ut vere dixerim, deliramentis ac somniis implicare? Næ id ergo recte ac sapienter mihi sentire videntur, qui non modo seponendos novitios hos omnes prope theologos (ita enim sane vocentur, dum intelligatur modo id quod res est, nempe Augusto hoc nomine eos deum fore dignos, qui se ad veterum theologorum exemplar comparaverint, neque frigidis argutiolis immorandum, nedum immoriendum esse sibi permiserint), sed omittebunt etiam in totum ac ejiciendos arbitrantur revocandosque veteres illos vere theologos, quorum prior est elocutio, doctrina præstantior, sincerior pietas, charitas longe ferventior. Nam sicuti novum hæc disputandi genus argutum quidem ipsum, sed

A loquaculum ac barbarum, non modo ingenii succum omnem exhaurit, sed pietatis etiam ipsius ignem ardoremque exstinguit, ut mirum non sit, si sic in quorundam quoque pectoribus frigeat, qui se vulgo theologos profitentur; ita veteres illi suavissimo quodam ceu cœlestis ambrosiæ pabulo plium lectorem pascunt, fovent, saginant, neque animos vocum illecebris titillant, sed divino quodam nectare ebrios rapiunt, ac transformant. Vivit in illis spiritus quidam plane, ut sic dixerim, vivificus, legentis animum obfirmans ac vegetans. In his contra, quod ad rerum humanarum contemptum, summæque illius exoptandæque beatitudinis desiderium pertinet, mirum quantopere frigeant omnia: ac sicuti torpedo, cum suapte natura non torpeat, mire tamen adnatanteis ad se pisces contactu torpescit; ita argumentosi theologi, qui nihil aliud quam quæstionum tendiculas ac retia sectantur, cum per se caleant satis, utpote in disputando acres ac animosi, imo vero nunquam non pertinaces ac refractarii, nil aliud tamen quam lentum quoddam animi frigus legentibus immittunt; et ut promptior quis ad pugnam inde fortasse redeat, ad pietatem profecto nemo redditur instructor, nemo melior. En igitur tuis auspiciis in lucem redeunt Athanasii illius magni Alexandrini episcopi in Paulinas Epistolas Commentarii, eximia quadam cum eloquentia, tum doctrina refertissimi, atque antehac ubique rarissimi, ab exemplari vetusto quidem ipso, sed unico tamen, eodemque locis innumeris corrupto nostra opera nuper recogniti, multoque accuratius quam antehac et emendati, et distincti. Nam præterquam quod mendas, quibus opus ipsum ex sese satis luculentum, vel impressoris imperitia, vel emendatoris ignavia depravatum fuerat, non paucas sustulimus, illud etiam nobis permisimus, ut si quid uspiam esset Latinis auribus durum, quod vel interpretis negligentia, ne quid aliud dicam, vel temporum vitio, quibus Latine se primum litteræ experirent exerere, sæpius accidit, id ipsum permutatis verbis aliquot citra sententiæ detrimentum velut emolliremus. Quod ipsum tamen eo parcius fecimus, quod vulgo nefas esse videremus in sacris codicibus quidpiam immutari, ab homine præsertim D in iis litteris haud ita diu versato. Sed nec magnopere vacabat aliis quibusdam occupato, divina hæc studia tractare, mihi alioqui grata adeo, adeoque et jucunda et suavia, ut cætera omnia ad hæc, non modo inamœna insuaviaque, sed plane flocci quisquiliæque esse videantur. Unum illud affirmare tibi posse videor, Commentarios hosce, quanquam sic quoque elegantibus per se satis ac nitidos, aliquanto tamen nitidiores fuisse in lucem prodituros, sicubi Græcum exemplar id temporis, quo hæc excudebantur, inveniri potuisset. Nam nec Ludæus ipse tuus, eloquentiæ vir utriusque princeps, tam eximio operi vel instaurando, vel resurgendo componendoque defuisset, operamque hanc sibi vel primariam sumpsisset, vel vicariam nostram sua juvisset industria,

vir non humanarum modo rerum omnium, sed divinarum etiam peritissimus, sæculique hujus egregium decus, ac ornamentum quoddam (absit verbo invidia) prorsus incomparabile. Quantulumcunque vero id est, quod restituendo Athanasio operæ præstitimus, tibi debetur, tibi quoque nominatim inscribitur, præsul doctissime, ut quem unicum pene temporis hujus Mæcenatem studiosi omnes agnoscant, et ipse sim reapse, ut Plautus inquit, sæpius expertus : quemque in Ecclesiam Christi non secus esse videamus affectum, atque olim fuit Da-

vid ille regum sanctissimus, quem arcana litteræ tradunt incredibili lætitia gestire solitum, cum populum spectaret varia pro se quemque donaria ad templi structuram congerere. Quare sicuti Origenis opera sub tui nominis auspicio proxime emissa, nunc ubique leguntur, ac per varias Europæ totius regiones circumferuntur; ita Athanasius hic noster quodam velut ejusdem nominis amuleto tutus, nunc e tenebris situque pulvereo in publicam lucem egreditur, multa ut speramus, tecum sæcla victurus. Vale diu felix. Lutetiæ.

In editione Lugdunensi ann. 1532 hæc præfatio præmittitur.

*Ad Christianum Lectorem Epistola Chalcographi parænetica.*

Eam potissimum ob causam, Christiane lector, et effecti, et hunc in mundum emissi sumus, ut de externo cujusvis hominis corpore, quantum per facultatum copiam licet, volentes bene mereamur : maxime vero, sed longe abundantius et cumulatus, de anima. Nam si ipsi corpori, quod tandem aliquando perituro est, futurumque ut vermibus consumptum in fetidum redigatur cinerem, ipsi officia non mediocria exhibemus ; par est nimirum ut ipsi animæ, quippe quæ tum præstantior, tum immortalis haud dubie futura sit, multo studiosius invigilemus, consulamus, prosimus. Ut enim a Thalete Milesio, Græcorum sophorum facile principe, sapienter admodum dictum est, corpus utique evanescet et consumetur ; anima vero permansura. Id itaque præscriptum executioni demandare cupiens, cœpi necum animo volutare, necumque rimari, num quodpiam opus, typographiæ exercendæ appositum foret, cujus sinceris præceptionibus et hominum salutem promovere, et de Christiana republica nonnihil benemereri possem. Quibus mentis cogitationibus anxie nimium in hærenti, demum feliciter occurrerunt divini illius Athanasii, insignis Alexandrinorum episcopi, in Paulinas Epistolas Commentarii, eximia sane cum eloquentia, tum doctrina quam refertissimi : quos cum non semel perlegissem, itque mihi viderentur evangelicæ veritati mirum in modum per omnia consentanei, non solum amplius quam antea et veneratus sum, et suspexi, verum etiam admodum pie religioseque facturum existimavi, si accuratissima cum diligentia castigatos, nostris characteribus, Deo gratia, haud omnino contemnendis, ipse tradendos curarem, excusos justo pretio distraherem, emendatos boni quique studiosius evolverent. Porro ut de opere nonnihil attingam, initio quidem ab eo recudendo deturbatur animus : partim quod non satis vetustis exemplaribus instructus essem, quibus in ejusmodi præsertim sanctissimo negotio opus erat, partim quod adeo inendis scatebat innumeris, ut lectorem vel eruditissimum in plerisque locis remorari potuisset : tamen absurdum ducens et indignum, tam pium opus, tam elegans, tam luculentum, in oblivionis gremium consequellum iri, malui vel nonnulla rei familiaris jactura, denuo studiose recognitum in lu-

cem emittere, quam portentosis mendis conspurcaturum a paucis legi, a plerisque parvi duci, a nonnullis etiamnum (ut sunt quidam, qui anilia nugamenta, hominumque somnia plenis buccis efferunt, sacras autem litteras naso suspendunt), scurriliter derideri. Nam mihi videntur non mediocre munus in Christianam rempublicam conferre qui evangelicis auctoribus in lucem eruendis invigilant, quique ceu ad Solomonis templum exstruendum, lapides comportant quadratos, quo sinceritati evangelicæ (proh dolor!) quotidie relabenti vel utcunque possint consulere. Cæterum vix aliud opus, secundum tamen sacras litteras, jam exstare credam, quod perinde manibus omnium teri referat, atque hos Athanasii Commentarios ; hos, inquam, et apostolicam resipientes salvam, et minime doctrinis gentilium, sed Jesu Christi Servatoris nostri suavissimis præceptionibus onustissimos. Nam præterquam quod in eis morum Christianorum, et vitæ purioris exempla proponuntur ; ad cognoscendam tum Pauli erga fratres quam flagrantissimam charitatem, tum ipsius ærumnas et exantlatos labores, quæ ob Dei amorem perpressus sit, maxime videntur conducere. Deinde ea in enucleando puritas et pietas, ea in abstrusioribus sensibus eruendis subtilitas, id denique in dictis et paradoxis pondus, ut non possim non mihi certo persuadere, hosce quidem Commentarios Spiritu sancto dictante fuisse conscriptos. Quamobrem, candide Lector, nequaquam mirum, si in eis recudendis et sumptus fecerimus non mediocres, et operam supra quam dici possit majorem libenter adhibuerimus. Porro hæc Commentaria sintne Athanasii, aut cujusquam alterius, vel jam inter litterarum professores agitur controversia, et ut ait ille, adhuc sub iudice lis est. Non enim desunt, qui vel quadam pervacitate, sudeant ea Theophylacto ascribere, quem, ut suam tueantur sententiam, modo Vulgarium, modo Bulgarium solere vocari astruunt : adducentes etiam id, tanquam suæ opinionis firmissimum cardinem, Basilium in eis Commentariis sæpius induci, quem tamen Eusebius, si recte quidem animadverterit, fuisse Athanasio posteriorem, asserere minime veretur. Et hinc lis et controversia. Ego igitur, quando jam adhuc sum litterarum mysta, atque inter illarum colentes vel sane mihi-



mus, censuram meam inter tot tantosque viros non  
 iam interponere : tamen si quis privatim atque  
 amice me roget, cuiusnam esse arbitrer, auderem  
 vel juramento apposito respondere, nullius quidem  
 omnino alterius esse, præterquam Athanasii, utcun-  
 que variant hæreses et sententiæ, hoc sane maximo  
 argumento, quod in Theophylacti Commentariis,  
 quæ in Paulum edidit, et his, quæ titulo Athanasii  
 circumferuntur, varia phrasis, varius stylus, variæ  
 frequentius sententiæ : et hoc tum in Græcis, tum  
 Latinis codicibus. Quod cum ita sit, præsertim in  
 opinionum discrimine, qui fieri potest, ut ea com-  
 mentaria possint Theophylacto vindicari? Aliorum  
 tamen esto iudicium : nam ejus rei veritatem haud  
 plane possum assequi. Verum, optime lector, nequa-  
 quam nominis rationem habeto : atque id unum tibi  
 persuade, cujuscunque tandem sint, nihil præter  
 pietatem, præter religionem, denique præter sancti-  
 tatem iis inesse : multoque aliam illic vivendi ra-  
 tionem depingi, quam nunc temporis observemus :  
 eam tamen Servator noster Christus tandem ali-  
 quando et redire et reflorescere jubeat. Sane si plu-  
 rimum laudibus efferendi sunt ii, qui sacra potissi-  
 mum tractant, quique cœlestem callent sapientiam,  
 inter hos nimirum Athanasius primus commen-  
 dandus venit, eique palma jure deferenda. Nam  
 apud hunc adeo sunt omnia divinè scripta, adeo  
 sunt ingenio atque arte composita, adeo mirum in  
 exemplis eligendis iudicium, ut fieri non possit,  
 quin subinde occuperis in contemplanda ejus viri  
 sublimitate : tanti, inquam, ut in enarratione cœ-  
 lestium mysteriorum velut solem quemdam suspi-  
 ciam. Quare, obscuro, quædam brevius percurrit,  
 quædam tempestive enucleat, rursus quædam sæ-  
 pius repetit? Ne legentium memoria excidant. Et  
 hæc quidem de auctore : de laboribus vero et sudo-  
 ribus in eum impensis, pauca perstrictè dicenda  
 sunt. Atque in primis tantis sudoribus mihi consti-  
 tit, ut vel jurejurando affirmare audeam nunquam  
 Herculem, ut fabulantur poetæ, tam sustinuisse  
 laboris in Augiæ stabulo repurgando, quam tum  
 hoc in negotio mihi tolerandum fuerit : adeo ut tre-  
 centos amplius errores inde sustulerim. Quod haud  
 dubie possis cognoscere, si collatis exemplaribus,  
 periculum feceris. Etenim quiddam haud sane  
 omnino pœnitendi præstitimus : atque non pauca  
 pristino tum candori tum sensui restituimus ; sed  
 id optulante Christo : nos enim ne minimum qui-  
 dem boni ex nobis ipsis possumus efficere, utpote  
 homines ; hoc est, plus carni addicti, quam spiri-  
 tai. Et sane libenter labores tacite præterirem, qui  
 nobis in qualicunque emendatione suscipiendi ve-  
 nerunt, ne forsitan cuiquam moroso gloriosulus  
 apparerem : sed quoniam pauci admodum sunt,  
 qui recte labores æstiment, quos veteribus resti-  
 tuendis auctoribus impendere convenit, nisi qui  
 aliquando in eadem palæstra dimicaverint, visum  
 est te paucis super ea re commonefacere : tametsi  
 non desint quidam calumniatores impii, quibus hæc

tam amica parænesis et adhortatio vix fidem factu  
 sit. Malim enim multo Marte proprio quidpiam  
 commentari et contexere, quam auctorem deprava-  
 tum germanæ et veræ lectioni reddere. Quam ni-  
 mirum provinciam plerique vel eruditissimi refu-  
 giunt, scientes quia emolumenti parum habet, la-  
 boris vero et calumniæ plurimum : sed, ut jam præ-  
 fatus sum, etiam hæc decies repetita, vix tandem  
 sycophantis quibusdam persuaderi poterunt. Neque  
 vero putes nos mendas in universum omnes sustu-  
 lisse (nam quis, vel olim doctissimus id præstare  
 posset?), sed adeo in ea re nos sudavisse, ut opera  
 multo emunctiora luculentioraque nunc habeas,  
 quam antea vel ex Gallica, vel Germanica editione  
 circumferebantur : et hanc recentiore eo cultu  
 prodire, ut veteri omnino dissimilem arbitreris.  
 Sane (quod tamen citra reprehensionem dictum  
 velim) sive Gallicum, sive Germanicum exemplar  
 absque punctis decentibus claudicabat, absque liti-  
 teris majusculis suo loco impingendis, demum sæ-  
 pius absque artificio grammatico : et ibi periodus  
 notabatur, ubi legentis spiritus deciderat. Sunt ni-  
 hilominus forsitan et in his characteribus quædam  
 erratula : quæ tamen sensum litteræ minime pos-  
 sunt invertere, si protinus et diligenter emendave-  
 ris, utpote *a* pro *æ*, *u* pro *n*, *s* pro *f*, et cætera hu-  
 jusmodi. Ea igitur cum benignitate simul et silentio  
 castigabis, non vociferans errorum plaustrum te  
 deprehendisse : hoc enim non est charitatem imi-  
 tari, quæ neminem lædit, prodest omnibus : tum  
 tecum et tacite reputabis, nos etiamnum homines  
 esse, id est lubrico insidere, quemadmodum cæteri,  
 qui possimus et falli, et fallere. Bonam tamen menda-  
 rum partem, si quas deprehenderit, chalcographiæ  
 tumultuationi vindicabis : nihil enim adeo terse, adeo-  
 que pure excudi potest, quin semper aliquid cœni  
 non remaneat : sed hoc certe nulli norunt absolu-  
 tissime, nisi qui aliquando similem nobiscum telam  
 contexerunt. Ob imprimendi siquidem difficulta-  
 tem, fieri nequaquam potest, ut vel summa et cura  
 et sedulitate apposita, non tamen aliquid errorum  
 inter excudendum incidat. Id enim omnium suffra-  
 giis et calculo comprobatum est, præstare nempe  
 ne ulla mendula in opus aliquod irrepat, multo  
 sane difficilius esse, quam vel Jovi fulmen (ita enim  
 garriunt mendaces poetæ) vel clavam Herculi de-  
 trahere : præsertim cum sint adeo oculatè perpen-  
 denda cola et commata, verborumque phaleris et  
 cultui nonnunquam diutius immorandum, ad sensus  
 obscuritatem eruendam. Sed utinam verborum le-  
 nocinium, cui tam multi plus æquo dediti sunt,  
 procul ablegaremus, rem vero ipsam pressius per-  
 pendere liberet. Sunt enim quidam curiosuli, qui  
 dum verborum elegantiam attendunt, umbram  
 duntaxat rerum degustant. Non quod velim politum  
 et ornatum dicendi sermonem mea censura dam-  
 nare : si enim hoc vellem persuadere, plurimi sta-  
 tim exorirentur, qui me retunderent : sed quod ini-  
 quo feram animo, quia tam multi, atque ii sanc

putati doctissimi, totum studium, totum tempus, A  
totam denique ætatem linguæ duntaxat expoliendæ  
conferunt. Quæ quid superbis, quid gloriæ cupi-  
dus, quid Deo invisius dici potest? Nempe ut divus  
Augustinus ait: Idiota rapiant cœlos, et nos cum  
nostra litterarum peritia, cum scientiarum rhapso-  
diis hinc et inde consutis, ad inferna demergimur.  
Hic sane nonnihil ab instituto digressi sumus:  
tamen vana et effrenis mundi gloria, præposterum  
quoque hominum iudicium, ad id me compulit.  
Atque utinam (si tamen per sophos hujus mundi  
audeam id prædere), utinam, inquam, linguarum stu-  
dium homines adeo callide non inæscasset, neque  
invasisset. Plurimi enim aggressi litteras, omne  
vitæ suæ tempus in otio transigunt, sibi viventes,  
suo inclusi musæo, insudantes suis libris ad paran-

clam gloriam: citra denique manuum laborem, quem  
tamen Paulus omnibus in universum præscribens,  
ita inquit: *Qui non laborat, nec et is vescatur.* Cujus  
versiculi sensum docte perinde ac evangelice noster  
hic Athanasius exerit: quam interpretationem uti-  
nam tam factis exprimeremus, quam ore proloqui-  
mur. Quod superest, optime lector, quandiu hac  
aura vitali fruemur, bonis litteris, maxime vero sa-  
cris, nequaquam defuerimus: per eas enim, ut ait  
Paulus, vivimus, movemur et sumus: totisque  
præterea viribus enitemur, ut semper quidpiam  
non indignum a nostra prodeat officina, si modo  
nostram operam conatusque pios boni consulueris,  
hosque divinos in Epistolas Paulinas Athanasii  
Commentarios, tibi non ingratos fuisse perspexeri-  
mus. Vale pie, feliciter et Christiane.

IN SEQUEMTEM TABELLAM GEOGRAPHICAM MONITUM.

Grandis otii et consilii res esset Alexandrini patriarchatus plenam numerisque omnibus absolutam descriptionem ag-  
gredi. Cum enim centum circiter episcopatus in Ægypto, Libya et Pentapoli esse testificetur Athanasius, quantæ, amabæ,  
operæ foret, cujusque nomen, situm, limites investigare? Quamobrem id putamus esse ad præsens institutum satis, si loca  
Ægypti cum in Vita tum in operibus Athanasii memorata in tabella nostra topographica quamproxime ad verum situm  
adpingamus. Nec tamen erudito lectori dissimulandam duximus, nos dum in his pro facilitate et tempore versaremur,  
nec opinantes incidisse in nonnullos geographorum ævi nostri errores, quos cautionis et accuratioris causa ne pigeat in-  
dicare, ut ne qui post futuri sunt, in Ægyptiacis rebus per imprudentium locorum errent.

Jam adnotavimus ad pag. 148 Hermopoleos parvæ episcopatum eundem esse, qui τῆς Ἀλεξανδρείας γῆρας, sive agri Alexan-  
drini dicitur. Hermopolis enim metropolis τῆς Ἀλεξανδρείας γῆρας vocatur a Ptolemæo; et apud Athanasium Dracontius modo  
Hermopoleos parvæ, modo τῆς Ἀλεξανδρείας γῆρας episcopus nuncupatur. Non una porro Alexandrina civitas pro agro et sub-  
urbanis peculiarem episcopum habuit; sed etiam Arsinoe, quæ et Cleopatris dicitur, apud Athanasium, aliosque eccle-  
siasticos posteriore ut plurimum nomine insignitur. Strabo certe l. xvii, p. 804: Καὶ πόλις Ἀρσινόης ἐν τῇσι Κλεοπατρίδα  
καλεῖσθαι. Et in subscriptionibus IV tomo Concil., p. 83, Theophilus Cleopatridis, quæ et Arsinoe, comparet. Præter epi-  
scopatum autem Cleopatridis sive Arsinoe, erat alius τῆς Ἀρσινόου, id est nomi Arsinoitæ seu locorum Arsinoe circum-  
jacentium. Sic eodem tomo Concil., p. 119, est quidam Calosirius τῆς Ἀρσινόου, id est locorum circa Arsinoen episcopus.  
Hallucinant porro qui Cleopatrida diversam ab Arsinoe rati, eam urbem nullo auctore propter Hermopolin parvam  
locant, procul scilicet ab Arsinoite nomo, et Arsinoitæ episcopatum arbitrantur eundem esse qui Arsinoe. Nam præter  
loca mox allata, in Breviario Meletii, pag. 148, ita perspicue hi episcopatus distinguuntur: Ἰουδαία ἐν Κλεοπατρίδα, Μέναις ἐν Ἀρ-  
σινόη. Et in Notitia antiqua, cusa per Carolum a Sancto Paulo Fuliensi, Cleopatridis et Arsinoitæ dioceses memorantur,  
Arsinoe vero nulla mentio, quia uti conmonstratum est, eadem ipsa est quæ Cleopatris vocatur.

Est illud geographorum quorundam nobile erratum, quod urbem Andro, ad Canobicum Nili canalem sitam, vocent  
Andromenam, errore hinc orlo quod quidam editi Athanasii ad hunc locum Epistolæ ad Antiochenos, p. 619, Ζεῦλος Ἄνδρον,  
Μέναις Ἀντιφρόρων, Zollus Andro, Menas Antiphrorum, una voce Andromenam legant. Et pro palam est Menas esse episcopi  
Antiphrorum nomen. Miror quæ causa sit hujusmodi lapsus, cum erratum ab annis fere centum in notis suis emendaverit  
Petrus Felckmannus, cujus emendationem secuti sunt anno 1627 Parisienses editores. In Notitia antiqua mox memorata  
errore consimili legitur Ἀνδροπολίτης, perperam adjuncto scilicet Nicusii episcopatu cum Andropolitano. Ubi monitum lecto-  
rem volumus, haud satis consulto geographos ætatis nostræ urbem Nicusii aut Nicii procul a canali Canobitico versus oc-  
cidentem constituisse; ita ut longius ab Andro, quam Latopolis ipsa distet. Et exploratum tamen est urbem Nicusii statio-  
nem esse publicæ viæ inter Andropolin et Latopolin; ita ut mediū inter hæc urbes teneat, et propter Canobicum cana-  
lem locanda sit, ut ex Itinerario Antonini plantissime constat.

Ea item in re labuntur plerique omnes hujus sæculi cosmographi, quod Philas extremum versus Æthiopiam Ægypti  
oppidum ad oram Nili occidentalem constituent, etiam certum est ad ripam adversam sive orientalem situm esse. Nam in  
Itinerario Antonini, ubi describitur iter ab extremis Ægypti partibus versus Æthiopiam ad usque Clysmon locum in  
Arabia, procedendo scilicet ad oram fluminis orientalem, sic legimus:


Item per partem Arabicam trans Nilum.

- CONTRA PSELCIM.
- CONTRA TALMIS.
- CONTRA TAHIS.
- PHILAS.
- SYENEM.
- OMBOS.
- CONTRA APOLLONOS.
- CONTRA LATON.
- THEBAS.

Ubi vides ad eandem Nili oram sitas esse has urbes, Philas nempe, Syenem, Ombos, Thebas, quæ ut nemo nescit in  
orientale ripa jacent. Atque contra, nempe Pselcis, Talmis, Tahis, Apollinis urbs, Latopolis, ad oram adversam sive  
occidentalem, ut voce contra planum est.

Syenem Athanasius vocat Ζεῦλον, quam sic a plerisque nuncupari conmonstravimus in nostro De veritate historię Ju-  
dithæ opusculo, et in notis ad p. 306. Vocabatur item Ἄνδρον, et quidem frequentius.

Haud ingratum lectori fore putavimus, si triginta sex illas mansiones, quæ Alexandria Antiochiam intercedunt, in  
tabella nostra geographica adpingi curaremus, quæ scilicet grandem controversiæ ansam præbuerant. Nannius enim,  
cui vox παρὰ σὴνε mansio perpetuus scopulus fuit, hunc locum epistolæ Julii papæ p. 117, ἡ ἐκ τῆς τριάκοντα καὶ ἑξήκοντα ἐν  
Ἀντιοχείᾳ διορισθεῖσας πύλας ἀπὸ τῆς ἑξήκοντα ἑξήκοντα ἑξήκοντα, ita vertit: An qui solum ad triginta sex suffragia eorum, qui Antiochiæ fuere,  
externum hominem episcopum salutarunt, ubi vides triginta sex mansiones illas, in triginta sex episcopos commutatus,  
quod solemnè Nannio fuit: nam alias ἀπὸ τριήκοντα μόνον, et ἀπὸ ἑξήκοντα μόνον, a quinquaginta, et ab octoginta episcopis  
vertit. Prima post Alexandriam mansio fuit Cereu, vel, ut Athanasius et Gregorius Nazianzenus vocant, Χαμῆον, propter  
cænam Alexandrinum sita, ad oram occidentalem. Reliquas in tabella vide.



**ÆGYPTI**  
 ET  
**VICINARUM REGIONUM**  
 TABULA

*In qua delineantur loca sive ab Athanasio sive in Vita Athanasii memorata. Et una describuntur triginta sex mansiones quibus conficiebatur iter Alexandria Antiochiam.*

**MARE ÆGYPTIUM**

**CYPRUS INSULA**

**MARE PHENICICUM**

**PALES-TINA**

**AUGUSTAMNICE**

**ARABIA PETRÆA**

**PARS**

**ARABIAE**

**FELICIS**

**MARE ERYTHREUM et**

**MARE RUBRUM**

## IN VITAM SANCTI ATHANASII MONITUM.

1. Sera querimonia esset, æqualibus amicisque Athanasi vicio care, quod tanti viri gesta silentio prætermiserint, neque ullus familiaris ea scribendi provinciam susceperit, quæ jam haud sine ingenti labore hinc et inde e monumentis veterum repeli possunt. Duræ partes nobis sunt, cum haud minor sollicitudo incumbit qui caveamus commenta et fabulas, quam quo pacto vera et germana deprehendamus. Ne nos tamen curarum nimis pœniteat divino consilio prospectum est, quando Athanasii scripta benè multa a temporum injuria vindicata sunt, quorum ope plerumque vera a falsis internoscere sit facultas. Quod si salva et integra omnia essent, facilius foret a commentis, a præposteris putandi rationibus, a turbato rerum ordine, quæ ut plurimum in reliquis scriptoribus occurrunt, sese expedire.

2. Ut enim ab iis ordiamur, qui tempore Athanasii vixerunt, Eusebius perpauca affert Athanasii vitam spectantia, ac mutux cum Arianis operæ causa, suspiciosissima. Quod autem per mihi mirum videtur, ne verbum quidem de Athanasio affert, nihil de pugnis cum Ariana hæresi, nihil de Tyriis rebus, et quasi per dissimulationem ignorandi omnia præterit, puta quia gestorum pudor silentium imperaret. Hilarius multa affert opportuna Athanasii vitæ adornaudæ: at eorum pleraque apud Athanasium item leguntur, ita ut pauca nova et ab aliis intacta referat. Jam ad eos accedamus, qui proxime Athanasii ætatem vixerunt, ita ut senem et videre et alloqui potuerint. Gregorius Nazianzenus præit ætate dignitateque, par sano enarrandis Athanasii gestis, quantumvis tritum ac vulgarem rerum usum excedant. Verum ille ut scite atque naviter oratoris munus explevit, ita jejune et tenuiter res, acta, tempora tetigit, ut ejus Ἐγκύκλιος perlecto haud multum doctiores abeamus, imo vero incertiores in plerisque quam dudum fuimus, ob minus accuratara certarum rerum memoriam.

3. Æqualis huic Epiphanius, de Meletianis, Arianis, Semiarianis, Dimceritis agens, multa dixit Athanasii historiam spectantia; at quæ de Meletianis ait, cum ex Meletiano quopiam hauserit, et plerumque commentitia sint, nedum quidpiam lucis afferant, fucum factum accedere videntur. Reliqua melioris notæ sunt, verum implicata sæpe et pauca pro tantarum rerum usu. Rufinus suppar, negligentix nomine passim suspectus, nimia facilitate historiolas multas invexit, quæ fingentis magis artificium quam rem vere gestam oleant: hinc est ut caute incauti ducis vestigia sectari necesse plerumque sit. Tam præposterus est in temporum rationibus, ut, cum Socrates illo auctore priores *Historiæ* suæ libros conscripsisset, ubi se longius abductum sensit, a Rufino in deviis locis actum se questus, a cursu ipso gradum revocaverit, et aliam ingressus viam sit. Sulpitius Severus importuna brevitate præterlabitur, ut vix rem quæ agitur ob oculos ponat; pauca de Athanasii vita narrat, perplexæ satis, neque magni ad ejus historiam est usus. Auctor *Vitæ Pachomii*, quæ nuper in *Actis sanctorum*, tom. III Maii, cusa fuit, non pauca suppeditat nova, præclara, hactenus intacta, similiterque epistola Ammonii episcopi Athanasio æqualis, secundum eam *Vitam* cusa. Socrates Rufinum, ut mox dictum est, auctorem et ducem secutus est in prioribus *Historiæ* suæ libris, donec se abactum procul sensit, et novam historiæ viam ingressus est; neque seipso felice duce usus est, quam Rufino; plurima ex Sabino Macedoniano hausit, vel eo nomine suspecta et cavenda: quantam vero in ordine et tempore perturbationem attulerit, pluribus est alias commonstratum. Sozomenum aiunt vulgo ex Socratis scriptis omnia fere expiscatum esse, et nos statim rumore auctore idipsum putabamus; verum longe alio modo rem se habere deprehendimus, et tractatione diuturna comperimus, multo præstantiorem esse Sozomeni quam Socratis *Historiam*. Etsi enim ut plurimum consimili rerum ordine procedit, plurima certe affert optimæ notæ, ab Socrate intacta, inobservata, aut minus accurate recensita: cujus-

modi sunt res Tyri gestæ, Georgii expulsio Alexandria, quam in annum circiter 356 reponimus : et similia quæ *Vitam Athanasii* a nobis adornatam inspicienti passim sese offerent. Ad hæc res pluribus majorique accuratione vulgo recenset. Id cuique Sozomeni Historiam legenti, dum præjudicatam ponat opinionem, propalam erit. Theodoretus etsi vulgo ita brevis et perplexus est, ut res misceat ; opportunus tamen, quia acta quædam et monumenta rerum affert quæ nusquam alias exstant. Gelasius Cyzicenus nugax plerumque, quo sine magna cautione uti non licet. Hujus tamen beneficio aliquot epistolis, et sinceris quidem, aucti sumus. His maxime scriptoribus antiquis in adornanda *Athanasii Vita* usi sumus. Nam *Vitas Athanasii* Græcas a nobis editas quod spectat, quam minimi pretii illæ sunt. Prior enim quæ est anonymi cujusdam, ex Soeratis, Sozomeni, et Theodoreti scriptis desumpta est, adjectis insuper sexcentis fabellis : nihil ibi sanum, omnia contaminata, sus deque versa ; demum magno conatu magnæ nugæ dicuntur. Exstant ibidem quædam præfectorum nomina, non alibi memorata, ideoque non sine magno scrupulo usurpanda. Quæ vero ex Photii *Bibliotheca* desumpta est Athanasii Vita, ipsius Photii judicio, quisquiliæ sunt sine pari. Quod si, ut ait Tullius, omnibus in rebus similitudo est satietatis mater, in his haud dubie fastidii et nauseæ parens erit ; et fateamur necesse est nos damno auctos esse. *Vita Athanasii* Metaphrastæ opera concinnata melioris quidem notæ ; sed cum ex laciniis hinc et inde consarcinatis constet, a scriptoribus qui eliamnum exstant mutuatis, non magni usus esse potest. Agmen claudit *Vita Athanasii* ad usum Coptorum adornata ex Arabico versa a clar. viro Renaudotio, linguarum Orientalium scientissimo, qui eam nobiscum amice ac perhumaniter communicavit. Est autem ea gens stupendæ ignorantæ et nugacitatis, ut etiam, quod gravissimum dictu est, Græcos ea in parte longe retro relinquant, quod vel ex hoc opusculo videre est, nugis et ineptiis supra fidem plenissimo. Nec tamen pœnitet edidisse, ut videas, candide lector, gentis acumen. Exstant in Latinis codicibus Athanasii Vitæ nonnullæ, ex *Tripartita historia* et ex Rufino collectæ, nullius omnino usus ; easque ideo urætermisimus.

4. Ad recentiores *Vitæ Athanasii* auctores veniamus, qui decimo quinto, decimo sexto, et præsentis sæculo floruerunt. Non omnium porro, qui huic rei operam dederunt, lucubrationes recensere animus est : res propemodum infinita foret, sed satis esto illos enumerare, qui hac in parte primarii esse videntur. Primas inter illos obtinet Joannes Tortekius Aretinus, qui *Vitam Athanasii* ex veris, dubiis, falsis Athanasii et aliorum quæ tum Latine exstabant operibus concinnavit, quæ in editione Parisiensi anni 1520 exstat, et nuncupatoriam præfixit epistolam ad Eugenium quartum pontificem. Hujus conatus pro temporis conditione laudandus : et si quidem jam nullius usus sit hujusmodi lucubratio, id ætati potius quam scriptori tribuas. Lipomanus multis post annis *Vitam Athanasii* inter alias dedit ; et nihil aliud egit, quam quod ex diversis diversorum locis hinc et inde accitis unum opus contexit, perturbato plerumque rerum et temporum ordine. Nec plus lucis Athanasianis rebus attulerunt, qui secundum hæc Vitæ sanctorum scribendis operam navarunt. Aliam exhibent veteres editi *Vitam Athanasii*, ab nescio quo anonymo, non ineleganter quidem, sed oratorio more conscriptam, permistis plerumque rebus, quam perinde atque cæteras mox commemoratas missas facere nullo dispendio licuit. Demum anno 1671 clar. vir Hermantius, insigni opere *Vitam Athanasii* Gallico idiomate in lucem emisit, probatam quidem, et omnium ore celebratam, ubi non quæ Athanasium modo, sed quæ æquales ejus spectant, pluribus complectitur vir eruditus. Et accuratius multo opus dedisset, si editione Commeliniana et Felckmanni lectionibus fuisset usus. Hujus lucubrationes magni facimus, sententiam tamen haud raro impugnamus : tum quia, ut vulgo fertur, variant opiniones ; tum fortasse, quia diuturniore usu operum Athanasii, codicum et cæterorum ad eam rem pertinentium, plura perspiciuntur. Et vero is si tantumdem otii codicibus et editis Athanasii consumpsisset, multo plura vidisset, et accuratiora nostris dedisset.

5. Jam de *Athanasii Vita* a nobis adornata sit sermo, et quidem paucis : nam ego tuum, erudite lector, hac de re judicium exspecto, non tu meum. Id primum scitu opus est, in

proposito nobis minime fuisse, ut omnia Arium, Arianos aliosque hæreticos illius ætatis; itidemque Alexandrum Alexandrinum, Hosium, Marcellum, Serapionem, aliosque Athanasii familiares aut synodos spectantia recensere; sed solummodo ea quæ vel ad Athanasii Vitam pertinent, vel ad eam proxime accedunt. Etsi porro curarum pro facultate, ut narrationem gestorum ne interciperem: at ubi incidunt controversiæ, et interpellatum opus, tum paulum spatium sumo, et paucis ad quæstionem allatis destinatum persequor iter. Nova non pauca, nec quod sciam hæcenus observata, animadvertent eruditi. Annalium more adornata omnia sunt, opportuno scilicet, ac dictis viris acceptissimo. Tametsi vero, si quid occurrat in gestis difficultatis, id, ut plurimum, quoad facultas tulit, expendimus, quædam tamen, ut evenire solet, prætermissa sunt, quæ jam explicemus oportet.

6. Diximus ad annum 322, num. 1, videri nobis Colluthum, temerarium illum presbyterum qui suoapte arbitrio jus constituendi presbyteros sibi arrogabat, eundem ipsum esse qui epistolæ synodi Alexandrinæ, anno 321 celebratæ, prior subscripsit; secus arbitrati sunt alii viri docti. Rem paucis lectori expromam. Arius damnatur cum sociis in synodo Alexandrina anno circiter 320 vel 321. Damnationi Arii subscribunt presbyteri omnes Alexandrini et Mareotici, et diaconi, quotquot scilicet ad Arium non desciverant: inter hosce presbyteros Colluthus unus hoc nomine fertur, qui prior dat suffragium contra Arianos: Colluthum vero audacem illum, infensum Arianis fuisse narrat Alexander Alexandrinus in epistola sua ad Alexandrum Constantinopolitanum (a). Hinc conjectamus Colluthum dissidii auctorem eum ipsum esse qui synodo Alexandrinæ primus subscripsit. Nondum enim quo tempore celebrata synodus Alexandrina fuit, anno scilicet 320 vel 321, nefariam illam rem aggressus fuisse videtur Colluthus; nam si jam orsum et publicatum malum fuisset, quæ causa erat quod de tanto ausu nihil in ea synodo ageretur? Res sane est ad synodos pertinens, et gravissima quidem. Sin vero orsum dissidium Colluthianum non erat cum ejusmodi synodus celebrata fuit, quid vetat quin putemus Colluthum presbyterum, qui synodo Alexandrinæ primus subscripsit inter presbyteros, et solus hujusce nominis ibidem memoratur, eundem ipsum esse qui dissidii paulo post auctor fuit (b); cum hic quoque et presbyter Alexandrinus, et Arianis, initio saltem sectæ suæ, infensus fuerit, ut testatur Alexander episc. Alexandrinus? Aiunt autem ex adverso, Alexandrum ita de Collutho schismatico verba facere, ut indicare videatur eodem quo Arius tempore ipsum turbas movisse; et Epiphanium hæc. lxxix dicere, Colluthum, Sarmatam, Carponem et Arium presbyteros, quibus erant quatuor Alexandrinæ Ecclesiæ contributæ, turbarum auctores fuisse et populi Alexandrini multitudinem in varias distraxisse partes. Qui Epiphanius hæc dicendo videtur indicare, eodem tempore abortas fuisse illas Alexandrinæ factiones; atque adeo Colluthum jam tum cum Arius damnaretur defecisse ab Ecclesia, ideoque non illum ipsum esse qui Alexandrinæ synodo prior ex presbyteris suffragium dedit. Verum nemo, ut spero, citra præjudicatam opinionem Alexandri et Epiphanii verba leget, qui existimet eos ita stricte tempus significare voluisse, ut eodem omnino temporis puncto Arium, Colluthum et alios dedisse turbas et schismatis auctores fuisse narrent. Et vulgatum est ut eodem tempore gesta dicamus, quæ modico temporis spatio, licet alia prius, alia posterius, evenerint. Ad hæc ex Epiphanio haud invalidum pro nostra opinione argumentum eruitur. Cum enim in Alexandrina synodo superius memorata, Arius, Carpones et Sarmates damnentur, ac de Collutho nulla mentio sit; nisi in subscriptionibus presbyterorum Alexandrinorum ubi primas ille tenet; hinc sane confici videtur, Colluthum nondum aperte defecisse, et eum ipsum esse qui suffragium adversus alios dedit, et paulo post auctor dissidii fuit. Idem autem Colluthus, anno 324, ab Hosio in synodo Alexandrina in ordinem redactus est. Totam rem eruditi lectoris arbitrio permittimus.

7. Ad annum 326, num. 1, diximus mortem Alexandri Alexandrini præsulis a quibus-

(a) Theon. lib. 1, cap. 4.

(b) Theod. ibid

dam consignari in 26 Februarii ejusdem anni : res jam accuratius investiganda novis est. Ut diu ignotus Occidentalibus fuit annus obitus Athanasii; sic qua die decesserit Alexander, ad usque nostram ætatem ignoratum est; donec scilicet *Oriente Chronicon* ab Abrahamo Eckellensi editum fuit in typographia regia, anno 1651, et quidem concinnata ad mentem Coptorum seu Jacobitarum, non Melchitarum seu Græco ritui addictorum; eujus *Chronici* non contemnenda pars est chronographia patriarcharum Alexandriæ Latine translata ab eodem Eckellensi. Ibi annus obitus Athanasii, et anni episcopatus ejus apprime notantur. Alexander vero ibidem obiisse fertur die 22 Barmudæ, ut vocant, mensis exacto jam anno 318, currente vero 319 æræ Christianæ Alexandrinæ, videlicet anno 326 Dionysianæ, decima septima Aprilis Juliani, cum esset littera Dominicalis B, Dominica nimirum, ex antiquo Orientalis Ecclesiæ usu, inchoata ad vesperam Sabbati, occidente sole, ad vesperam usque sequentem; ita tamen ut vicesima secunda Barmudæ mensis, qui Coptis pro Aprile habetur, ad mediam noctem more Romano desineret. Obiit igitur Alexander, nocte Dominicam inter et feriam secundam intercedente, anno 326, decima septima Aprilis. Wanslebius in Ægyptum haud semel peregrinatus, ex Coptorum libris eandem obitus Alexandri diem assignavit, scilicet 22 Aprilis (Coptici), quem Ægyptii vocant Barmudam, inciditque in 17 Aprilis Juliani. Eadem porro die S. Alexandri memoria celebratur a Copta et Abyssinis, et in antiquissimo eorum Calendario ipsissima die mortuus fertur Alexander. Argumentum porro illud est, illam veram esse et genuinam Alexandri obitus diem, quod in Calendario Abyssinorum Æthiopum, qui ex Coptico catalogo exscriptus olim fuit, ad vicesimam secundam mensis Barmudæ hæc legantur, *Alexandros Likæ Papas*, id est *Alexander presbyterorum patriarcha*, ac si dicas, *summus sacerdos*. In quæ verba hæc notat Ludolphus (a) : *Decimus nonus patriarcha Alexandrinus, Likæ Mahæbær, præses concilii Nicæni œcumenici ab encomiaste vocatur, cui astipulantur historici Orientales, obiit hoc ipso die*. Si Theodoro fides esset, Alexandri obitus probe in Februarium anni 326 referri posset : ait quippe diem obiisse, *μετὰ πέντε μήνες τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου, quinque mensibus post Nicænam synodum exactis*. At Theodoretus haud satis accurate Athanasii sententiam exceperit. Longe namque varia narrat Athanasius; sed en ejus mentem. Dum turbas daret Meletius, *ταῦτα δὲ πρᾶκτορος τοῦ Μελετίου*, hæresim Arianam exortam esse, *γένετο καὶ ἡ Ἀριανῆ αἵρεσις*. Deinde vero hæresim Nicææ damnatam, Arianos vero Ecclesia ejectos fuisse, *ἐβλήθησαν*. At secus cum Meletianis actum, nam admissi in Ecclesiam fuere; additque Athanasius non necessum esse narrare quid causæ fuerit quod illi admitterentur. *Οὐκ ἔστιν ἔτι πέντε μήνες παρῶλον, nam quinque mensibus nondum exactis*, Alexander reversus Alexandriam, Nicæno jussui obsequens, perfidos in Ecclesiam admittit, *καὶ ὁ μὲν μακαρίτης Ἀλέξανδρος τετελεύτησεν, et beatæ memoriæ Alexander obiit*. *Οἱ δὲ Μελετιανοὶ δέον ἠρμεῖν καὶ χάριν ἔχειν ὅτι πάντες ὁμοῦ ἐδέχθησαν*, scilicet Meletiani, quos quiescere par erat, et gratiæ loco habere quod aliquo saltem modo admissi fuissent, *οἱ δὲ κατὰ τοὺς κύνας*, etc., statim post mortem Alexandri, quasi canes ad vomitum reversi sunt. Palam est Athanasium, ut notet Meletianorum perfidiam, significare pacem cum illis in vitam dampno fuisse, quando vix quinque mensium spatio post datum fœdus exacto, ad ingenium rediissent, et pejorem quam ante intulissent Ecclesiæ cladem. Illud porro, *mensibus quinque nondum exactis*, non a soluta Nicæna synodo ait Athanasius, uti diximus, sed a receptis Meletianis : quod quæ ratione peractum fuerit, narrat inferius, n. 72 *Apol. contra Arian*. Athanasius, ubi post allatum Meletii *Breviarium*, ait Meletium episcopos et presbyteros, abs se per diversa Ægypti loca constitutos, Alexandro coram abductos obtulisse. Ubi advertas velim, necessum esse non paulum intervenire temporis spatium ab adventu Alexandri Nicææ remigrantis Alexandriam, usque dum tot episcopi in tam dissitis locis positi in eandem urbem convenirent, ut Alexandro coram sisterentur. Ideo autem Athanasius post hæc verba, *οἱ δὲ Μελετιανοὶ ὅπως ἄρα οὐδέποτε ἐδέχθησαν* οὐ γὰρ ἀναγκαῖον νῦν τὴν αἰτίαν ἐνομάζειν, *MOX* adjicit, *οὐκ ἔστιν ἔτι πέντε μήνες παρῶλον, καὶ ὁ μὲν μακαρίτης Ἀλέξανδρος τετελεύτησεν, οἱ δὲ Μελετιανοὶ, δέον ἠρμεῖν*, ut palam faciat infirmam fuisse pacem illam cum Meletianis, cum vix elapsis quinque post reconci-

(a) In *Commentario*.



lialam gratiam mensibus denuo turbas dederint : unde perspicuum videatur, quinque mensium exordium duci ab adventu et reconciliatione Meletianorum cum Alexandro. In antiquis Latinorum Martyrologiis nulla S. Alexandri Alexandrini memoria erat : verum vicesima sexta Februarii die memorabantur Alexander, Nestor et Theon martyres cum sociis suis. Ita scilicet in Martyrologio Gellonense et in vetustissimo Luccæ cuso cum notis Florentinii(a). In his, inquam, Martyrologiis (Gellonianum excipe) secundum martyres mox memoratos, legitur : *In Alexandria Felicis et sociorum*. Hinc vitiosa interpunctione, illud, *in Alexandria*, ad superius memoratos martyres, scilicet Alexandrum, Nestorem, etc., adjunctum fuit. Sic turbato semel ordine, auctor brevissimi Martyrologii Aquileiam Roma transmissi, et Adoni Viennensi postea oblato, nimium conjecturis indulgens, Alexandrum illum præsulem esse ratus, sic audacter restituit, *Alexandriæ Alexandri gloriosi senis episcopi*, et ad vicesimam septimam ejusdem mensis habet, *Juliani martyris et Euni qui cum ipso sene in confessione perduravit*; ita ut martyrem et episcopum quoque Alexandrum fuisse memoret, quod utique falsum. Et vero Alexander ille quidem, ut primitus jacebat integris rebus, martyr vere fuit, ut observant in notis suis Florentinius et Henschenius. Vandelbertus autem in Martyrologio suo metricè conscripto, Alexandrum omittit, socios memorat, Theonam scilicet et Nestorem martyres; Rabanus, Alexandrum et socios tantum. Ado autem Viennensis duce usus Martyrologio suo superius memorato, Alexandrum præsulem hic male situm suis etiam notis distinxit, adjiciens eum episcopum Alexandriæ extitisse, et damnasse Arium, ac Nicænæ interfuisse synodo. Usuardus, auctor Martyrologii Bedæ falso ascripti, Notkerus, auctor Martyrologii Romani, quasi oves gregariæ, Adonis lapsum sequuntur. Atque exinde erratum obtinuit, ac in vicesimam sextam Februarii certatim omnes diem obitus Alexandri contulerunt. In decimam porro septimam Aprilis si constituamus, optime quadrabunt omnia, uti est a nobis superius commonstratum.

Ad annum 327, ubi de itinere Athanasii Thebaico, notandum eam clausulam Græcam *Vita Pachomii*, ἀρχόμενος τῆς ἐπισκοπῆς, non fuisse Latine versam ab interprete. Ejus vera sententia est, Athanasium eo concessisse cum iniret episcopatum.

Ad annum 362 magnopere observanda hæc Ammonii in epistola *De Vita Pachomii* verba καὶ μετὰ τὸ διωχθῆναι τὸν πάπαν Ἀθανάσιον τῷ ἐνάτῳ μηνὶ τοῦ ἔτους Ἰτους, Ἰουλιανὸς βασιλεύσας, ἀνὴρ εἰδωλόλατρος, τὸν μὲν πάπαν Ἀθανάσιον εἰς τὴν Θεβαΐδα ἐξώρισεν, etc. Id est : *Nono mense sexti anni post pulsum papam Athanasium, Julianus imperio potitus vir idololatra, papam Athanasium in Thebaidem relegavit*. Duo hic observatu dignissima deprehenduntur. Primo Athanasium, circa mensem Octobrem anni 362, sub Juliano, pulsum fuisse, scilicet nono mense sexti anni postquam profligatus a Constantio fuerat, quod tum accidit cum mense Februario a Syriani et militum impetu se proripuit anno 356; postea vero, scilicet sub finem anni 361, vel initio 362, cum inauguratus Julianus imperator facultatem exsulibus redeundi dedisset, Alexandriæ novem circiter menses commoratus est, donec mense circiter Octobri, ejusdem Juliani jussu, Alexandria decederet. Secundo Juliani jussu in Thebaide exsulasse, quod ab aliis ecclesiasticæ historiæ scriptoribus minime traditum est.

Ad annum 363, num. 1. Non parum negotii facessunt hæc verba quæ apud Ammonium Græce ita leguntur : Διὸ οὐκ ὀφείδεις ἐπὶ τὴν Θεβαΐδα σκυλλόμενος ἀπέλθειν, ἀλλ' εἰς τὸν κομητᾶτον λελαθῶτως γενίσθαι. Συντελέσθαι γὰρ αὐτῷ καθ' ὄδον, καὶ γνησίως ὑποδεχθεὶς, ἐκανίσεις εἰς τὴν Ἐκκλησίαν. Id est : *Propterea ne molestum iter ad Thebaidem excipias; sed ad comitatum clam te conferas. In via namque ipsum offendes, et clementer ab eo exceptus, reverteris in Ecclesiam*. Ubi videtur Theodorus, qui hæc ex prophético spiritu Athanasio mandat, jubere ipsi ut recta imperatoris comitatum petat et imperatorem adeat. Et tamen certum videtur ex iis quæ in *Vita Athanasii* ad hunc annum, et in *Monito* ad epistolam Joviani diximus, Athanasium non statim imperatorem adiisse, sed primum petiisse Alexandriam, ibique aliquantisper commoratum esse.

(a) *Spicileg. Dacheri.*



# VITA SANCTI ATHANASII

## ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI.

ANNO 296. — *Athanasii ortus, patria, parentes.* — A incidit Athanasii ortus in Diocletiana illa tempora, calamitatibus cædibusque Christianorum funestata. Parentes ejus pii, Christiani, ac, si qua fides inferioris ævi scriptoribus, nobilitate et opibus insignes. Patrium solum Alexandriam fuisse cum alii plurimi tradunt, tum ipse nec semel innuit, et perspicue cum profugus missis ad Luciferum litteris ait (a), excubantes Arianos in aditus portasque urbis, admisse sibi, ex quo se illorum manibus proripuerat; parentes invisendi facultatem. De ortu anno altum ubique silentium. Verum, prementibus ultro citroque argumentis et conjecturis, natum opinamur Athanasium anno circiter 298. Ne citius ortum dicamus, vetat quod ait ille (b) se a patribus accepisse quæ Maximiano principe anno 303 Christianis illata sunt mala: cum scilicet ipsi per teneram ætatem ne domesticas quidem calamitates sentire liceret et observare. Qui autem anno 290 natum putant, vereor ut majorem duodenne tantæ cladis immemorem suadeant. Et vero si anno 290 natus sit, anno 326, quo fuit in episcopum allectus, triginta septem annorum fuerit; ac ne minimus quidem Arianis fuisset locus criminandi, quod minore quam lex ferret ætate in episcopum Alexandrinum fuisset cooptatus: de quo tamen Athanasium in crimen vocatum fuisse memorat Ammonius (c). Ne post annum 296 referamus multa dehortantur: a martyribus quippe Athanasius se, ante annum scilicet 311, edidicisse ait sublimem divinarum Litterarum doctrinam: quod vergentem ad adolescentiam ætatem arguit (d), cum tantarum rerum tenella et infantilis capax non sit. Ad hæc vero, ante annum 319, nondum exorto Arianismo, libros edidit, tanta eruditione et gravitate, ut nullis non Patrum scriptis sint comparanda. At enim si ineunte sæculo ortus esset, ut autumant nonnulli, quis putet novemdecim annorum adolescentem tantis edendis libris parem et maturum? Hæc jam satis sunt, multa enim quæ consequuntur, nostram firman opinionem.

ANNO 301. — 1. *Exortus Meletiani schismatis.* — Dum tenera adhuc infantia esset, cœpit respublica in Ægypto Christiana intestino et exitioso dissidio conflagrare. Namque Meletius, Lycopolitanus episcopus (e), multorum scelerum, oblatique gentilium numinibus sacrificii reus, in judicium vocatur a synodo Alexandrina, cui tum

A præerat Petrus Alexandriæ præsul; ibique ille in promeritam flagitiis pœnam damnatus et abdicatus est. Meletius vero, conscientie nempe stimulis exagitatus, non ausus aliam appellare synodum; nec, quæ una supererat gratiæ ineundæ via, facti veniam precatus, abducta secum consceleratum turba, Petri in cujus ditione erat imperium detrectare; nova in dies machinari; episcopos presbyterosque ubique locorum contra jus fasque constituere; alias atque alias parœcias ad defectionem sollicitare; Marcotem ipsam nobilem Alexandrini episcopatus portionem tentare, quod tamen ei minime cessit ex voto. Fertur demum tanta fuisse vafrutiae, ut calumniis insidiisque non paucos a Petri, Achille et Alexandri partibus abduceret. Hujus sequaces, amisso Christianorum nomine, Meletiani audierunt, qui Athanasio haud minus quam decessoribus infesti, virum non semel fictis criminibus vocerunt in capitis discrimen

2. Hæc ex Athanasio verace et ut plurimum oculato teste. Verum diversa longe narrat Epiphanius (f), quibus facti invidia Petro non minus quam Meletio conferatur. Ait nimirum Petrum et Meletium fidei causa comprehensos, atque in carcerem cum multis aliis reclusos, de recipiendis lapsis quæstionem agitasse: Meletiumque, gentilium ritibus pollutos, qui veram fidem negassent, Ecclesiæ aditu interclusos oportere contendisse: ac ne facilitas veniæ multis occasione et offenculo foret, deterrendos exemplo severitatis: Petrum contra, et quorum melior sententia menti, pœnitentiæ locum dandum esse resipiscentibus defendisse, ne præcisa spe veniæ, in extremum perniciæ et infidelitatis ruerent qui semel lapsi fuissent. Acriter, ait Epiphanius, utrinque versa res est, aliis in aliam partem, quo scilicet opinio ferebat, concedentibus. Tum Petrus pallium in medio carcere stravit, et proclamari a diacono jussit: « Qui mecum sentiunt, huc accedant. » Mox pauci episcopi, monachi, presbyteri Petrum; multo plures Meletium adeunt. Palam certe res est, Epiphanium Meletiani cujusdam fraude circumventum tale commentum edidisse, cui reclamant cum Athanasio omnes ecclesiastici scriptores. Quamobrem, missis cæteris quæ ille ad Meletii laudem et commendationem attulit, nos veriora sectemur. Annum porro orsi Meletiani dissidii, Athanasii vestigiis hærentes, statuimus 301. At Baronius

(a) Ep. 2 ad Luciferum.

(b) Hist. Arian. ad monachos, n. 64.

(c) Epist. Ammonii, p. 350.

(d) De Incarnat., n. 56.

(e) Apol. contra Arian., v. 59.

(f) Hæres., LVIII.

ex male intellecto Athanasii loco perperam inita temporis ratione in annum refert 306. Qua de re pluribus actum est ad epistolam Ægyptiis episcopis datam.

ANNO 303. — *Maximiani furor in Christianos.* — Insignis est annus 303 furore Diocletiani et Galerii Maximiani in Christianos : qui Alexandriæ potissimum tam atrociter sæviit, ut gentiles ipsi misericordia erga Christianos moti quoad facultas erat cruciatibus subducerent, nec sine fortunarum et capitulis discrimine domi occultarent. Quam rem, quod prima Athanasii pueritia evenerit, non sua ille, sed patrum memoria gestam narrat (a).

AB ANNO 303 AD 311. — 1. *Arii mores et gesta.* — Neque ita multo post, grassante Meletiano schismate, longe gravius exitium Ecclesiam Dei invadit. Arius enim (b), ex Libya monstrorum parente oriundus, mutatis sedibus, Alexandriam commigrat, Petro sedem occupante. Procera homo statura, subtristis et macilento ore, cujus pallor animi tetra versantis indicium; passi crines et incompti, vestis squalida et ad reliquam speciem composita. Hoc apparatu, hoc artificio populi spectaculorum amantibus gratiam captabat. His artibus animus gloriæ appetens aditum sibi parabat ad honores et dignitates. Ad hæc, ait Epiphanius, leni interdum officii-que pleno vultu obvisi occurrere solebat; cunctosque comiter compellare, quo sibi quamplurimos devinceret. Hi mores hominis. Erat porro dialecticæ artis aliarumque disciplinarum scientissimus; et, quæ opportuniore ad existimationem via, præferebat pietatis religionisque studium singulare. Hic perspectis factionum partibus, statim in Meletii clientelam se contulit. Verum mutata brevi sententia, qua faciliorem putabat ad gradus ecclesiasticos aditum, eo consilia et studia convertens, a Meletio descivit ad Petrum Alexandrinum; a quo perhumaniter exceptus, ut erat ad fraudem et ad simulationem natus, viri gratiam aucupatur, ac brevi in diaconatus ordinem delectus est. Haud ita multo post, cum Meletianos Petrus ut factiosos, et reipublicæ Christianæ adversarios pelleret Ecclesia, Arium etiam, quem (ut est ambitio inquieta et turbulenta) gesta sua improbare traducereque, ac nova in dies moliri deprehendit, Ecclesiæ ingressu et communionem interdixit.

2. *Athanasii institutio.* — Inter hæc Athanasius in juvenili ætate humanis divinisque traditus disciplinis, specimina dabat ingenii ad summa nati. In humanis autem addiscendis non modicum operæ temporisque consumpsisse suadent ejus scripta, potissimum *Contra gentes*, varia et antiqua illa eruditione referta; ac videtur in primis fuisse in Homeri Platonisque libris versatissimus. Grammaticorum item ac rhetorum scholas frequentavit (c) : nec

A ignarum hoc eruditionis genere produnt ejus quæ jam supersunt opera. Quid si superessent infinitæ prope illius homiliz, epistolæ, commentaria, ingenti reipublicæ cum litterariæ tum ecclesiasticæ dispendio amissa? Divinas autem Litteras frequens adeo perlegit, ut universam pene Scripturam memoriter tenuisse dicas, ita frequenter et opportune illa utitur. In Patrum item superioris ævi scriptis evolvendis assidue diligenterque versatus, magistros in divinis sibi fuisse testatur (d), theologos eruditosque viros, pietatis doctrinæque causa martyrio consummatos. Iis ille doctoribus, quæ Christi incarnationem Scripturamque sacram spectant, edidicisse se commemorat. Et fortasse martyres cum meminit, apud Petrum ipsum Alexandrinum se Christianæ disciplinæ tyrocinia posuisse subindicat. Jurisconsultum appellat Sulpitius Severus. Et vero videtur, cum ex scientia rerum gerendarum, tum ex sparsis per diversa ejus opera locis, fuisse hoc litterarum genere egregie peritus. Sane providente Numine hæc opportune tela comparavit, quibus exinde hæreticorum agmina impeteret profligaretque, quod omni spe maturius evenit.

ANNO 311. — 1. *Petri martyrium.* — Petri Alexandrini martyrio nobilitatus est annus 311, cujus sanguine restincta videtur immanis illa Christianorum vexatio, per Ægyptum præsertim, Maximini temporibus grassata. Quæ fertur autem in quibusdam Actis (e) historia de Petro antistite, cui instante morte Christus apparuerit, talari qua operiebatur veste ab Ario discissa, monens ut ne Arium admitteret ad Ecclesiæ communionem, id ipsumque præciperet Achillæ et Alexandro, qui ejus futuri successores essent; hæc, inquam, a nemine veterum tradita, jure ac merito in vobiscum suspicionem vocatur, vel eo nomine quod Achillæ et Alexandri amicus aliquandiu fuerit Arius. In hujusmodi porro viros nulla contemptæ sancti viri jussionis suspicio cadere potest.

2. *Achillas Alex. episcopus.* — Petrum excipit Achillas (f), vir litterarum apprime gnarus, ab Theona Petri decessore in presbyterum cooptatus; si tamen is ipse Achillas est quem memorat Eusebius, quod veri plane simillimum. Ab illo Arius delicti defectionisque veniam precatus, reconciliata gratia, assuetæ simulationis artificio, tantam sibi apud virum pietatis existimationem peperit, ut ad presbyterii gradum promotus sit. Quas in eo gradu positus sub Alexandro Achillæ successore turbas dedit mox occurreret enarrandum.

ANNO 312. — *Achillæ succedit Alexander.* — Paucis Achillas mensibus sedit; defunctoque subrogatur Alexander, eruditione vir omnique virtutum genere ornatissimus. Si Eusebii *Chronico* steterimus, anno tantum 321 pontificatum inivit Alexander, Ver-

(a) *Hist. Arian. ad monachos*, n. 64.

(b) Epiphan. hæz. LXIX; Gelas. *Cyzic. part. 11*; Sozom. lib. 1, cap. 15.

(c) *Greg. Naz. in Encomio*,

(d) *Orat. De Incarn.*, n. 56.

(e) *In Actis Combesianis*.

(f) *Euseb. Hist. Eccl.* l. VII, c. 32; *Theodoret.*, l. 1, c. 2.

rum aperte reclamant Epiphanius, Theodoretus (a) A et alii, qui Achillam paucos menses episcopalem sedem occupasse tradunt. Repugnat item Athanasius, qui cum in *Epistola ad Ægyptios* anno 356 conscripta ait (n. 22), a triginta sex annis Arium et sequaces damnatos et proscriptos fuisse, palam significat in annum 320 vel 321 consignandam esse synodum ab Alexandro episcopo contra Arianos coactam, quam synodum non modico spatio, et fortasse aliquot annis, prævertit impia illa Arii vesania, qua Alexandro jam episcopo errores spargere suos aggressus est.

ANNO 313. — 1. *De pueris ab Athanasio baptizatis.* — In Alexandri pontificatus initium conferenda, quæ tradit Rufinus (b) de pueris ad oram maris ab Athanasio baptizatis. Hæc illius verba : « Tempore quo apud Alexandriam Petri martyris diem Alexander episcopus agebat; cum post expleta solemnia conventuros ad convivium suum clericos expectaret in loco mari vicino, videt eminus puerorum super oram maris ludum, imitantium, ut fieri solet, episcopum, atque ea quæ in ecclesiis geri mos est. Sed cum intentius diutine pueros inspectaret, videt ab iis geri quædam etiam secretiora et mystica. Perturbatus, illico vocari ad se clericos jubet, atque eis quid eminus ipse videret ostendit. Tum abire eos, et comprehensos ad se perducere omnes pueros imperat. Cumque adessent, quis eis ludus, et quid egissent vel quomodo, percontatur. Illi, ut talis habet ætas, pavidi negare primo; deinde rem gestam per ordinem pandunt, et baptizatos a se esse quosdam catechumenos confitentur per Athanasium, qui ludi illius puerulis episcopus fuerat simulatus. Tum ille diligenter inquirens ab his qui baptizati dicebantur, quid interrogati fuerint, quidve responderiat, simul et ab eo qui interrogaverat, ubi videt secundum religionis nostræ ritum cuncta constare, collocutus cum concilio clericorum, statuisset traditur illis, quibus integris interrogationibus et responsionibus aqua fuerit infusa, iterari baptismum non debere, sed adimpleri ea quæ a sacerdotibus mos est. » Subdit autem Sozomenus (c), Alexandrum postea Athanasio scribæ et amanuensis loco usum fuisse.

2. Verum hæc Rufini historia grandi apud eruditos laborat suspitione. Etsi enim per Athanasii ætatem minime repugnaret ejusmodi lusus, quod haud facile tamen concedatur de adolescente, cui ex memoratis superius vix minus duodeviginti annorum tum ascripserimus; non is erat Alexander, qui tam seria in re ludum puerorum ratum haberet.

ANNO CIRCA 315. — *Antonium adit Athanasius.* — Sub hæc, Antonium, magnum illum solitudinis cultorem, cujus jam fama erat ubique locorum pervagata, adiit Athanasius. Et viri pietate, vitæ genere, innata nec studio parta dicendi vi usque eo delectatus est (d), ut profectus et institutionis causa non modico tempore cum eo sit versatus, atque abludenti manus, ut olim Eliæ Elisæus, aquam ministraret. Hujus, ut putamus, magisterio ascetæ vitam iniit, ut testes locupletissimi sunt Ægyptii episcopi in epistola synodica (e). Exinde vero Antonium frequens invisit quicum magna ipsi societas et necessitudo intercedebat.

ANTE ANNUM 319. — 1. *Scribit contra gentes.* — Vixdum adolescentiam prætergressus, *Operationes contra gentes* edit, tanta eruditione, tanta elegantia, ut nihil supra. Mirere sane in juvene salem, leporem, vim argumenti. In priore sæpe ridet ac repudiatur gentilium numinum turbas, profanos obscenosque ritos; in altera Christi incarnationem adversum Judæos maxime comprobatur, allatis ex Veteri Testamento opportunioribus ad eam rem locis. Nequid oborta Ariana hæresi hæc conscripta videntur: ne vel minima enim in hisce ejusmodi errorum mentio, licet posterioris libri argumentum et materies eo scriptorem velut e re nata deduceret. Ejusmodi ceu præludii, Christi militiam ingressus Athanasius, ad periculosa et jam imminencia certamina adornabat sese. Inter hæc etiam ad cleri statum evocatus, cunctisque ecclesiasticorum graduum muneribus perfunctus, in diaconi ordinem promovetur ab Alexandro, atque inter familiares computatus, ipsi a consiliis fuit.

2. *Arianæ hæreseos exordium.* — Arianæ vero hæreseos initia in quem sint annum conferenda incertissimum. Damnatum certe constat Arium in Alexandrina synodo anno 320 vel insequente, ipso teste Athanasio, qui in epistola ad Ægyptios anno 356 data, elapsos esse indicat triginta sex annos ab hujusmodi habita synodo. Et vero anno 321 lata per Ægyptium effusa et pervagata hæresis illa erat: unde aliquot ante annos orsa videatur, quando præsertim exploratum est, Alexandrum nonnisi post multas Arii ad sanam mentem reducendi ten-

(a) Epiph. hæc. lxxix; Theod. lib. 1, cap. 2.

(b) Lib. 1, cap. 14.

(c) Lib. 11, c. 17.

(d) In *Vita Antonii* sub initium.

(e) Athan. *Apol. contra Arian.*, n. 6.

tatas vias, hominem cum sequacibus ferisse anathemate.

3. *Arius Alexandro infestus. Arii impietas.*—Arium igitur, cui erat explanandæ sacræ Scripturæ provincia tradita, Alexandrinæ sedis occupandæ libido inceserat. Quare cum delectum in antistitem Alexandrum inique ferret (a), excubat in occasiones turbarum, et quæ crimina viro offerat meditatur. Verum iis erat moribus Alexander, ut nullus criminationi aditus, nullus esset calumniæ locus: sanctimonia quippe haud minus quam senectute venerabilis, eloquentia, mansuetudine, liberalitate, omnium sibi gratiam conciliarat. Sed eo acrius invidia erupit, quo minus loci ad obtrectandum inveniebat. Aliquando enim Alexandro Filii deitatem, eandemque Patris et Filii substantiam prædicante, ferociter Arius et impudenter eam doctrinam nec sanam, nec apostolicam, sed Sabellianam esse vociferatur, Filiumque inter opificia et res creatas non æternas connumerandum, hoc usus argumento (nam dialecticæ peritia exitio fuit homini): Si Pater genuit Filium, initium habet existendi qui genitus est, et fuit tempus cum non esset. Quam viri proterviam et impietatem Alexander, ut erat mitis et pacis amans, primum leniter coarguit, monetque a pravis opinionibus abstat: tum suam ipse doctrinam ex sacris Litteris sinceram comprobat, Arianam vero impiam et execrandam. Ea porro lenitas vitio versa antistiti fuit: imo, si fides Sozomeno (b) est, sub initium controversiæ hærebat ille incertus cui potius opinioni accederet: quæ res tamen scriptorum omnium testimonio refragatur. Addit Philostorgius (c), presbyterum quemdam cognomento Baucalim, quia in dorso tumor excreverat instar vasi testacei, cui baucalas nomen Alexandriæ, simultatis Alexandrum inter et Arium materiam subministrasse. Fides sit penes auctorem.

4. *Arius doctrinam spargit suam.*—Arius autem, ut rudioribus sue faceret, ex antiquorum Patrum scriptis nonnihil auctoritatis dignitatisque suæ sententiæ afferre nitentur, novatæ doctrinæ suspicionem declinans; ut simplicitate verborum, quæ per ingenii imbecillitatem non licebat res subtilius expendere, haustum venenum propinaret (d). Tum cœpit ille errores ubique spargere, vicitim domos adire, ex clericis, quos novandarum rerum studiosos comperit, sibi asciscere, alios cujusvis ætatis ac conditionis ab Alexandri partibus abducere. Ex virginum choro, Epiphanio teste (e), septingentæ ad Arii partes descivere: cui pro tanto numero vix fides habeatur. Excitatum itaque ab Ario malum late per Ægyptum, Thehaidem et Libyam pervasit. Neque vulgi solum multitudo nascenti hæresi

(a) Theodor., lib. 1, cap. 2, *Hæret. fab.*, p. 232.

(b) Lib. 1, p. 426.

(c) Lib. 1, n. 4.

(d) Basil. *contra Eunomium*, p. 6; Socr., lib. 1, c. 2; Theodoret., lib. 1, c. 2.

nomen dedit, sed ad Arium quoque defecere presbyteri Carpones et Sarmates, quibus erant duæ intra urbem ecclesiæ commissæ. Hi jam olim Alexandro infesti (f), data occasione, ab Alexandro pariter et a sana fide desciscunt. Cum his item Achilles, Æthales et Arius alter; diaconi vero, Euzoius, Lucius, Julius, Menas, Helladius et Gaius; imo vero episcopi duo turpiter et indecore ad eorum partes defluxere, Secundus scilicet Ptolemaïdis, et Theonas Marmarices.

ANNO CIRCA 320. — *Alexander tentat Arium a cæpto revocare.* — Ut animadvertit Alexander malum manare in dies latius, ne ulterius grassaretur, litteras dat ad Arium et socios, monet a prave inceptis desistant, impiam doctrinam ne ultra tueantur, sed sanæ catholicæque obtemperent. Tum Alexandrinus cogit et Mareoticos presbyteros diaconosque: rogat sibi sinceram fidem vindicanti ferant opem, litterisque suis, ad Arium et asseclas datis, suffragia ascribant; spem esse totius cleri monitis obtemperaturos, qui suis hactenus obstitissent. Alexandro morem gerunt presbyteri omnes et diaconi, quorum suffragiis munitæ litteræ Arianis offeruntur. Hasce illi, feroces cupidine cœpti perficiendi, nihili fecerunt, neque minus perstiterunt in pristina impietate.

ANNO 321. — 1. *Alexander synodum cogit.* — Sensit demum Alexander nullam superesse spem reconciliandæ pacis, Ariique ad sanum consilium reduci. Quamobrem (g) coactis ex Ægypto, Libya et Pentapoli episcopis prope centum, synodum celebrat, in qua de Arii causa ageretur accuratius. Acciti impii homines, parati meditati que veniunt. De doctrina rogati, incertum majore impietate an impudentia verba fecerint: Dei namque Filium ex non exstantibus factum affirmavere, creatum, Patri dissimilem, mutabilem. Sciscitanti cuidam, an perinde mutabilis esset atque diabolus, respondent aut secus mutabilem. Hac data voce exhorruere Patres, tantæque impietatis auctores, nulla interposita mora, uno omnium calculo, damnant abdicantque.

2. *Multi ad Arium desciscunt.* — Verum tanto vulnere curando impar fuit remedium. Arius enim, multo ardentior perturbandæ rei ecclesiasticæ cupiditate, asseclas confirmare, novos sibi in dies sua suorumque opera asciscere. Tum ingens fuit in Mareote defectio: Chares enim et Pistus, presbyteri: Serapion, Parammon, Zosimus et Irenæus, diaconi, Arianis nomen dedere. Arius autem, quo facilius gesta tueri liceret, vindicem et patronum sibi conciliat Eusebium, quicum vetus sibi necessitudo studiorumque societas intercedebat: qui Eusebius audax homo (h), honorum cupidine fla-

(e) *Hær. LXIX.*

(f) *Epist. Alexandri*, n. 2.

(g) *Epist. Alexandri*, n. 1, 2; Socr., lib. 1, c. 6.

(h) *Epist. Alexandri*, n.

grans, relicto nuper Berytensi episcopatu, Nicomediensem invaserat, quod episcopalem dignitatem metiretur amplitudine civitatum. Inerat vis ingenii, nec mediocris principum gratia, cum arte et officio, tum constantiæ Constantini sororis affinitate parta. Parem studio et consiliis hominem eo libentius in arctiorem amicitiam recepit, quo altius in corde defixam tenebat eandem circa Dei Filium impietatem. Quare litteris ubique missis, episcopis per diversa loca auctor est, ut Arii sociorumque doctrinam et facta propugnent: Alexandri invidia ait immerentes pulsos Ecclesia fuisse. Exstat apud Athanasium (a) epistolæ Eusebii ad Arium fragmentum, quo clare reprehenditur viri impietas: « Cum recte sentias, inquit, precare ut omnes ita sentiant. Palam enim omnibus est, quod factum est, non exstitisse antequam fieret; quod autem factum est, existendi initium habet. » Litteras item frequens mittit ad Alexandrum, monens ut, compressa huiusmodi quæstione, Arium admittat ad communionem. Epistolis autem ultro citroque ea de causa missis factum, ut controversia, Ægypti hactenus limitibus circumscripta, per Orientem prope totum manaret. Hinc rixæ, disceptationes, invidiæ, iræ; aliis rei insolentia, aliis novandi studio concitatis.

3. *Alexandri litteræ de Arianismo.* — Alexander vero, qui damnatis a synodo sectæ principibus, fractam hæresim, et compressam fore sperabat, cæterarum regionum episcopis latere cupiebat res in Ægypto gestas, ut ne vulgatus error latius serperet (b). Ut autem vidit ingravescere in dies intestinum malum, nec externis hostibus minus quam domesticis Alexandrinam Ecclesiam laborare; epistola data, episcopis per orbem omnibus Alexandrinæ synodi acta renuntiati, memorat Arii et sectatorum ejus blasphemata dicta, quæ ausi fuerant in cœtu Patrum proferre ac propugnare: rogat ne magis Eusebio adversus Christum jam pridem sentienti et ecclesiasticas leges pro libidine violanti morem gerant, quam tot episcopis, quibus sincera mens inesset, ac veræ fidei studium. Tum ut major litteris fides esset, Alexandria et Mareotæ clerum rursus evocat, laudat probum consilium, animumque paci et concordia addictum, monet e re fore, ut epistolæ omnibus ubique locorum episcopis mittendæ addant suffragia, necnon abdicacioni Arianorum, etiam eorum, qui post latam sententiam descivissent. Presbyteri igitur Alexandrini septemdecim, inter quos primas tenet Colluthus; diaconi quatuor et viginti, in quorum numero duo comparent Athanasii, eorumque alteruter is de quo agitur est, item ex Mareote presbyteri novemdecim, diaconi viginti, antistiti obtemperantes epistolæ suffragia ascribunt. Hunc porro rerum

A in Arianæ sectæ exortu gestarum ordinem ex Arii condemnatione et ex epistola Alexandri mutuati sumus, quo pateat quanta ex brevissimo opusculo rebus ante admodum implicatis lux accesserit.

4. *Alii Arii adjuncti.* — Præter commemoratos superius, ad Arium deficit Ammonius quidam, inter Arianorum principes exinde connumeratus: ex Libya autem Sisinnius, et Seras presbyter, Eustathius etiam multis post annis in Sebastenum episcopum cooptatus, ac Basilio infensissimus. Arii doctrina ab adolescentia imbuti sunt item Ursacius et Valens: qui exinde fuere Arianæ sectæ primitivales, Athanasioque non semel perniciem machinati sunt (c).

B ANNO CIRCA 322. — 1. *Colluthi aelectio.* — Inter hæc intestina mala, novo dissidio misere distracta civitas Alexandrina est (d). Colluthus enim presbyter, is ipse, ut arbitramur, qui in Arianos prior suffragium scripsit, arrepta ex conditione temporis occasione, ausu temerario atque insolenti, presbyter cum esset tantum, jus sibi arrogabat constituendorum sacerdotum, quod episcoporum duntaxat munus est. Nactus autem sectatores non paucos, Alexandri sese imperio subduxit, et a cœtu Catholicorum suapte motu et consilio segregatus, despecto pontificis nutu, suas sibi regendas Ecclesias ascripsit. Ariani vero, qui nondum in hanc proruperant audaciam, Colluthi exemplo, ecclesiis, seu potius, ut ait Alexander, speluncis latronum sibi constructis, jam separatim cœtus agere cœperunt. Tum illi nocte dieque calumniis in Ecclesiam spargendis advigilare, turbas dare, seditiones movere, mulierum virilis audaciæ opera, probos frugique viros in jus, in forum vocare, probro atque infamia universam conspergere Ecclesiam. Hinc tumultus, concursationes, dissidia, rixæ, virorum, mulierum, juvenularum: quæ turpiter et indecore gesta cachinnorum materies fuere gentilibus, quibus fabulæ argumentum isthæc erant in scenis ludisque publicis, ubi mysteria Christianæ religionis traduci et rideri videre erat.

2. *Arius demigrat in Palæstinam.* — Sub hæc Arius, Achilla comite, demigrat in Palæstinam. Ne posset enim Alexandria diutius consistere, vetabat Alexandri sollicitudo in fovendis rebus catholicis, et coercendis seditiosorum conatibus. In Palæstina igitur aliquantum moratus, non immemor veteratoris artis, ementita pietatis specie, episcoporum regionis gratiam inire tentabat: et qua aditus esset observans, litteris et colloquiis præsulorum animos experiebatur, pacem aiens et concordiam Ecclesie cordi sibi semper fuisse, sed livore Alexandri seque suosque solum vertere coactos. Doctrinam vero

(a) *Epist. De synodis*, n. 17.

(b) *Epist. Alexandri*, n. 4, et in *condemn. Arii*.

(c) *Atli. Ep. encyclic. ad episc.*, n. 7; Hie-

ron., *Dialog. contra Luciferianos*; Basil., *epist.* 74.

(d) Theodoret., lib. 1, c. 4; *Athan. Apol. contra Arian.*, n. 76.

suam non qua ratione Alexandriae vulgata, exposuit; sed blasphema dicta partim silentio tegere, partim fucatis verbis delinire satagebat, quo lateret impietatis virus. His ille artibus, hac vafritie, non paucos, nec ignobiles episcopos conciliat sibi (a), Paulinum nempe Tyrium, Eusebium Cæsariensem, neque ita multo post Theodotum Laodicenum, Athanasium Anazarbensem, Gregorium Berytensem, Actium Diosopolitanum. Nec defuere tamen quibus Arius verba dare non potuit. Ii erant senes, viri graves, neque novatoribus opportuni, qui præcauta vi ingruentis mali, curarunt ut non modo sibi, sed ne notis etiam damno foret pestiferorum hominum aditus. Tres hujusmodi memorantur ab Ario in epistola ad Eusebium Nicomediensem, Philogonius Antiochenus, Macarius Jerosolymitanus, et Hellanicus Tripolitanus, quos ille conviciis insectatur et maledictis: alios contra, qui operam sibi commodarent, vel immerentes, laudibus ad cælum tollit. Eam epistolam per Ammonium, quem honoris causa Patrem ille suum dicit, cum eodem itinere Alexandria in Bithyniam properaret, misit Eusebio Nicomediensi, quem compellat titulo *viri Dei*, et *fidei defensoris*, vocatque Collucianistam, quia eodem magistro Luciano martyre disciplinis addiscendis ambo dedissent operam. Et vero ex Luciani discipulis non pauci ad Arianos descivere. Eusebius vero, flagrans cupidine promovendæ sectæ cui nomen dedisset, par in aliis studium expetebat: cunctantem et pene incertum consilii cernens Paulinum Tyrium, missis litteris capit (b), animos facit, ut rem ardentius aggrediatur æonet. Cui gessisse morem Paulinus ex iis quæ sunt consecuta deprehenditur.

3. *Gesta Alexandri contra Arium.* — Secundum hæc Alexander, cum rumore nuntio comperisset nullas non fraudes, nulla non artificia Arium adhibere; excubare in dies ad omnes erroris spargendi occasiones, præsulum extraneorum fidem tentare, captare benevolentiam, jam multos esse astu et dolo hominis circumventos: ut grassanti malo occurreret, epistolas misit ad permultos ubique terrarum episcopos, quas ait Epiphanius (c) ad suum usque tempus studiosorum cura asservatas, ut iis res uti gestæ fuissent aperiret, atque una Arii fraudem et impietatem. Memorantur ab Epiphanio quibus hujusmodi epistolæ missæ sunt, Eusebius pimirum Cæsariensis, Macarius Jerosolymitanus, Asclepius seu Asclepas Gazensis, Longinus Ascalonensis, Macrinus Jamniensis, Zeno quidam senex homo Tyrius, non quidem episcopus Tyri; nisi fortasse senio confectus, fractusque viribus, munus episcopale Paulino detulerit. Alexandri litteris acceptis præsules, ut cuiusque ferebat animus, responsum dedere, alii, commissuros se nunquam ut

A recipere Arium, alii ex rerum gestarum ignorantia; pars ejus ad sanam mentem revocandi studio, admisisse virum: demum nonnulli, quod essent Ario impensius addicti, simulata mutati consilii signa dederunt.

4. *Arius Nicomediam petit. Initium odii Arianorum in Athanasium.* — Non frustra datæ sunt Alexandri litteræ (d): Arius enim, cum multos episcoporum errore pristino levatos cerneret, ac vix quidpiam loci residuum sibi esse videret apud Palæstinos, quorum maxima pars hominem finibus pulsam suis exoptabant, ad Eusebium Nicomediensem se proripuit, neque dubiæ neque nascentis fidei amicum. Et vero ille Arii reditum Alexandriam ab Alexandro, missis litteris, impetrare nititur; curatque inter ambos pacem et communionis societatem redintegrare. At induci non potuit Alexander ut tanti artificem mali, necdum pertæsum ac pœnitentem factorum, in pristinum locum restitueret. Erat eo tempore Athanasius noster episcopo familiarissimus; qui cum ad hujusmodi bella conficienda divino quodam consilio natus esse videretur, jam cum episcopo suo, conspirantibus animis, arcendo hæreticorum impetui dabat operam. Nec fugiebat Arianos Athanasium a consiliis Alexandro, auctoremque esse negandi Ario aditus (e). Quare acerrimo in eum odio incensi, exsilium postea atque perniciem ipsi non semel machinati sunt.

ANNO CIRCA 325. — 1. *Arius et asseclæ mittunt ad Alexandram litteras.* *Thalia Arit.* — Dum Nicomediæ cum Eusebio agit Arius, cum per ejus gratiam et patrocinium liceret, erroribus liberius spargendis vacabat; atque Alexandro epistolam misit suo suorumque nomine datam (f), qua non modo impietatem nudam ac nullo delinitam verborum colore aperiunt, verum etiam se ejusmodi verba ab ipso Alexandro media in ecclesia loquente accepisse mentiuntur. Huic porro epistolæ suffragia ascripserunt Ariani complures, imo duo episcopi apud Epiphanium, Secundus scilicet Ptolemaidis et Theonas Marmarices. Quos tamen vix existimetur tum Nicomediæ degisse; sed vero similis est nactus illam epistolam, postquam missa fuit, munisse subscriptione sua (g). Nicomediæ item Arius execrandum opus edidit, quod *Thaliam* inscripsit, ubi Sotadem impurum poetam Ægyptium imitatus, effeminatis quibusdam ac ridiculis modis penitiora Christianæ religionis arcana versabat, admisto errorum veneno. Nec tantæ rei dignitas ademit vesano homini jocandi libidinem. Hujus sæpe libri apud Athanasium mentio est, potissimum in *Epistola de synodis*, ubi nec modicam *Thaliæ* partem inspectare licet. Ad hæc (h), cantica nautis, pistrinariis, viatoribus conscripsit, certis concinata modulis, quibus vulgi animis insidias parabat,

(a) Epist. Alexandri; Socrat., l. 1, c. 6.

(b) Theodoret l. 1, c. 6.

(c) Epiphân. hæc. LXIX.

(d) Epiphân. hæc. LXIX.

(e) Athan. Apol. contra Arian., n. 6.

(f) Epiphân. hæc. LXIX; Athan. De synodis, n. 16.

(g) Athan. De synodis.

(h) Philostorg. l. II, n. 2.

ut per cantus suavitatem hausta sensim impietate verborum, ad suas partes confluerent. Et sane, ut levi momento multitudinis animi ducuntur, hujusmodi jocularia dicta non paucis exitio fuerunt. Carpit Athanasius Arianos (a) quod ejusmodi cantum inter pocula et tripudia ederent.

2. *Arius sibi Constantiam conciliat.* — Ejusdem Eusebii Nicomediensis opera, consilio, artibus, Constantiæ favorem et gratiam sibi conciliat Arius (b): quæ res origo malorum fuit, ut inferius narratur. Eusebius autem, cui una fovendi Arianismi cura erat, periniquè ferens, Alexandrum non suis, non suorum litteris a proposito dimoveri, synodum cum suis in Bithynia celebrat. Qui una coacti, missis undequaque per orbem litteris, episcopis Arianos ut frugi homines, Arianam doctrinam ut piam, ut sanam venditabant. Rogabant admitti viros ad communionis societatem, agi apud Alexandrum, ut ne ultra eos intercluderet aditu ecclesiarum. Sed nihil hac via et ratione perfectum est: neque enim is erat Alexander, a quo crebris litteris, precibus, obsecrationibus, impetrari quid posset in gratiam perniciosorum hominum, pestium reipublicæ Christianæ. Sub hæc, Arii postulatu, et opera Paulini Tyrii, Eusebii Cæsariensis et Patrophili Scythopolitani, synodus item in Palæstina cogitur, in qua de Arianis ad communionem admittendis actum. Inopportune cecidit ut qui aliis præerant auctoritate, feruditionis fama, eloquentia erga Arianos voluntate propensi essent. Quare Arianorum petitioni episcoporum suffragia data sunt, jus tamen additis, ut parerent Alexandro, et quamprimum aliquam pacis ineundæ viam tentarent.

3. *Epistolæ Alexandri.* — Inter hæc Arii sectatorum molimina, nihilo secius Alexander, cernens quam sibi cum vafriis et turbulentis hominibus res esset, advigilabat eorum frangendis consiliis et artibus. Tomumque sive epistolam, ut putamus, synodicam supra memoratam, variis per orbem præsulibus missis litteris offerebat subscribendam (c). Quo factum ut permulti ex Ægypto, Thebaide, Libya, Pentapoli, Syria, Pamphylia, Asia, Cappadocia episcopi, pacis et concordiæ litteras mitterent Alexandro, Arium et socios ut motuum turbarumque auctores traductos diris devoverent. Epistolæ certe complures dedit sanctus ille præsul, quarum duæ solum ad nostra usque tempora devenerunt: illa scilicet synodica, et altera ad Alexandrum Byzantinum, multo prolixior, qua non semel usi sumus: est quippe rebus Colluthianorum et Arianorum ordinandis ac digerendis percommoda. Epistolæ illas Alexandri septuaginta pene numero fuisse auctor est Epiphanius. Adjicitque Socrates (d), quæ ab Alexandro vel Alexandri causa conscriptæ fuissent, in volumen unum compactas esse, et quæ Arii causa, ab eodem Ario in alterum;

A atque hinc deinceps Arianos, Eunomianos, Macedonianos, tela, quibus errores propugnarent, esse mutuatos. Hisce vertendis rebus multæ per Ægyptum synodi coactæ fuere (e): quarum Acta epistolæque synodicæ injuria temporum interierunt.

4. *Arianorum principes.* — Operæ autem pretium fuerit, priusquam majora ingrediamur Arianorum machinamenta, sectæ principes enumerare. Qui ab exortu pestiferæ doctrinæ nomen dedere, hi teste Athanasio (f) sunt, Eusebius Nicomediensis, Eusebius Cæsariensis, Narcissus Neroniadis, Patrophilus Scythopolitanus, Maris Chalcedonensis, Paulinus Tyrius, Theodolus Laodicensis, Athanasius Anazarbensis, Georgius presbyter. Isti non consiliis modo et opera sed etiam scriptis suis, firmando ac promovendo errori advigilabant. Non est quod de Eusebio Nicomediensi agatur, qui, ut jam ex superius recensitis exploratum est, si quid gratiæ, si quid potestatis, si quid scientiæ inerat, fovendis Arianis conferebat. Jam de gentili ejus Eusebio Cæsariensi, qui postquam ad Arianam descivit opinionem, haud semel in scriptis suis ejus semina conspersit: ad Euphrationem enim Balanæ episcopum rescribens, non timuit palam efferre, Christum non esse verum Deum. Hujus porro epistolæ fragmentum exstat in actione quinta synodi Nicænæ II, ubi aperte ait, non una existere cum Patre Filium, sed esse Patrem et ordine et honore priorem: et in actione sexta habetur aliud fragmentum ex ejusdem epistola ad Alexandrum Alexandrinum, ubi blasphemam illam Arianorum vindicat opinionem, qua dicebant esse Filium rem a Patre creatam. Quare vereor ne aerem verberare videantur, qui ab hujusmodi homine nituntur Arianismi suspicionem dimovere. Athanasius autem Anazarbensis, clare et nihil circuitione usus, impietatem propugnabat, cum diceret, esse Filium Dei unam ex centum ovibus in Evangelio memoratis, atque inter officia numerari. Georgius vero, tum presbyter Alexandrinus, post Laodicensis episcopus, sнопte motu et consilio, nec ad id officii evocatus, paci inter utramque partem conciliandæ simulate dabat operam, Arianis tamen nec obscure deditus. Hic litteris Alexandrum carpere ausus, non oportere aiebat argui Arianos, quod dicerent Patrem ante Filium fuisse. Contra vero Arianis, vafre et de industria ludens, dicebat, Non culpandum esse Alexandrum quod ex Patre Filium esse diceret, cum omnes pariter res conditæ ex Deo sint. Hic autem Georgius, quem Arianorum nequissimum vocat Athanasius, ab Alexandro, cum studii Arianarum rerum, tum obscenæ libidinis causa abdicatus damnatusque est. Postea tamen ab Arianis in mercedem impietatis, necnon navatæ sibi operæ, coopertus est episcopus Laodicensis. Hisce annumerandus circulator ille Asterius sophista, vir flagitiis nobilitatus, oblati nu-

(a) *Urat. contra Arian.*

(b) Hieron. ad Ctesiphontem. Sozom. l. 1, c. 15.

(c) *Epistolæ Alexandri.* Theodoret. l. 1, c. 4.

(d) L. 1, c. 6.

(e) Sozom. l. 1, c. 16.

(f) *De synodis*, n. 17.

in quibus gentilium sacrificii reus; qui sibi sua auctoritate, nullo ornatus ecclesiastico gradu, Christianæ fidei prædicandæ partes vindicabat. Hic temeritate et audacia cæteros longe retro reliquit. Effutiebatur quippe, haud secus Dei virtutem esse Filium quam cæteras in Litteris sacris memoratas virtutes; ut exempli gratia, bruchus et locusta, non virtutes modo, sed virtutes magnæ appellentur. Hi duces, hi magistri Arianorum.

ANNO 324. — 1. *Constantinus de dissidio Orientium certior factus.* — Sub hæc, Constantinus Licinio devicto pacem orbi restituit. At ne tantæ fructu victoriæ potiretur, factum reipublicæ Christianæ dissensionibus. Audivit siquidem Orientalem Ecclesiam intestinis odiis et dissidiis conflagrare. Inopportune cecidit in catholicæ rei ingens detrimentum, ut Eusebio Nicomediensi narrante de rerum ecclesiasticarum conditione feret certior. Quam rem non cujuspiam scriptoris testimonio accipiamus; sed ex eo probe conjectare licet, quod in Nicomedia, Eusebii sede, litteras mox memorandas dederit imperator, ad quem perfacilis erat Eusebio aditus, cum dignitatis ingenique, tum affluuntis causa. Veterator igitur homo totam obortarum quæstionum invidiam in Alexandrum conferre nititur, et Constantino auctor fuisse putatur (a), ut Alexandro juxta atque Ario litteras scriberet, hactenus in Eusebii *Historia* superstites, in quibus vafritiem Eusebii et probam imperatoris mentemprehendas. Nam in Alexandrum pariter atque in Arium acriter invehitur Constantinus, quod levissima de causa (sic Eusebio doctore existimabat) tantam movissent quæstionem, ac in mutuum exinde odium exarsissent. Monet ut, positis altercationibus, finem dissidendi faciant, pacemque inter se concilient; fore tum ut pateat sibi in Orientem aditus, eorum ante jurgio interclusus. Has ille litteras Hosio Cordubæ in Hispania episcopo, spectatæ fidei viro, tradidit Alexandriam deferendas.

2. *Alexandrina synodus.* — Caput mali Ariana hæresis erat. At multa quoque alia instabant negotia (b), licet neque tanti ponderis, neque tantæ operæ futura; quibus tamen a principio occurrendum erat, ne malum neglectum latius serperet. Hujusmodi erant Meletii et Colluthi factiones. Erat item per multas Orientis regiones mota de Paschatis tempore controversia; cujus in Alexandrina synodo componendæ provinciam Hosio tradit Augustus. His de causis Alexandriam demigrans Hosius, coacta isthuc synodo, Colluthi audaciam et temeritatem compressit, constitutos ab eo clericos presbyterosque ad pristinam reverti conditionem jussit: ex quorum erat numero Ischyra quidam Mareoticus, qui operam postea suam in Athanasii perniciem Arianis locavit. Neque enim turbarum finem fecerunt Colluthiani: sed pacto non

A semel cum Arianis fœdere, malis Ecclesiæ catholicæ inferendis inhiabant. Meletiani porro et Ariani altiores posuerant radices, quam ut Hosii conatu et ope convelli possent; frustra que cessit ea in opera Hosii. Auctor est Socrates (c), Hosium Sabellii doctrinam evertere studuisse, ac de substantia et hypostasi agitate quæstionem. Pro controversia autem de Paschate componenda quid actum et provisum sit, ignoratur. Unum constat, rem minime cæssisse ex Constantini voto; cum ea quæstio inter præcipuas cogendæ Nicænæ synodi causas enumeretur. Quapropter re infecta Hosius ad Constantinum remigrat. Id tamen lucri catholicis rebus ex ejus itinere accessit, quod imperator, Hosio narrante, de Arii protervia et impietate certior factus, eum postea oborti dissidii habuerit auctorem et antesignanum.

3. *Ariani Constantini statuas lapidibus impetunt.* — Ariani vero et Meletiani ex rebus improspere gestis in furorem et desperationem acti, Constantini statuas ferocius aggressi, jactis lapidibus deformare ausi sunt. Quæ ad imperatorem delata, misericordiam ejus magis movere quam iracundiam, ut nihil ille cum sceleratis exostularet. Si qua fides Meletianorum criminationibus (d) Tyri Athanasio oblatis, delatus ab Athanasio fuit Ischyra apud Hyginum Ægypti præfectum, quod imperatoris imagines saxis appetisset, atque ea de causa in carcerem detrusus. Quæ res, si vere gesta, in hoc posse tempus conferri videtur, cum maxime Ischyra a sacrorum aditu et officio remotus ab Hosio, rem, ut æstimare est, periurigne tulerit.

4. *Litteræ Arii ad Constantinum et Constantini ad Arium.* — Tum Arius, missis ad Constantinum litteris, et questus de rebus in se suosque admissis, suam imperatori fidem aperit, sed simulatis quibusdam et fucatis vocibus (e), ut solebat cum e re fore speraret. Cui imperator rescribens, adversam Christo et Ecclesiæ doctrinam ejus coarguit, Arii depingit mores, carpit rerum novandarum cupidinem, pronum ad iracundiam et furorem animum: interminatur ultionem, si non respiscat; nec ipsum modo, sed et discipulos plectendos. Demum versa in clementiam severitate, leniter hortatur ut se conveniat: tumque, si minus sana sit sententia, ab se ad veram revocatum iri; sin vera sinceraque, id ingenti sibi gaudio futurum.

ANNO 325. — 1. *Synodus Nicæna convocatur.* — Sed cum frustra cederent Constantini monita, nec quidpiam flecteretur Arii sectatorumque ejus pervicacia; œcumenici tantum concilii opera incendium ejusmodi restingui posse ratus imperator, synodum convocat Nicænæ in Bithynia celebrandam: cujus nos Acta a multis dudum studiose recensita,

(a) Euseb. l. iii; Socrat. l. i, c. 7; Sozom. l. vi, c. 16.

(b) Socrat. l. iii, c. 6

(c) Ibid.

(d) Sozom. lib. ii, cap. 25.

(e) Gelas. l. ii.



paucis narramus, quibus non vacat per otium ea pluribus persequi.

2. Anno igitur Christi 325, imperii Constantini decimo nono vertente (a), Paulino et Juliano coss., Nicæam confluent ex variis terræ partibus episcopi ad 318, ut ferunt potissima scriptorum pars: alii pauciores numerant; Eusebius autem (b) supra ducentos quinquaginta; presbyteros autem, diaconos, acolythos et alios, ingenti numero. Ex universis Europæ, Africæ atque Asiæ Ecclesiis, qui inter Dei ministros principem tenebant locum, una conveniunt. Eadem orationis domus, ceu Dei consilio dilatata, Syros simul, Cilices, Phœnices, Arabes, Palæstinos, itemque Ægyptios, Thæbos, Libyes, aliosque ex Mesopotamia profectos suo ambitu complexa est. Non Persa, non Scythia defuit. Pontus item, Galatia, Pamphylia et Cappadocia, Asia quæ et Phrygia, lectissimum quemque suorum eo misere. Imo Thraces, Macedones, Achæi et Epirotæ, atque qui longiore distabant intervallo, accessere nec inviti. Ab Hispania quoque vir ille celebratissimus Hosius una cum multis aliis eo iter instituit. Aberat quidem senectutis causa Sylvester, imperatoris antistes civitatis, sed ejus vicem implebant presbyteri ejus Vito et Vincentius. Interfuit Alexandrinus præsul, qui pene solus antea Arii molimina depulerat: itineris comes fuit Athanasius (c) tum diaconus, consiliorum administer, qui strenue rem catholicam propugnavit. Eo pariter convenit imperator Constantinus, hoc animo, ut tantam sanctissimorum præsulum frequentiam oculis ipse suis coactam perspiceret, præsensque magno concilio ad pacem momento esset. Quæ victum honestumque cultum spectant Augusti sumptibus cætui toti ministrata sunt, ac viaticum abunde cuique suppeditatum.

3. Nicæam vixdum pervenerant episcopi, cum mature in ecclesia conveniunt. Actisque Deo gratiis de alta pace Constantini victoriis parta, de converso Constantini animo ad veri Numinis cognitionem, cœlesti se lumine perfundi obnixè precantur, quo veram possint doctrinæ rationem assequi ac definire.

4. Qui episcopi Arianis faverent. — Etsi porro episcoporum maxima pars ad synodum veræ fidei tuendæ studio commeavit, non defuere tamen qui nec obscure Arianis faverent. Horum, ut dictum est, princeps erat Eusebius Nicomediensis. Alii autem, Eusebius Pamphili Cæsariensis, Patrophilus Scythopolitanus, Theodotus Laodicenus, Paulinus Tyrius, Athanasius Anazarbensis, Gregorius Berytensis, Aetius Lyddensis: qui omnes Syri, Palæstini et Phœnices erant. Cæteri, Menophantus Ephesinus, Narcissus Neronopoleos in Cilicia,

A Theognius sive Diognius Nicænus, Maris Chalcedonensis; Theonas item Marmaricæ, et Secundus Ptolemaidis, ambo jam ante quinque annos in Alexandrina synodo abdicati.

5. *Libelli Constantino oblatis.* — Nec defuere qui oblatis Constantino libellis quosdam episcoporum reos agerent. Arianæ an Catholicæ ii fuerint, nullius antiqui scriptoris (d) testimonio compertum est; sed arbitrantur post Baronium recentiores pene omnes, id rei nonnisi Arianis episcopis ascribi posse, qui infesto semper in reliquos animo, nullum non querimoniarum argumentum aucupantur. Verum si se ita res habuit, quid causæ esse possit quod Rufinus, Theodoretus et Sozomenus Arianorum nomen taceant? an eorum existimationi consultum voluere, qui nihil non aspersum in ecclesiasticæ doctrinæ corruptores passim per scripta sua conspergunt? Unde in incerto res versatur. Hujusmodi libellos Constantinus in fasciculum colligatos, annuloque suo obsignatos, asservari jussit. Posteaquam vero pacem præsules inter conciliarat, in medium allatos igne absumpsit, juratus nihil eorum se legisse: nefas aienis episcoporum delicta in sæcularium notitiam devenire.

6. *Imperator synodo interest.* — Sub hæc imperator diem dixit, quo episcoporum conventus inirentur, decimam nonam scilicet Junii anni 325. Coacti vero condicta die in Palatio episcopi, imperatorem tacite præstolabantur mox adfuturum. Accedenti assurrexere omnes, dum inter episcopos ille ultro citroque positos permeans, in aurea sella, nec nisi petita ab iis venia, sederet. Primam secundum Constantinum sedem occupasse nomine Sylvestri papæ Hosium, testatur Gelasius (e). Hosii comites fuere Vito et Vincentius presbyteri a Sylvestro item legati. Et sane quod primas tenuerit Hosius, videtur Athanasius innuere cum ait (f): « Cui synodo non præfuit senex ille Hosius? » Nec tamen res dubio vacat. Tum qui a dextris sedebat, orationem ad imperatorem habuit, quæ potissimum versabatur in referendis Deo gratiis ob collatas Augusto dotes ac victorias. Ab Eustathio Antiocheno oratum ait Theodoretus (g): verum id Sozomenus (h) Eusebio, Nicetas vero ex Theodoro Mopsuestiæ, Alexandro ascribit. Hinc multis imperator præsules alloquitur. In votis esse sibi, compressa vi tyrannorum paceque orbi restituta, concordiam in Ecclesia obtinere, intestina deponi odia, dissidiorumque finem esse: eum se fructum summe sperare ex tot tantorumque episcoporum adventu consecuturum.

7. *Arius suos propugnat errores. Athanasius contra Arium disputat.* — His præmissis, jubent episcopi Arium se sistere in medium, de doctrina et

(a) Socrat. l. 1, c. 8.

(b) Athan. ad Afros. *De Vita Constantini*, l. III, c. 7.

(c) Athan. *Apol. contra Arian.*, n. 6.

(d) Rufin., Sozom. l. 1, c. 47; Theodoret. l. 1, c. 2.

(e) Lib. II, c. 5.

(f) *Apolog. De fuga*, n. 5.

(g) Lib. I, c. 8.

(h) Lib. I, c. 19.

fide sua responsurum. Is non intrepide modo in jus ambulat, sed proterve tuetur errores. Non imperatoris dignitas, non tanti cœtus reverentia, hominis arcet impudentiam. Blasphema Arii dicta non sine stomacho horroreque audiunt episcopi. At ne, si præmature ulciscendæ veræ doctrinæ studio Arius, necdum confutatus damnaretur, querelarum ipsi superesset locus, par esse visum, primo controversiam inire cum hæresiarcha. Hic complurium antistitum emicuit vis ingenii, veræ fidei amor, studium ecclesiasticæ pacis, Marcelli in primis Ancyranum, maxime tamen omnium Athanasii : qui tametsi diaconus solum erat, et, ut ait Theodoretus (a), juvenilis ætatis, nemini uni quantumvis grandævo secundus erat studio Arii confutandi : qua de re audiendus Gregorius Nazianzenus : « In sancta synodo Nicæna atque illo trecentorum et duodeviginti lectissimorum virorum numero, quos Spiritus sanctus in unum coegerat, quoad facultas tulit, morbum compressit. Nondum ille quidem in episcoporum numerum allectus, verum primas tenuit inter eos qui una eo commigrassent. Non minus enim virtute, quam graduum dignitate, honoris præstantia censebatur. » Nec modo Arii ille (b), sed etiam propugnatorum ejus Eusebii, Theognii et Maris insidiis atque conatibus pro virili occurrit. Quo factum, ut tota vis mali in capitis ejus periculum postea immineret, ipseque unius omnium impetum exciperet. De Athanasii contra Arium disputatione hæc accepimus, pro gravitate certe dignitateque rei paucissima. Nam quæ vulgo fertur Athanasii cum Ario disputatio (c), Græculi commentum est, uti pluribus est a nobis alias comprobatum.

8. *Eusebiani libellum fidei offerunt.* — At Eusebius Nicomediensis, studio flagrans tuendæ impietatis, interposita clientium gratia et opera, imperatori auctor erat (d), ut Arii patrocinium susciperet ; sed contra quam sperabat res se dederunt. Nam de fide ubi queri cœptum est, rescriptum Eusebii offertur in medium, blasphemis dictis plenissimum : quod palam episcopis audientibus recitatum, cæteris dolori, Eusebio autem summo decori ac pudori fuit. Et jam patefacta impiorum et Arii sequacium sententia, impius libellus discerptus est. Verum Ariani conspecta Catholicorum et frugi hominum indignatione, mox Arium Eusebiumque cum sociis damnatum iri prospicientes novam ineunt insidiarum viam ; rogantesque silentium, ementito pacis concordiaque nomine, priores ipsi oblatum libellum, qui omnibus offensionis fuerat, damnant et proscribunt ; aliumque mox libellum omnium consilio adornatum muniunt suffragiis suis. Sed isthæc simulate et insidiose facta esse, explo-

ratum postea fuit : damnatas enim opiniones modo clam, modo publice defendunt ; et conspicati cum peritis et sagacibus sibi rem esse, nullo non artificio utuntur ne causa cadant. Hæc ex Theodoro lib. 1, c. 7, qui eadem ipsa, c. 8, ex Eustathio confirmat. Hallucinantur porro, qui libellum capite 7 memoratum, diversum esse putant ab alio de quo c. 8, nam idipsum utrobique narrari, nemini accuratius legenti dubium (e). Hic ipse libellus exstat in epistola Eusebii Cæsariensis ; estque fidei formula. Præterea epistolam, teste Ambrosio, obtulerunt Ariani, qua confutarent τοῦ ἁμοουσίου vocem. Quod si ejus nemo præter Ambrosium meminit, id ex amissis Actis Nicænis evenit.

9. *Quid pro τοῦ ἁμοουσίου voce statuenda actum.* —

Sub hæc, cum peroptarent Patres certas quasdam, omniumque calculo et consilio admittas sacrarum Litterarum voces statuere ac promulgare (f), queis omnis dissidii levaretur occasio, primo afferunt in medium eam formulam, ex Deo Filium esse. Verum Eusebiani id cum prava inveterataque sua opinione convenire rati, non ægre admisissent huic formulæ nomen dare, quando id juxta de conditis rebus dicitur quod ex Deo sint. Animadversa fraude ac subdolo lucifugarum consilio, præsules multas alias indidem mutuatas voces efferunt, Verbum scilicet esse virtutem, veramque Patris imaginem, ipsi in omnibus similem, ac semper esse. Tum Eusebiani deprehensi sunt sibi mutuo oculis annuere, ac musitare inter se, posse scilicet his vocibus suffragia ascribi, cum alia præter Verbum multa virtutes appellentur, erucam enim et bruchum magnam Dei virtutem nuncupari in sacris Litteris <sup>1</sup>. Imaginem quoque Dei vocari posse Filium, quando nos homines imaginem et gloriam esse Dei ait Apostolus <sup>2</sup>. Imo perridicule dicebant, nobis quoque id ascribi posse quod semper simus, secundum hæc Apostoli verba : « Semper enim nos viventes <sup>3</sup>, » etc. Verum episcopi insidias et vafritiem veteratorum conspicati, eo demum appulere animum, ut, præcisa subterfugii occasione, vocem ἁμοουσίου proferrent in medium, qua posita circuitionibus nihil residui foret. Contra Eusebiani, qui ea voce ademptas erroribus suis latebras perspicere, auctoritatem opponunt synodi Antiochenæ, in qua vox hujusmodi proscripita fuisset. At, cum non usque adeo oblitterata esset ejus synodi memoria, ante annos tantum tres supra quinquaginta celebratæ, non fugiebat episcopos, nequaquam de consubstantialitate Verbi actum isthuc fuisse, sed de sententia Pauli Samosateni prave interpretantis vocem ἁμοουσίου. Quamobrem uno omnium catholicorum Patrum consilio hanc vocem usurpatam oportere decretum fuit.

Joel II, 25. <sup>1</sup> I Cor. XI, 7. <sup>2</sup> II Cor. IV, 41.

(a) Theod. l. 1, c. 8 ; Sozom. l. 1, c. 47 ; Greg. Naz. in *Encomio*.

(b) Socrat. l. 1, cap. 8.

(c) Inter spuria, tom. II [nunc tom. IV].

(d) Theod. lib. 1, cap. 7, 8.

(e) Athan. *De decretis Nicænis*.

(f) Id. *ibid.*, n. 19.

10. *Hosius Nicænum Symbolum adornat.* — Adornandæ porro fidei formulæ provincia magno Hosio Cordubensi tradita. Is omnibus retro sæculis celebratum illud Nicænum Symbolum concinnavit, quod omnium votis exceptum (a), cunctante nemine uno Catholicorum suffragium addere suum, promulgatum est. Et sane voce *ὁμοούσιου* omnis de natura Filii prava opinio evertitur, omnis ambiguitas resecatur. Data est hujusmodi formula anno 325, die 19 Junii.

11. *Eusebianorum protervia. Demum simulate subscribunt.* — Verum Eusebiani, cum non arbitrato suo formula concinnata, sed inopportuna esset suis consiliis et cogitatis, detrectare illam, negare suffragia, ut insolentibus constructam vocibus despicerent (b). Septemdecim erant numero qui adversum pugnarent et obsisterent; qui tamen imperatoris minis fracti ac perterriti, exsilii declinandi causa subscripserunt (c). Residui tamen quinque obstinatiores animo cæpta propugnabant, nimirum Eusebius Nicomediensis, Theognis Nicænus, Maris Chalcedonensis, Theonas Marmaricæ, Secundus Ptolemaidis: qui tandem, exceptis Theona et Secundo, aliorum cessere monitis et argumentis.

12. Verum simulate Eusebium atque socios Nicænæ synodo nomen et suffragium delisse, cum æqualium hominum testimoniis, tum iis quæ consecuta sunt consceleratores gestis propalam fuit. Eos Constantiæ Augustæ consilio ad dissimulationem consentiendi adductos tradit Philostorgius Arianus (d). Eusebius autem Cæsariensis missa ad suos epistola causam affert cur ad subscribendum appulerit animum, multaque *περὶ τοῦ ὁμοούσιου* edisserit, quæ nedum Arianismi ab eo suspicionem dimoveant, dubiam ejus de Verbi generatione fuisse fidem confirmant.

13. *Arius damnatus et in exilium pulsus.* — His peractis, eo demum ventum est, ut Arius synodi iudicio anathemate fereretur, qui pervicaci animo ad finem usque errores propugnabat (e). Non ille monitis imperatoris, non Patrum Athanasiique argumentis cessit. Sed cum nulla spes esset ejus ad sanam mentem reducendi, obstinatiusque ille blasphemata dicta hactenus inaudita proferret; omnium calculis damnatus et abdicatus est, atque a Constantino in Illyricum relegatus. Nec desunt tamen qui Arium tantisper declinandi exsilii causa cessisse, ac suffragium Nicænæ formulæ simulate dedisse narrent (f); atque ideo, cæteris integris, solo Alexandriam ingressu interdictum fuisse. Sed præstat epistolis Nicænæ et Alexandrinæ synodi habere fidem. Hisce namque Arius damnatus abdicatusque fertur: quod etiam testatur Athanasius.

14. *Thalia damnata.* — Tum proscripta et dam-

nata est impia illa et perridicula Arii *Thalia*, cujus blasphemata dicta ne auditum quidem ferebant Nicæni Patres, ita scilicet stomachum faciebat (g). Exsecrandi autem opusculi non lectione modo interdixit Constantinus, verum edixit quoque, nemini licere horrendum hujusmodi librum penes se asservare. Ut autem una cum mali auctoribus, sectatoribus etiam æternam probri et infamiæ notam inureret, jussit in posterum Arianos compelliari Porphyrianos, Porphyrii videlicet nomine, qui fuerat olim Christianæ fidei infensissimus; quasi scilicet ne inter Christianos quidem connumerandi essent, qui Christi divinitatem, fundamentum Christianæ religionis, impugnare aggredirentur.

15. *Theonas et Secundus cum Ario damnati.* — Damnati et depositi cum Ario fuere Theonas Marmaricæ et Secundus Ptolemaidis, qui Arianæ hæreseos ab exortu propugnatores acerrimi fuerant (h), ac proterve ad finem usque errori inhæserunt: quare in ordinem redacti, una cum factionis principe Ario ablegantur in Illyricum. Alii item non pauci hæreseos nomine anathemate percussi sunt: inter quos principem obtinent locum Pistus, exinde ab Ariano in episcopum Alexandrinum delectus, et Euzoizus tum diaconus, postea episcopus Antiochenus eorumdem lucifugarum consilio et opera constitutus. Nec audiendus Baronius, qui Secundum putat demum cessisse. At enim ex solis Nicænis subscriptionibus id mutuatur illustrissimus *Annalium* scriptor: quæ subscriptiones, cum aperte vitio laborant, non tanti sunt ut scriptorum omnium testimoniis anteponanur.

16. *Meletiani qua conditione recepti.* — Unum restabat Alexandrinæ redintegrandæ paci pernecessarium, videlicet ut de Meletianis quid agendum definiretur (i). Quæ res si ex regulæ ecclesiasticæ usu ac præscripto decreta fuisset, nonnisi Meletianorum abdicatione conficienda erat. Verum ut properantius dissidiorum finis accederet, ea lege atque omine episcopi per Meletium promoti in sedibus consistere suis, ut nullo fungentes episcopali officio vacuum nomen retinerent, aliis ab Alexandro constitutis Ecclesiarum munia obeuntibus. Hujusmodi autem Meletianis oblatam conditionem, non ex sententia Athanasii fuisse memorat ipse (j), nec semel, nec sine quadam indignantis animi significatione.

Adimere autem Meletio fraudis occasionem volens Alexander episcopus (k), breviarium seu laterculum postulavit eorum, quos ipse variis in locis ad episcopatum promovisset; ut ne postea ad libidinem suam varios subjiceret, quos, etsi nunquam constituerat, constituisse se mentiretur. Exstat hujusmodi laterculus in *Apologia Athanasii*

(a) Athan. *Hist. Arian. ad monachos*, n. 42.

(b) Rufin. l. 1, c. 5; Sozom. lib. 1, cap. 18.

(c) Socrat. lib. 1, cap. 9.

(d) Philost. l. 1; Athan. *De decretis Nicænis*,

n. 4.

(e) Socrat. lib. 1, cap. 8; Sozom. lib. 1, cap. 21.

(f) Socrat. lib. 1, cap. 9.

(g) Socrat. *ibid.*

(h) Theod. lib. 1, cap. 8; Philost. lib. 1, n. 8.

(i) Socrat. l. 1, c. 9; Sozom. lib. 1, cap. 24.

(j) *Apol. contra Arian.*, n. 59.

(k) Athan. *ibid.*, n. 71.

*contra Artanos.* Archiepiscopi nomen apud suos A obtinuisse Meletium, haud improbabili-  
ter conjectamus ex hisce laterculi verbis : « Joannes qui jussus  
fuit cum archiepiscopo degere. » Qua de re plura in  
præliminaribus.

17. *De Paschate decretum.* — Hæc scita, hæc pla-  
cita synodi fuere. Ad hæc vero actum de celebran-  
di Paschatis die (a). Namque Ecclesiæ permultæ,  
veteri renovato errore, eodem quo Judæi tempore  
paschalem agebant solemnitatem, nec sine ingenti  
cæterarum offensione. Quam præcisam volentes  
consuetudinem Nicæni Patres, sanxere ut ubique  
terrarum una eademque dies esset celebrando Pa-  
schati assignata, nempe æquinotio transacto verno  
prima post quartam decimam lunam Dominica ;  
cujus diei præsignificandæ commissa cura fuit B  
Alexandrino episcopo, quod Ægyptia gens habere-  
tur astrorum cursus peritissima. Nec tanta res ac-  
curatione acta fuit, quin ea reformatione opus  
fuerit, quam inæxit sæculo præterito Gregorius XIII  
pontifex.

18. *Canones Nicæni.* — Quæ disciplinam item  
spectabant ecclesiasticam, viginti canonibus sæ-  
cita sunt : in quibus exponendis moras extrahere  
nostri non est instituti, cum res a multis viris  
doctis accurate et pluribus expensa fuerit.

19. *Epistolæ Constantini et Nicænæ synodi.* —  
Imperator Constantinus, cui una ecclesiasticæ con-  
cordiæ cura erat, rebus ex voto et arbitrio suo  
gestis, missis litteris gestiens lætusque acta per  
synodum significat ubique (b). Ecclesiis maxime, C  
quæ dissidebant de Paschatis celebratione, auctor  
fuit ut starent synodi placitis, et dissidiorum finem  
facerent. Alexandrinos autem cohortatus est, ut si  
qui essent Arianæ doctrinæ sectatores, eam quam  
maturime repudiarent ; præstabilius esse episco-  
pis plus trecentis obtemperare, quam unico impie-  
tatis auctori ; id se sperare gaudii ex eorum obse-  
quentia consecuturum. Exstat itidem alia sancto-  
rum Patrum epistola ad Alexandrinos, qua signifi-  
cant impiam Arii sententiam, præsertim Constanti-  
no, præsulum omnium consilio, præmisso exa-  
mine et diligenti perquisitione reprobata et pro-  
scriptam fuisse, Ariumque, quod audacius bla-  
sphemia dicta propugnaret, exsilio multatum : im-  
pietate pares Theonam et Secundum pari ultione  
plexos, Meletianos in ordinem redactos, Paschatis  
celebrandi diem uno omnium voto assignatam ; si  
quid ulterius definitum fuerit, id ipsos Alexandro  
narrante accepturos, cui ut remigranti læti occur-  
rerent, ipsique gererent morem summopere cohori-  
tabantur. Soluta demum synodus fuit die vicesima  
sexta Augusti, anno 325, vicesimo imperii Constanti-  
tini.

20. *Celebritas Nicææ magna.* — Prospero eventu  
rerum ecclesiasticarum mire gaudens Constanti-

nus, magna voluit celebritate feriari (c). Commo-  
dum incidit ipsa in diem illam, qua de vicesimo  
inito imperii sui anno festum agebat. Et, quæ læ-  
titiæ accessio foret, Constantium filium eadem die  
Cæsarem proclamari jussit. Eratque ingens concus-  
sus, summa frequentia præsulum, aulicorum, opti-  
mum. In tanto cœtu orationem habuit Eusebius  
ad Constantinum et ad reliquam primatum multi-  
tudinem. Post hæc imperator ad lautas epulas to-  
tum conventum evocavit. Quæ res quo ritu et or-  
dine gesta, non indiligenter Eusebius ibidem perse-  
quitur.

21. *Constantini pietas.* — Insigne illud fuit imperato-  
riæ pietatis argumentum, quod episcoporum quibus  
fuerat pro Christi nomine dexter oculus excul-  
ptus, vulnerum vestigia Constantinus frequens oscu-  
laretur honoris causa (d), muneribus cumlaret  
omnes, juberetque statim frumenti mensuram quot-  
annis in singulis urbibus distribui, in alimentum  
viduarum, virginum, ecclesiasticorum. Quæ tanta  
largitio ad imperium usque Juliani Apostatæ per-  
duravit. Instante episcoporum digressu, pluribus  
cohortatus omnes est, pacem ut curarent, dissidio-  
rum et rixarum finem facerent, odia invidiamque  
ponerent, delicta mutuo condonarent, caverent ne  
jurgiorum et disceptationum frequentia risum pa-  
rarent inimicis Christianæ religionis, neu in con-  
temptum res ecclesiasticas deducerent. Tum enixe  
rogabat, ut fuis precibus sibi suisque numen propi-  
tium esse impetrarent. Ita dimissus est amplissi-  
mus ille cœtus, nullius non ævi, nullius non populi  
laudibus celebratus. Regressi vero singuli, in suam  
quisque civitatem, quid gestum, quidve definitum  
a synodo fuisset, commemorarunt.

22. *Ariani et Meletiani non quiescunt.* — Post-  
quam soluta synodo Alexandriam remigrasset Ale-  
xander, ac decreta sanctorum Patrum protulisset,  
optatissimam sibi pacem conciliare non potuit (e).  
Flagrantem enim Meletianorum dissidio Arianorum-  
que furore Ægyptum, non synodi decreta, non im-  
peratoria edicta compescuerunt. Meletius quippe,  
contra quam statutum fuerat, in episcopatum Ly-  
copolis ad sui vices implendas promovit Joannem,  
cognomento Archaph, hominem sibi addictissimum,  
qui Meletio defuncto factionis princeps fuit. Neque  
magis Ariani synodi placitis acquievere ; namque  
ex damnatis erroribus suis in furorem et vesaniam  
acti, gesta synodi traducere in dies, in contemptum  
atque ludibrium voces ex sacris litteris non mutua-  
tas passim vocare, redintegrare controversias, nul-  
lum finem facere discordiarum. Si fides Epipha-  
nio (f), Meletius missis ad imperatorem oratoribus,  
Joanne scilicet supra memorato, Callinico Pelusii,  
et Paphnutio quodam anachoreta, Alexandrum in  
crimen vocabat. Verum imperator, cui perspecta  
erat viri integritas et sanctimonia, turbulentos hu-

(a) Socrat. lib. 1, cap. 9.

(b) Socrat. ibid.

(c) Sozom. lib. 1, cap. 25 ; Euseb. *Hist. eccl.*

(d) Socrat. lib. 1, cap. 1.

(e) Epiphani. hæres. lxxviii.

(f) Ibid.

jusmodi viros, nec auditos, re infecta dimisit. A ab Ecclesia descivisse. Hæc ille Arianico et impio ore mentitus est.

25. *Eusebius et Theognius exsulant.* — Neque tamen tantis Augusti studiis, tanta navata opera extinctum malum fuit. Vixdum enim trium mensium spatium ab celebrata synodo elapsum erat, cum Eusebius Nicomediensis et Theognius Nicænus (a), quod Arianis partibus non obscure studerent, accitos ab imperatore Arianos adiissent, excepissent domi diversores, iniissent cum illis societatem, relegati a Constantino sunt in Galliam. Constantinus autem in epistola ad Nicomedienses aliam exsilii causam, subobscura tamen, indicat, reumque agit Eusebium pacti cum aliquo sibi adversante tyranno fœderis, cui ministerium et opem suam commo-  
dasset ille. Hujusce rei penes se luculenta esse argu-  
menta testatur imperator, quando presbyteros dia-  
conosque Eusebio hac in re administratos deprehenderat. Hæc causæ exsilii cum Eusebii, tum consi-  
lorum socii Theognii : in quorum vicem Amphion  
Nicææ, Chrestus Nicomediæ episcopus constitutus  
fuit. Qui sit autem ille tyrannus, quocum societa-  
tem iniit Eusebius, non aperte significat imperator :  
sed nihil dubium de Licinio hic agi.

26. Mitto cætera quæ de eorum exsilio feruntur, quod vel magna suspicione, vel aperte falsitate laborent. Cujusmodi est illud, Eusebium scilicet et Theognium, postquam Nicænæ synodo subscripserant, subornato exinde notario nomina abrasisse sua, ac deinde strenuos τῷ ἐπαροουσίῳ præcones fuisse (b). Qua de causa imperatore Theognium cum Eusebio expostulante, respondisse audacissime Eusebium, ostensa qua induebatur veste : « Si hæc vestis inspectante me divisa esset, nunquam dicere utramque partem ejusdem esse substantiæ. » Quæ causa irarum et ultionis fuerit. Verum isthæc commentum esse ipse qui enarrat Sozomenus ait. Longius a similitudine veri absunt, quæ narrat Philostorgius, ὁ φιλοψευδῆς οὗτος καὶ καχοστόργος, Eusebium nempe, Theognium et Marin, dati suffragii pœnitentes, imperatorem adiisse, hisque compellasse dictis : « Iniqui, imperator, ea in re fecimus, quod tui metu perculti, impietati nomen ascripserimus. » Quo factum ut imperator ira percitus homines in Galatias seu Gallias occidentales relegavit (c), et Arianos sua quemque patria excedere jœsserit. Et alio loco nugacissimus idem scriptor ait, Secundum cum sociis jussu imperatoris revocatum ab exsilio, litteris quaquaversum missis proscripsisse τὸ ὁμοούσιον, et τὸ ἐπαροουσίον propugnasse : quibus litteris Alexandrum suffragium ascripsisse ait, Ariumque ad communionem admisisse; sed postea Alexandrum, cum ab imperatoris metu respiraret, ad priscam rediisse mentem; et tunc demum Arium cum sectariis ab Alexandro et

ANNO 326. — 1. *Alexandri Alexandrini obitus.* — Inter hæc Alexander, ætate ac senio confectus, diem obiit supremum. Instante obitu Athanasium designat sibi successorem. Cum enim ingravescente morbo paulatim deficerent vires, derepente Athanasium compellat (d). Respondet vocanti quidam nostro gentilis. Quem nihil affatus ille, interposita mora, Athanasium repetitis vicibus vociferatur, absentem indicans alium se vocare : qui re præcauta atque prævisa, ut tantum munus declinaret, sese proripuerat. Prophetica autem mente demum Alexander : « Effugisse te credis, ait, Athanasi, nec tamen effugies; » his significans, gravissimis cum certaminibus et calamitatibus deputatum. Sunt porro qui existiment, ea tempestate Athanasium rerum ecclesiasticarum causa in imperatoris aula versatum fuisse. Incidit Alexandri mors in diem vicesimam sextam Februarii mensis, anno 326, quinque scilicet post ejus Alexandriam reditum mensibus (e). Ita quidam, quibus consonat Theodoretus, vita functum referens quinque post Nicænam synodum mensibus. Quod autem habet Epiphanius, demortuum Alexandrum eodem quo Nicæna habita synodus est anno, intelligas nondum elapso anno post synodum celebratam.

2. *Meletiani Theonam cooptant in episcopum Alexandrinum.* — Si fides Epiphani (f), excubantes Meletiani ad quascunque oblatas turbarum occasiones, defuncto Alexandro, absenteque Athanasio, in præsulis Alexandrini munus provehunt quemdam suæ factionis hominem, nomine Theonam, quo tribus elapsis mensibus extincto, promotus exinde fuit Athanasius. Næ si Meletianorum spectetur audax animus, et novandarum rerum pereupidus, hæc fidem superare non videantur. At mirum nullam de hujusmodi homine, vel apud Athanasium, vel apud æquales haberi mentionem, cum maxime frequentissimæ adfuerint illius memorandi occasiones. Verum fortasse quia secundum promotionem non nisi paucos menses superstes fuit, nulla aut exigua permansit hominis memoria.

3. *Athanasius deligitur.* — Quæ causa, quæ ratio Athanasium compulerit ad redeundum ex secessus loco (g); suone ille consilio, oblata muneris declinandi spe, an divino instinctu ad officium evocatus accesserit, pariter incertum. Redux autem summa populorum lætitia excipitur. Hinc concursus, clamor, vota publica plebis catholicæ Athanasium sibi episcopum efflagitantis. Hoc animo multitudo innumera confluit in ecclesiam, ubi tum erant Ægyptii episcopi eadem de causa coacti. Tum plebs incensa cupidine optati potiundi, edito clamore rogare, ob-

(a) Socrat. lib. 1, cap. 9 et 14; Sozom. lib. 1, cap. 21.

(b) Sozom. ibid.

(c) Philostorg. lib. 1.

(d) Sozom. lib. 1, cap. 17.

(e) Theod. lib. 1, cap. 26; Athan. *Apol. contra Arian.*, n. 59. Vide in *Monito.*

(f) Hæc. LXXVII.

(g) Athan. ibid., n. 6.

testari præsules, Athanasium exposcere; deinde A  
versis ad Christum precibus obsecrare, concedi  
sibi postulatum virum: non passuros se ecclesia  
episcopos excedere, donec allectus Athanasius  
esset: virum frugi vociferantes, religiosum, vere  
Christianum, ascetam, vere episcopum. His per-  
moti Ægyptii episcopi, Athanasium in sedem  
Alexandrinam provehunt, et quidem ingenti popu-  
lorum plausu lætitiæque. Hæc in synodica Ægyptii  
præsules, oculati testes, qui suis ipsi manibus Atha-  
nasium in episcopali throno collocarant. At secus  
multum rem Eusebiani missis ad imperatorem lit-  
teris significarunt. Aiebant quippe (a) Meletianos  
cum Catholicis inita societate, una confluisse  
Alexandriam ex Thebaide et Ægypto episcopos  
quatuor et quinquaginta, qui (sic illi) jurati statue-  
runt omnium calculo et suffragiis deligendum qui  
Alexandriam occuparet sedem; verum sex, sep-  
temve episcopos a cœtu digressos, imprudentibus  
inivitisque cæteris omnibus, clam constituisse  
Athanasium episcopum; quæ causa esset ut fre-  
quens populus, clericique permulti ejus communio-  
nem aversarentur. Hæc illi. Verum multo impu-  
dentius Philostorgius (b), Athanasium narrat eccle-  
siam Sancti Dionysii invasisse, atque duos episco-  
pos isthic repertos vi compulsisse ut episcopale sibi  
munus deferrent, cæteros autem facti indignatione  
permotos damnasse hominem, Athanasiumque vi  
multitudinis ac populi præsidio superiorem, litte-  
ris, ceu totius consilio civitatis, imperatori se ele-  
ctum totius significasse: quo factum ut vi occupa-  
tam sedem teneret. Hæc nimirum mendacissimus  
Philostorgius, qui nedum veritatem, ne veritatis  
quidem umbram et speciem sectatur.

4. Annum itaque cooptati in episcopum Athanasii  
assignamus 326, elapsis quibusdam ab Alexandri  
obitu mensibus. Atque ita probe constat quod a  
Cyrillo (c) et aliis traditur, Athanasium scilicet in  
episcopali sede totum sex super quadraginta anno-  
rum spatium emensum obiisse. At enim si ponti-  
ficatus Athanasii exordium ducatur ab anno 326,  
aut dimidio circiter aut vertente, ad 373, die se-  
cunda Maii, quo tempore obiisse inferius common-  
stratur, computantur anni sex et quadraginta cum  
quibusdam mensibus.

5. In Athanasii promotionem hæc habet Sozome-  
nus (d): « Ego sane virum hujusmodi non citra  
Dei nutum ad sacerdotium pervenisse existimo, ut-  
pote eloquentia juxta atque intelligentia præditum,  
et ad occurrendum insidiis adversariorum paratissi-  
mum, cujusmodi virum illa tempora quam maxime  
postulabant. Fuit certe ad conciones ecclesiasticas  
et ad sacerdotii munus obeundum aptissimus, atque  
ab ineunte ætate in ejusmodi rebus ἀρωγὸν  
ἔχων. »

6. Lubet Athanasii præconem omnium clarissi-

(a) Sozom. lib. II, cap. 17; Athan. ibid., n. 6.

(b) Lib. II, c. 11.

(c) Epist. 1.

Gregorium Nazianzenum in hanc rem au-  
dire (e). « Sic porro educatus et institutus, ut eos  
nunc quoque oporteret qui plebis antistites futuri,  
magnumque Christi corpus tractaturi sunt. Secun-  
dum ineffabile Dei consilium ac præscientiam, quæ  
magnarum rerum materiam diu ante præparat, in  
præclarum hunc sacerdotum ordinem cooptatur,  
atque in eorum qui appropinquant Deo appropin-  
quant numerum allegitur: cunctisque ecclesiasti-  
corum graduum muneribus perfunctus, Alexan-  
drino populo, quod idem est ac si dixissem universo  
terrarum orbi, præficitur. Neque sat definire pos-  
sum, virtutisne præmium, an Ecclesiæ fontem ac  
vitam hujusmodi dignitatem acceperit. Hanc enim  
oportebat veritatis siti languentem, ac prope con-  
fectam, Ismaelis instar, potu recreari, aut velut  
Eliam, arente per siccitatem terra, ex torrente re-  
focillari, paulumque respirantem ad vitam revo-  
cari, ac semen Israeli relinqui: ne ut Sodoma et  
Gomorra efficeremur, quarum celebris quidem est  
improbitas, celebrior autem interitus; incolis  
nempe igne et sulphure oppressis et obrutis.  
Propterea nobis jacentibus cornu salutis erectum  
est. » Et paucis interjectis: « Sic igitur et ob eas  
causas, totius populi suffragiis, non autem secun-  
dum pravam formam, quæ postea obtinuit, per vim  
aut cædem; sed apostolico ac spirituali more, ad  
Marci thronum provehitur: non minus pietatis,  
quam sedis successor. Ut enim si hanc spectes,  
remotissimus ab eo futurus est; ita si illius ratio-  
nem habeas, statim illi proximus invenietur, quæ  
quidem proprie successio existimanda est. » Et  
quibusdam interpositis hæc habet de illius vitæ  
instituto: « Athanasius vita quidem sublimis erat,  
verum animo demissus et humilis: et tanta quidem  
erat virtute, ut ad eam accedere posset nemo; ea  
comitate, ut ad ejus congressum facilis omnibus  
esset aditus, mansuetus, mitis, ad miserationem  
propensus, sermone jucundus, moribus jucundior,  
facie et multo magis mente angelicus, in increpando  
lenis, in laudando erudiendi vi præditus: sic  
utrumque temperans, ut neutrum horum per immo-  
derationem labefactaret; sed ut increpatio pater-  
nam charitatem, et laudatio imperii gravitatem  
retineret: nec aut lenitas mollior, aut severitas  
æquo rigidior esset; quin potius illa facilitatis et  
benignitatis, hæc prudentiæ nomen haberet, utra-  
que vero sapientiæ laudem consequeretur. Cui id  
morum probitas præstabat, ut minus verborum  
esset opus; id verba, ut parcius virga uteretur; id  
virga, ut sectione rarius opus haberet. » Et post  
pauca: « Illic illius in jejuniis atque orationibus as-  
siduitatem laudibus ornet, ille insuperabilem in  
vigiliis et psalmodiis vigorem: alius egentium cura  
et præsidium, alius enarret ut superbis restite-  
rit et ad humiles sese demiserit. Virgines pronu-

(d) Lib. II, cap. 17.

(e) Num. 4.

bonum laudent; quæ matrimonii jugo constrictæ sunt, moderatorum; qui solitariam agunt vitam, excitatorem et erectorem; qui in sodalitiis vivunt, legislatorem; simplices deductorem; speculationi dediti theologum; hilares frenum; calamitosi consolatorem; canities baculum; juvenus pædagogum; paupertas largitorem; divitiæ dispensatorem. Quin et mihi videntur et viduæ patronum laudaturæ, et pupilli patrem, et peregrini hospitem, et fratres fratrum amantem, sani valetudinis custodem, omnes denique eum qui omnia omnibus factus est, ut omnes vel quamplurimos lucrifaceret. » Hoc Athanasii institutum, hæc episcopalis officii gerendi ratio fuit

ANNO CIRCITER 327. — 1. Ἀρχόμενος τῆς ἐπισκοπῆς. Athanasii in Thebaidem iter. — Neque ita multo post episcopatus sui exordium, Thebaidis ecclesias Meletianorum dissidis Arianorumque moribus deflagrantem perlustravit, quo vacillantes debilesque animo recrearet ac firmaret in vera fide. Usque Syenem autem, extremum versus Æthiopiæ Thebaidis oppidum, contendit adverso flumine. Cumque Tabennesin navigio transmitteret, exit obviam Pachomius (a) magna comitante monachorum frequentia, qui adventantem hymnis, psalmis, cantu, nulla prætermissa gaudii significatione, virum exceperunt. Tum Sarapion Tentyrorum episcopus Athanasium compellat. « Adest, inquit, in his sedibus, meo episcopatu contributis, monachorum quidam Pater et vere homo Dei; quem omnibus, qui in sinibus meis degunt, præficias monachis, et presbyterum constituas pervelim. » Quo Pachomius audito, sese in cœtu fratrum abdidit, donec transmitteret Athanasius. Is tamen cum navim perlustrasset oculis, Dei famulum agnovit, ediditque jam multa eum Evangelii causa sustinuisse, veræque ipsum fidei sectatorem esse, cujus gratia postmodum in calamitates varias incidit.

ANNO CIRCITER 328. — 1. Arius ab exilio revocatus. Similiter Eusebius et Theognius. — Vixdum elapso post Nicænam synodum triennii spatio, Arius redit ab exilio antequam Eusebius et Theognius suas repetendi sedes facultatem impetrarent (b). Nec statim Ario copia facta remigrandi Alexandriam, ne de integro, conspiratis factionum partibus, turbæ, seditiones, tumultus oborirentur. Quis porro artibus, qua ratione, cujus opera redeundi veniam impetrarit, ignoratur. Neque ita multo post Eusebius ac Theognius, circumvento solitis fraudibus atque dolis imperatore (c), oblatoque episcoporum principibus fictæ pœnitentiæ libello, acciti et in proprias sedes restituti sunt. Exstat libelli exemplum apud Socratem, quo queruntur illi se indicta causa ab episcopis damnatos in exiliumque pulsos, suffragia tamen Nicæne fidei

ascripsisse, atque eidem mordicus hæerere, ratam illam habere, tametsi condemnationi Arii non erant astipulati. At quando jam Arius ab exilio revocatus esset, rogant id apud imperatorem agatur, ut sibi quoque redeundi potestatem faciat. Impetrata reductus facultate, Amphionem illi et Chrestum, quorum alter Nicææ, Nicomediæ alter, in pulsorum vicem constituti fuerant, deturbant sedibus. Sunt porro qui nullam hujusmodi libello fidem esse opinantur: verum ne minimam quidem præfert libellus, nisi mea me fallit opinio, *vobelaç* aut suspitionis notam.

ANNO CIRCITER 329. — 1. Eustathius Antiochenus Arianos strenue oppugnat. Eusebianorum dolo pellitur. — Reversi ad sedes, quas turbas dederint, quæ molimina, quas machinas, quas insidias struxerint in assertores et vindices τοῦ ὁμοουσιου, haud facile narratu est. Eminebat inter veræ fidei propugnatores Eustathius Antiochenus (d) vir multis nominibus insignis, dignitate, pietate, eruditionis fama, confessionis gloria nemini secundus. Hic ardens studio veræ doctrinæ promovendæ, infestus Arianis, quos interclusos societate et communione sua edixerat, in odium invidiamque Eusebii et sociorum incurrit. Ad hæc, multa contra Arianos opera in lucem emisit, quorum mentio apud Hieronymum et Theodoretum. Cum Eusebio item Cæsariensi iniiit controversiam, eumque ut Nicæne fidei infensum scriptis suis exagitavit. Ille contra Eustathium reum agit Sabellianæ opinionis, quod Sabellianismi crimen solenne Arianis erat iis offerre, qui Ariam hæresim infesti adorirentur. Neque in Eusebium duntaxat, sed etiam in Patrophilum Scythopolitanum et Paulinum Tyrium acerrime invehebatur. His accensi veritatis hostes, quo virum patrio solo et Ecclesia exturbarent, insidias parant et crimina comminiscuntur. Quod calumniæ genus adornatum in Eustathium fuerit, quæve occasio illi calamitatis, non convenit inter scriptores. Ait Athanasius (e), ad imperatorem accusatum Eustathium irrogatæ matri ipsius contumeliæ, nulla interposita mora in exilium actum fuisse cum magna comitantium presbyterorum et diaconorum frequentia. Socrates autem et Sozomenus narrant, odio flagrantibus Eusebianos, Eustathium in synodo Antiochiæ celebrata abdicasse, cum Sabellianismi, tum alius criminis non memorandi causa. Verum quod illud fuerit crimen aperit Theodoretus (f), Eusebium scilicet Nicomediensem in veritatis vindices insidias machinatum, desiderio videndi Jerusalem magnificumque templum ab Augusto excitatum flagrare se profectum, Constantino vehiculum ministrante, eo productum esse una cum Theognio Nicæno conspirationis socio. Quibus Antiochiam perlatis, anice et comiter Eustathius præbet

(a) Vita Pachomii in Actis SS. 14 Maii.

(b) Socrat. lib. 1, cap. 24; Sozom. lib. 11, cap. 16.

(c) Philostorg. l. 11, cap. 7.

(d) Socrat. lib. 1, cap. 24; Sozom. lib. 11, cap. 19; Philostorg. l. 11, cap. 7.

(e) Hist. Arian. ad Monachos. n. 4.

(f) Lib. 1, c. 21.

hospitium. Inde, ait Theodoretus, cum ad sacra loca pervenissent, in partem consilii et conspirationis vocant Eusebium Cæsariensem, Patrophilum Scythopolitanum, Actium Lyddensem, Theodotum Laodicenum; qui una omnes properant Antiochiam. Ibi conducta muliercula, quæ corporis pulchritudine quæstum faciebat, auctores sunt ut rei secum habitæ sanctum præsulem accuset. In episcoporum cœtum intromissa mulier, infantem uberibus admotum ostendens, illum ex Eustathii coitu peperisse affirmat. Eustathius vero, non ignarus conflata in se conspirationis, mulierem si quem haberet hujusmodi facinoris conscium in medium proferre jubet. Cumque neminem illa objecti criminis testem habere se diceret, ipsi jusjurandum Eusebiani detulere. Juravit illa infantem Eustathii esse, statimque judices iniquissimi virum damnant ut adulterum, reclamantibus licet cæteris episcopis qui eo loci convenerant, veri tenacibus, et frugi hominibus, qui Eustathio auctores erant ut ne iniquæ sententiæ acquiesceret. Hanc item criminationem commemorat Hieronymus, *Apolog. II adversus Rufinum*: « Ιστæ, inquit, machinæ hæreticorum, id est magistrorum tuorum sunt, ut convicti de perfidia ad male dicta se conferant. Sic Eustathius Antiochenus episcopus filios, dum nescit, invenit. »

2. Per mihi mirum est tam atrocem calumniam Athanasium præterisse, si vere oblata fuerit. Sin resciverit, quid causæ est quod tantum Eusebiano-  
rum facinus præmat silentio, qui huic affinem historiam de Euphrate Coloniensi Stephani Antiocheni insidiis per intromissam mulierculam tentato, accurate recenset. Ex Athanasii utique silentio non nihil fortasse nascatur suspicionis, quando potissimum cernimus, plerosque istius ævi scriptores libenter afferre muliercularum histórias, quarum nonnullæ pari suspicione laborant. Et quod augeat scrupulum, Joannes Chrysostomus in prolixo Eustathii *Encomio*, ubi permultas affert ejus pro fide calamitates, rem istam præterit silentio. Næ Socrates postquam Eustathium Sabellianismi causa abdicatum narravit, adjicit, ὡς μὲν οὖν τινες φασίν, δι' ἑλλάς οὐκ ἀγαθὰς αἰτίας φανερώς δὲ οὐκ εἰρήχασι. Hoc est, « Ut vero quidam narrant, aliis de causis minus honestis abdicatus est, quas tamen aperte non proferunt. » Quibus verbis innuit non concordiam omnium sententia eam rem tum admissam fuisse.

ANNO CIRCA 330. — 1. *Seditio Antiochiæ*. — Abdicato igitur Eustathio, non in eo stetit Eusebiano-  
rum odium flagitiumque; sed imperatorem convenientes, auctores sunt ut in exsilium pellatur antistes (a). De exsilii loco non una sententia. Hieronymus Trajanopolin in Thracia, Theodoretus vero in quamdam Illyrici urbem relegatum narrant. Secus alii dicunt, nec nostrum est rem pluribus investigare. Cæterum in Eustathii abdicatione tota

(a) Hieronym. *De scriptoribus ecclesiasticis*; *Socrat. lib. I, cap. 24*; *Sozom. lib. II, cap. 19*.

(b) *Lib. I, cap. 22*.

A pene seditione conflavit Antiochena civitas. Fremebant populi perinique tanti viri casum ferentes. Cumque de successore deligendo ageretur, tanta flamma dissensionis exarsit, ut prope fuerit totius civitatis pernicietas excidiumque. In duas namque partes distracta civitas erat, aliis Eusebium Pamphili allegere, aliis Eustathium retinere nitentibus. Stabant utrinque armati, hostilem spirantes animum. Militum quoque turmas vidisses utrique parti adjunctas. Omnia ad pugnam et horrendam cladem parata; ventumque fuisset ad gladios, nisi imperatoris metus plebis impetum coercuisset. Sed supervenientes Augusti litteræ mitigarunt animos. Eusebiani igitur Eustathio Eulalium subrogant; qui cum exiguo tempore superstes fuisset, ejus loco deligitur Eusebius Pamphili. Verum abnuit ille subire munus; ex animine temperantia, ut innuit Socrates, an quod prospiceret nunquam sibi pacem fore cum Antiochenis catholicis, id summopere incertum. Ariano itaque alii, cui nomen Euphronio, episcopale munus defertur: quo post annum et paucos menses vita functo, deligitur Flacillus item Arianus, et uno avulso non deficit alter. Quæ causa fuit ut multi, cum populares, tum clerici, quibus religio catholica cordi, a cœtibus Arianorum abhorrentes, seorsum collectas agerent. Hi ex ardenti erga Eustathium studio amoreque, Eustathiani deinceps audierunt. Hujusmodi porro discordia Antiochenorum ad integrum ferme sæculum extracta fuit.

C 2. Cæterum, si Theodoretus (b) fides, meretrix quæ Eustathium accusavit, cum in gravissimum ac diuturnum morbum incidisset, calumniam detexit, ac scenam totam aperuit: nec duobus tribusve, sed quamplurimis sacerdotibus indicavit ea quæ dolo fuerant concinnata, fassa se mercede conductam Eustathium in crimen vocasse; neque tamen falso juratam se, quando Eustathius quidam ærarius faber infantis pater esset. Quod si vere gestum, miror tam apertum Eusebiano-  
rum flagitium vel fugisse Athanasium, vel prætermissum ab eo fuisse.

3. *Gesta Eusebiano-  
rum in Asclepam Gazensem et Eutropium*. — Per idem fere tempus Eusebiani, qui veræ fidei assertoribus inexpiabile bellum indixerant, Asclepam Gazensem episcopum, virum probitate et multis ingenii dotibus ornatum, adorian-  
tur (c); et, quod adornatum erat adversum insontes et orthodoxos telum, præpostere de Christiana fide sentire criminantur. Nec mora, abdicato subrogant Quintianum nescio quem, sæe factionis hominem, Asclepamque patrio solo exterminant. Hinc conversis ad Eutropium Adrianopolitanum τὸν φιλόχριστον conatibus, virum fictis criminibus deturbare nituntur. Eutropius autem, ut nomen sonat, summæ vir probitatis, in crimen ideo vocatur, quod libere Eusebium coargueret, et istac transeuntibus auctor esset ut ne impiis ejus dictis haberent fidem. Quod

(c) Athan. *Hist. Arianorum ad monachos*; n. 5; *Theod. lib. I, cap. 20*.



in causa fuisse creditur ut Eusebius, ulciscendi sui cupidine, Basilinam Julii Constantii uxorem concitaret in sanctum præsulem, cujus opera, eadem qua Eustathius poena multatur, urbe pulsus pariter et Ecclesia. Cum porro Basilina anno 331, paucis postquam Julianum pepererat mensibus, diem clauserit extremum, Euphronii exilium opportune conferri potest in annum 330.

4. *Abyssini Frumentio doctore Christi fidem amplectuntur.* — Jam ad conversionem Abyssinorum Æthiopum enarrandam evocant nos scriptores omnes ecclesiastici, qui sub initium episcopatus Athanasii venisse Alexandriam Frumentium (a), atque ab Athanasio delectum fuisse episcopum, apostolumque ejus regionis testantur. Eam historiam ad verbum ex Rufino mutuamus, qui se ab Ædesio, Frumentii comite peregrinationisque socio, rem accepisse commemorat. « In ea, inquit Rufinus, divisione orbis terræ, quæ ad prædicandum verbum Dei sorte per apostolos celebrata est, cum aliæ aliis provinciæ obvenissent, Thomæ Parthia, et Matthæo Æthiopia, eique adhærens citerior India Bartholomæo dicitur sorte decreta. Inter quam Parthiamque media, sed longo interior tractu India ulterior jacet, multis variisque linguis et gentibus habitata; quam velut longe remotam nullus apostolicæ prædicationis vomeri impresserat: quæ tamen temporibus Constantini tali quadam ex causa semina fidei prima suscepit. Metrodorus quidam philosophus, inspicendorum locorum, et orbis perscrutandi gratia ulteriorem dicitur Indiam penetrasse. Cujus exemplo invitatus Meropius quidam Tyrius philosophus, simili ex causa adire Indiam voluit, habens secum duos puerulos, quos liberalibus litteris, utpote propinquos, instituebat. Quorum unus, qui erat junior, Ædesius, alter Frumentius vocabatur. Igitur pervasis et in notitiam captis his quibus animus pascabatur, cum philosophus redire cœpisset, aquæ vel cæterorum necessariorum causa, ad portum quemdam navis qua vehebatur applicuit. Moris est inibi barbarorum, ut si quando fœdus sibi cum Romanis turbatum vicinæ nuntiaverint gentes, omnes qui apud eos ex Romanis inventi fuerint jugulentur. Invaditur navis philosophi, cuncti cum ipso pariter perimuntur: pueruli reperti sub arbore meditantes, et lectiones suas parantes, barbarorum miseratione servati, ducuntur ad regem. Horum ille alterum, id est Ædesium, sibi pincernam fecit; Frumentio vero, quem quasi perspicacem deprehenderat et prudentem, rationes suas scriniaque commisit: ex quo et in honore magno apud regem habitus, et in amore.

5. *Frumentius ab Athanasio constituitur episcopus Abyssinorum.* — « At vero moriens rex uxorem cum parvulo filio regni reliquit hæredem; adolescentibus autem quid vellent agendi dedit liberam facultatem: quos tamen regina suppliciter exorat, tanquam

A quæ nihil haberet in toto regno fidelius, ut secum usquequo adolesceret filius, regendi regni sollicitudinem partirentur; et præcipue Frumentium, cujus prudentia ad moderandum sufficeret regnum: nam alius fidem puram et sobriam mentem simpliciter exhibebat. Idque dum agerent, et regni gubernacula Frumentius haberet in manibus, Deo mentem ejus et animos instigante, requirere sollicitus cœpit, si qui inter negotiatores Romanos Christiani essent, et ipsis potestatem maximam dare ac monere ut conventicula per loca singula facerent, ad quæ Romano ritu orationis causa confluerent: sed et ipsa multo magis eadem facere, et ita cæteros cohortari, favore et beneficiis invitare, præstare quicquid opportunum fuisset, loca ædificiis aliaque necessaria præbere, et omnino gestire ut Christianorum ibi semen exsurgeret. Sed cum regius puer adolevisset, qui procurationem regni gerebant, expletis omnibus et ex fide traditis, multum licet detinentibus et rogantibus ut manerent regina vel filio, ad orbem tamen nostrum revertuntur. Ædesio festinante Tyrum, parentes propinquosque revisere, Frumentius Alexandriam pergit, dicens æquum non esse opus occultare Dominicum. Igitur rem omnem ut gesta est exponit episcopo, ac monet ut provideat virum aliquem dignum, quem congregatis jam plurimis Christianis, et ecclesiis constructis in barbarico loco, episcopum mittat. Tum vero Athanasius (nam is nuper sacerdotium susceperat) attentius et propensius Frumentii dicta gesta que considerans, in concilio sacerdotum ait: « Et quem alium inveniemus virum talem, in quo sit spiritus Dei sicut in te, qui hæc possit implere? » Et tradito ei sacerdotio, redire eum cum Domini gratia unde venerat jubet. Qui cum episcopus perrexisset ad Indiam, tanta ei data esse a Deo virtutum gratia dicitur, ut signa per eum apostolica fierent, et infinitus numerus barbarorum converteretur ad fidem. Ex quo in Indiæ partibus et populi Christianorum et Ecclesiæ factæ sunt, et sacerdotium cœpit. Quæ nos ita gesta, non opinione vulgi, sed ipso Ædesio Tyri presbytero postmodum facto, qui Frumentii comes prius fuerat, referente, cognovimus. » Hæc Rufinus; cui, ut audita narranti, haud licet negare fidem. At multa sunt in quibus vel errore ipse labitur, vel vulgo receptam ævo suo, licet falsam, sequitur opinionem. Hæc paucis commemoranda nobis sunt, iis additis quæ, Tellezio cæterisque PP. Societatis Jesu auctoribus, accepimus. Quæ a clarissimo viro Jobo Ludolpho accuratissime collecta, et innumeris aucta monumentis haud ita pridem in lucem prodierunt.

6. Indiam Rufinus, quemadmodum et alii scriptores ecclesiastici, eam vocat regionem, quæ Frumentii ope Christi fide illustrata est. Tum enim remotissimis quibusque regionibus versus orientem ac meridiem late patentibus Indiæ nomen erat. At

(a) Socrat. lib. 1. cap. 19; Sozom. lib. 11, cap. 24; Theodor. lib. 1, cap. 23.

immane quantum. labitur Rufinus, cum Indiam A illam ulteriorem, ut vocat, inter Indiam citeriorem et Parthiam sitam dicit. Exploratissimum quippe est, regionem, quæ Frumentium nacta apostolum est, eam esse Æthiopiæ partem, quæ Abyssinia, Habessinia, vel Abassia dicitur. Hujus regia tunc erat Auxumis, urbs perampla et opulenta, cujus hodieque rudera visuntur, nec nisi oppidulum est Accum dictum, in regno Tigræ situm, decimo quarto et dimidio gradu latitudinis septentrionalis. Obtruncatum ait Rufinus Meropium: id negant Habessini, sed morbo aiunt extinctum. Frumentium autem et Ædesium sua voce nuncupant *Fremonatum* et *Sydracum*. Priorem *Salamam* quoque appellare solent, quo nomine his celebratur carminibus ex Æthiopico versis a Ludolpho:

*Salutem voce lætitiæ dico ei,  
Magnificans et extollens eum,  
Salamam, januam misericordiæ et clementiæ:  
Qui oriri fecit in Æthiopia luminis Christi splendorem,*

*Cum antea in ea caligo et tenebræ fuissent.*

Fremona item exstat oppidum in eodem Tigræ regno situm, ex Fremonato seu Frumentio ita dicitur. Frumentii autem memoria apud Æthiopes celebratur die decima octava Decembris. Unicum regi obeunti filium fuisse memorat Rufinus; sed Athanasii Æthiopumque testimoniis compertum, duos fuisse fratres, qui apud Athanasium in epistola Constantii ad eosdem principes nuncupantur Aizana et Zazana Auxumeos tyranni, ab Æthiopibus autem Abreha et Atzbeha, quo nomine principum memoria C recolitur die 4 Octobris, atque his carminibus ab Æthiophe vate celebratur:

*Salutem Abreha et Atzbeha, qui sederunt  
In regno uno, mutuo se amantes.  
Priscis hominibus, qui in præceptis legis Mosaicæ  
[ambulabant,  
Ore eorum prædicatum fuit verbum Evangelii  
[Christi,  
Et manibus eorum quoque ædificata fuit habitatio ejus.*

Ex inveterata quadam opinione ortum, quod dicitur horum principum ævo legem Mosaicam obtinuisse in Habessinia. Nam putant regum suorum originem duci a quodam Menileheco, Salomonis ex regina Saba filio: quæ res sagacibus fabulam sapit. Quod vero ritus Judaici non pauci apud eos ad hæc usque tempora usu veniant, id unde progressum haud difficile est augurari. Nam tanta Judæorum multitudo jam olim eo confluit, ut non semel Negusi seu imperatoris copias adorti, in discrimen rem Æthiopicam adduxerint. Memoratur sane Judæus quidam Gedeon nomine, qui cum imperatoribus quatuor strenue sæpe congressus, demum anno 1624 victus captusque pœnas dedit. Ab hisce igitur Judæis invecta putatur circumcisio, Sabbati observatio, et similes ritus.

7. Jam quod annum delecti ab Athanasio Frumentii spectat, haud levem controversiæ ansam

(a) Athan. *Apology. contra Arianos*, n. 59; Epiphan. hæres. LXXVIII.

A asserunt Rufini cæterorumque scriptorum verba; cum exemplo Metrodori philosophi, qui in ulteriorem Indiam commigrarat, dicunt Meropium tantam suscepisse navigationem. Metrodori autem reditus in annum: ut citius 324 conferri oportere certum est. Nam ex illa peregrinatione reversus, Constantinum Byzantii offendit, cui gemmas unionesque ex India furtim ablatas dono dedit. Qui Constantinus anno tantum 324 Orientis imperio potitus, non ante potuit Byzantii considerare. Si vero Meropius post Metrodori reditum profectus est, anno puta 325 vel 326, qui potuerit Frumentius sub initium episcopatus Athanasii Alexandriam venisse, qui, ut diximus supra, anno 326 electus est episcopus? Nam præter illud in peregrinando elapsum temporis B spatium, annos sane plurimos egisse Frumentium necesse est, sive cum Æthiopiæ rege, sive post defunctum regem cum regina, usque dum adolevisset illi. Sane si suscepta peregrinatio post Metrodori reditum fuit, vix anno 340 potest Frumentii Alexandriam profectus contigisse. Atque ita non paulo post electum Athanasium Alexandriam venerit; sed multis post annis. Verum his omnibus occurritur, si Meropium, non exspectato Metrodori reditu, Æthiopicum iter instituisse dicamus. Nec quidpiam in Rufini narratione comparet, quod huic sententiæ adversetur. In annum ergo circiter 350, vel fortasse maturius, conferenda Frumentii ordinatio videtur. Promotus ille ab Athanasio in Æthiopiæ episcopum, gentem illam Christi doctrina illustravit, ejusque apostolus haberi meruit.

ANNO CIRCA 331. — 1. *Eusebius conatur Arium Alexandriam remittere. Meletianos sibi asciscit.*

— Eusebius porro et asseclæ, pulso Eustathio cæterisque veri defensoribus, ad hoc nervos omnes industriæ contenderunt, ut Arii Alexandriam regressum impetrarent (a); cumque occasionem illi et ansam gerendæ rei percipere observarent, opportune cecidit ut tum Meletiani per Ægyptum turbas darent, ac contra quam fuerat in Nicæna synodo definitum, rebus sæse immiscerent ecclesiasticis. Homines Athanasius precibus, hortamentis, comminationibus ad officium revocare societatemque communionis inire tentabat. At Meletianorum protervia frustra cessit conatus. Re comperta Eusebius, tum factionis suæ facile princeps, mittit ad Meletianos, quos magnis sibi pollicitationibus devincit; initaque cum illis clanculum amicitia, de Arii reditu constituit agendum. Postquam ergo prius Ariani cum Meletianis similitates aperte gesserant (b), ubi adverterunt plebem catholicis sacerdotibus esse addictam, stimulante livore, ejusmodi fœdus inter se inierunt, communesque inimicitias susceperunt adversus clerum Alexandrinum. Quæ res male vertit Meletianis (c): ex Arianorum enim consuetudine et societate veræ fidei jacturam fecerunt, hausto sensim erroris veneno, ita ut et ipsi

(b) Sozom. l. II, cap. 91.

(c) Athan. *ibid.*, n. 60.

persæpe Ariani sint appellati. Hoc juncti fœdere, operam inter se diviserunt; ut Meletiani callidissimi homines et ad calumnias semper parati, pro suis partibus criminum fictionem susceperunt, Ariani vero, Eusebianorum gratia et auctoritate freti, iudicii ferendi sibi partes vindicarent.

2. *Eusebii calumniæ in Athanasium. Arius et Euzoii libellum fidei offerunt Constantino.*— Et principio quidem Eusebius Athanasii animum tentavit, optatissimum sibi putans esse (a), ac rebus Ariano- rum augendis commodissimum, si tantus ille vir ad eorum partes accederet; ac litteris quidem suis rogabat Ariani aditum, tabellarii autem opera interminabatur insidiis appetendum fore, nisi concederet postulatum. Verum Athanasius, ubi res agebatur ecclesiastica labefactanda, nec minis nec precibus opportunus, optatis Eusebii abnuvit: nec modo Ariani aditum concessit, verum etiam in eorum hæresi exstirpanda operæ semper plurimum studii- que consumpsit. Quæ res Eusebii et sectatorum ejus animum exasperavit in antistitem. Et conspicati non posse virum ab instituto revocari, promotionem ejus in sedem episcopalem in invidiam vocant; juniorem pro tanto munere, indignum, ab improbis delectum ementiti, cujus criminationis vanitas ex recensita superius cooptati Athanasii ratione perspicua est. Ruebat suapte infirmitate calumnia, testibus innumeris rei veritatem proclamantibus. Intellexit autem Eusebius nihil ejusmodi machinamenti perfectum iri, nisi imperator suam interponeret auctoritatem. Quamobrem alio vertit studia et conatus, et qua valebat apud Constantiam Augustam auctoritate et gratia usus (b), ministerio quoque adhibito cujusdam presbyteri inter familiares Augustæ computati, muliebrem animum ad Ariano- rum patrocinium allicere tentabat. Et vero administer ille consiliorum Eusebii sæpe cum Constantia de Ario sermonem habuit, virum aïens injuria affectum a synodo, nec ita sentire ut vulgi rumore ferebatur, sed sanæ fidei hæerere. His Constantia fidem habuit; nec tamen ea de re imperatori verba facere est ausa. Accidit inter hæc, ut in gravem illa morbum incideret: ægram imperator frequens adibat. Ingravescente morbo, desperataque valetudine, Constantino presbyterum illum commendat, testata viri probitatem juxta atque religionem, necnon benevolum illius imperio animum. Neque ita multo post diem illa clausit supremum. Presbyter exinde inter familiarissimos imperatoris annueratus est: et majorem in dies nactus gratiam fiduciamque, demum Constantino suum de revocando Ario consilium aperit, nihil sentire virum aïens, quam quod in synodo decretum fuisset, si in conspectum ejus admittatur, astipulaturum Nicænis decretis; sine causa reum agi et in crimen vocari.

A Nova res atque admiranda imperatori visa est. Respondetque roganti: « Si decretis synodi Arius, si doctrinæ astipulatur, libenter hominem ad conspectum admittam, et cum honore Alexandriam reverti concedam. » Litterisque confestim evocat Arium (c). Procrastinantem ut videt, secundas mittit, 27 Novembris datas, quibus cohortatur ut profectum maturet, nec moras ulterius trahat, sed consensu publico vehiculo se conveniat. His acceptis Arius, comitante Euzoio diacono impletatis, abdicationis, exsilii socio, imperatorem adit. Accedentes imperator percontatur, veramne fidem sectentur. Sectari, amplecti eam respondent. Libellum fidei dare jubet. Illi protinus offerunt meditata vaserrime, et dolosis verbis concinnatum, quæ nec aperte silem impugnant, neque erroris virum eliminarent. Perorabant autem sub libelli finem, rogantes, quando sana et sincera essent opinione, aditum sibi ad Ecclesiam non negari. Hac Arianorum formula offensi multi sectatorum ejus, pristini erroris retinentissimi, quibus impietas nullis delinita verbis, ut principio fuerat publicata, cordi erat, ab eo desciscunt, aliamque di- parem familiam ordiuntur, cujus secundum hæc antesignani fuerunt Aetius et Eunomius.

ANNO CIRCA 332.— 1. *Arius Alexandriam petit. Constantinus jubet recipi Arium.*— Cæterum delusus Arianorum calliditate Constantinus, eo appulsi animum, ut eum Alexandriam proficisci libens concederet (d). Verum Athanasius, qui hominem pristino semper errore implicatum, simulatamque ac dolo plenam ejus fidei confessionem probe norat, aditum ei ad Catholicorum communionem interclusit. Et vero non sine causa repulsam tulisse Arium mox propalam fuit. Errores enim ille per urbem disseminare de integro conatus, turbas Alexandriæ dabat, et in discrimen vocabat pacem reipublicæ Christianæ. Ut vidit Eusebius frustra tentari Athanasium (e), nisi imperatoris jussio accederet, auctor ipsi fuit ut litteras ad antistitem daret minarum plenas, quarum partem affert Athanasius sic habentem: « Cum igitur voluntatem meam compertam habeas, omnibus qui in Ecclesiam admitti emagitant, liberum præbeto ingressum. Si quos autem in Ecclesiæ communionem admitti cupientes te prohibuisse, aut aditum illis interclusisse didicero, mit- tam quamprimum, qui te jussu meo abdicet, et ex sedibus transferat tuis. » Illis addit Sozomenus (f), Eusebii et Theognii criminationes in Athanasium, quod videlicet barbarum et tumultuum auctor esset, multisque in Ecclesiam ingredi cupientibus clauderet aditum, veras esse contendisse Meletianos, Joannis sequaces; qui crebris ad imperatorem itionibus, ementito Catholicorum nomine, Athanasio et catholicis episcopis crimina, cædes, vincula,

(a) Socrat. lib. 1, cap. 23; Sozom. lib. 11, cap. 18; Athan. *Apolog. contra Arianos*, n. 59.

(b) Socrat. lib. 1, cap. 25; Sozom. l. 11, cap. 25.

(c) Socrat. *ibid.*; Sozom. lib. 11, cap. 27.

(d) Socrat. lib. 1, cap. 27; Sozom. lib. 11, cap. 23.

(e) Athan. *Apolog. contra Arianos*, n. 59.

(f) Lib. 11, cap. 22.

verbera, plagas, incendia ecclesiarum ascribebant. Athanasius acceptis ab imperatore litteris rescribit ipsi : Joanni et sociis ejus illegitimas objicit sacerdotum promotiones, studium immutandæ Nicænæ fidei, doctrinam minime sanam, contumelias et seditiones adversus orthodoxos. Inter hasce ultro citroque oblatas criminationes, animi pendens et cui crederet ignorans Constantinus, eam demum dedit epistolam, cujus superius partem exaravimus, deferentibus Syncletio et Gaudentio palatinis.

2. *Athanasius negat Ario aditum. Meletianorum criminationes in Athanasium. Athanasius Nicomediam petit.* — Ejusmodi litteris nihil permotus Athanasius (a), imperatori renuntiat nullam esse hæreticis Christo adversantibus cum Ecclesia catholica societatem, nec posse se, salvo officio, hujusmodi hominibus aditum præbere. Imperator autem nihil ultra questus, Athanasio liberam rei ad arbitrium gerendæ facultatem permisit. At Eusebius, non ex voto cadente negotio, consilium inquit opprimendi Athanasii, ratus non posse, eo incolumi, impetrari quod in optatis erat. Meletianis igitur usus insidiarum administris, hortatur ut memores veteratorie artis, qua olim Petrum, Achillam et Alexandrum per calumniam vocassent in crimen, jam pari ausu aggredierentur Athanasium. Illi nec impigre Eusebii jussa exsequuntur : excubantesque in occasiones criminandi Athanasii, cum nullus accusationi locus vel aditus esset, demum Eusebii consilio, opera Isionis Athrabeos, Eudæmonis Taneos, et Callinici Pelusii, Meletianorum, hanc priorem fingunt criminationem ; quod scilicet Athanasius lege data linea sticharia, seu vestes sacras ministrorum altaris ab Ægyptiis primus exegisset. Nec mora, crimen ad imperatorem defertur. Sed commodum evenit ut duo Alexandrini presbyteri, quibus nomen Apis et Macarius, istic tum versarentur ; a quibus rei veritatem cum didicisset imperator, Meletianorum deprehensa calumnia est. Secundum hæc litteras mittit Constantinus, queis Isionis factum damnans, Athanasium jubet se convenire. Eusebius, re improspere gesta, non finem fecit insidiarum : sed Isioni et consceleratis auctor est Nicomedia ne secedant, sed adventantem Athanasium novis adorianur criminationibus. Eo cum pervenisset ille, delatores parati meditatique accedunt ; ac primo Macarium Athanasii presbyterum de confracto calice sacro insimulant, ipsumque Athanasium in capitale crimen omniumque atrocissimum vocant ; quod videlicet hostili erga imperatorem animo, in subsidium belli scrinium misisset auri plenum Philumeno cuidam imperium affectanti. Hæc sane erant ferini in Athanasium odii signa. Sed, providente Numine, ejusmodi hostium tela, quæ in sacri illius capitis periculum imminabant, brevi depulsa sunt. Ubi enim Athanasium hujusmodi crimen propulsantem in suburbio Nicomediæ, cui nomen Psammathia

(a) Athan. *Apol. contra Arianos*, n. 60.

(b) Athan. *ibid.*, n. 60, 61.

A audivisset Augustus (b), illi de more falsi convicti repulsam tulere. Athanasius autem honorifice exceptus remittitur Alexandriam, litteris munitus imperatoris ad populum Alexandrinum ; quibus Constantinus Meletianorum scelera, turbas, ambitionem acriter insectatur, Athanasiumque commendat ut pium et frugi virum, æqui bonique studiosum.

3. *Ischyra historia.* — Reversus Athanasius aliquantisper in pace degit. At Meletiani, in calumniis et conspirationibus adornandis pervigiles (c), haud multo interposito spatio, pacti initi memores, oblatam molendi nova in Athanasium occasionem arripiunt, et redintegrant de calice fracto querelam. En totam fabulæ causam. In Mareote, Alexandrini agri portione, viculus erat nomine Pax Secontaruri, quo loco sedem habebat Ischyra quidam profligatis moribus homo, perosus plebi ; qui olim a Collutho presbyter creatus, ad laicorum conditionem Hosii jussu, ut dictum est, reductus fuerat. Is nefario ausu sacra attingere et munus sacerdotale obire nihil verebatur. Et cum nulla in viculo exstaret ecclesia, in ædícula orphani cujusdam Isionis rem sacram agebat, tanta tamen infamia apud accolas rusticanos laborans, ut nonnisi septem ex affnibus cœtibus ejus interessent. Re comperta presbyter, cui erat ejusmodi viculus contributus, Athanasio ecclesias de more perlustranti facinus denuntiat ; qui Macarium presbyterum mittit, Ischyram accitum. Eum ægritudine laborantem ac decumbentem reperit Macarius : patrique illius jubet, ut a tali ausu filium coerceat. Morbo demum levatus Ischyra, cum prohibente patre sacra adire facultas non esset, ad Meletianos se proripit : qui haud illibenter scelestissimum hominem, et consiliis opportunum suis recipiunt. Et quamprimum, ne frustra forent tanta accessione aucti, hominis ad meditatam facinus operam requirunt, insidias aperiunt in Athanasium structas, ejus ministerio opus esse sibi aiunt. Et si perditis moribus erat homo, initio tamen negare operam, horroreque criminis resiliere. At Meletiani vi compulsus, atque plagis oneratus, ad iniquam pactionem deducunt ; ac hujusmodi criminationem una omnes fingunt et comminiscuntur (d), irruentem scilicet Macarium sacrum calicem confregisse, mensam evertisse, libros combussisse, et, ut narrat alii, cathedram dejecisse, ecclesiamque diruisse a fundamentis. Si Socrati fides, Nicomediam Ischyra, a sacrorum officio interclusus profugit, et cum Eusebio concinnandæ calumniæ rationem inivit. Verum cum ejusmodi profectio ab Athanasio juxta atque a cæteris scriptoribus taceatur, jure in suspicionem falsi veniat, maxime quia rem sæpissime tractans Athanasius, id non prætermisurus erat, si revera gestum fuisset. Meletiani igitur Ischyram esse presbyterum prædicant ubique, ut ejusmodi calumniam pervulganti habeatur fides. Is vero commentitium facinus ubique denuntiat. Verum a consanguineis

(c) Athan. *ibid.*, n. 70 et 74.

(d) Hilarii *Fragment.*, p. 1511.

objurgatus, pertæsusque sceleris, ad Athanasium A adit collacrymans. Hominem ob tantum flagitium increpat Athanasius (a). Ille subornatum se et circumventum a Meletianis ait ad ejusmodi criminationem comminiscendam, libellum tradit antistiti, quo se testatur ab Isaaco Cleopatridis, Heraclide Nicii, et Isaaco Letopoleos, Meletianis episcopis, plagis et verberibus ad id facinoris compulsus. Ac Deum obtestatus, renuntiat se probe scire nihil ab Athanasio vel a Macario admissum hujusmodi. Rogat demum sibi Athanasii conventibus interesse liceat. Ejusmodi libellum curavit Athanasius a multis presbyteris diaconisque, cum Alexandrinis tum Mareoticis, subscribi et suffragiis muniri. Neque tamen statim Ischyrae concessus ad ecclesiam Catholicorum aditus (b). Cum enim jam diu ad Colluthianos, atque exinde ad Meletianos descivisset, diuturniore opus erat experimento, ut sincera viri penitentia comprobaretur.

In epistola Mareotici cleri quædam præfert Nannii versio (c), quæ in nullo edito vel scripto codice, quem quidem inspectare licuerit, Græce comparent. Hæc sunt ejus verba : « Nam cum ille (Ischyra) post defectionem ad Meletianos nobis reconciliari et conjungi vellet, quemadmodum et Pistus, qui et ipse quoque talia de Athanasio in vulgus sparserat; neutrum tamen, quanquam propria manu testarentur nihil tale factum esse, et se subornatos a certis hominibus ut talia dicerent, recipere voluerunt. » Vix sane credatur de Pistis isthæc sine codicis cujuspiam Græci auctoritate adjecta fuisse a C Nannio. Quæ si vera sunt, mirum ita carptim rem perstrictam fuisse.

4. *Arsenii historia.* — Neque fuerunt isthæc Meletianis ad perniciem Athanasio inferendam satis (d). Verum, ut multiplici crimine facilius virum opprimerent, aliud comminiscuntur portenti sane ac prodigii simile. Rem altius ordiri necesse est. Erat quidam Arsenius episcopus Hypseles, Meletianis necessitudine junctus, licet in *Breviario* supra memorato inter Meletianos episcopos non compareat; qui an ad Meletianos jam episcopus desciverit, an contra quam vetitum in Nicæna synodo fuisset, ab iisdem fuerit cooptatus, pariter incertum. Eum sibi Meletiani ad singularem atrocemque criminationem D in Athanasium adornandam administrum parant. Princeps conspirationis ordiendæ fuit Joannes cognomine Archaph, Meletianorum antesignanus. Et quia nemo solet ad maleficium sine spe et emolumento accedere, pactione pecuniæ hominem perpulit ad sese occultandum, eo nempe consilio, ut viri non ulterius inter homines versantis cædem aut mutilationem evulgandi facultas esset. Latebrarum locus monasterium fuit nomine Ptemencyrcis, in Antepolite nomo situm. Latente igitur Arsenio, primum

rumores ubique spargunt, enectum ab Athanasio fuisse Arsenium, ac veneficii causa membratim obtruncatum. In sceleris testimonium truncam manum circumferebant, obviis ostentabant, ut universorum in auctorem iram accenderent. Demum ea ipsa crimina Ischyram et Arsenium spectantia deferunt ad Constantinum, qui, quod permirum videatur, etsi jam sycophantas Meletianos oculis ipse suis deprehenderat, fidem nibilo minus hæc renuntiantibus habuit : ideoque litteras misit Antiochiam ad Dalmatium censorem, cui homicidii causam audiendam committebat.

ANNO 333. — 1. *Synodus Cæsareæ indicitur. Arsenii fabula deprehenditur.* — Et vero, ut nostra quidem fert opinio, eodem tempore synodum edixit Cæsareæ in Palæstina celebrandam, triginta nimirum mensibus ante Tyriam synodum, ut habet Sozomenus (e), videlicet mense circiter Martio anni 333. Quæ res item Philippopolitanæ synodi epistola firmatur, quæ sic habet : « Nam propter hæc necessario concilium apud Cæsaream Palæstinam primo videtur esse conductum : et cum minime ab ipso vel ab satellitibus ad supradictum concilium occurreretur, post alterum annum in Tyro propter ejus facinora necessario iterum celebratur. » Cui synodo, ut videtur, Dalmatius Censor (f), quemadmodum Tyri Dionysius Comes, interfuturus erat, omnia auctoritate et arbitrio suo moderaturus. Censor Athanasio diem dixit, ut se adornaret ad eam depellendam criminationem. Qui litteris Dalmatii acceptis, initio futilem et a veri similitudine abhorrentem calumniam nihil curabat, tutus conscientia ne cogitati quidem, nedum admissi facinoris. Attamen ubi commotum ira imperatorem esse accepisset, ad comministros episcopos per Ægyptum rem significat diaconumque mittit, qui pervestigaret, ubi locorum esset Arsenius, qui a quinque vel sex annis in Athanasii conspectum non venerat. Diaconus autem profectus ad monasterium Ptemencyrceos, quo loco latere Arsenium rumor erat, primum incidit in quosdam, Pecysium nempe presbyterum, Sylvanum Heliæ monachi ejusdem monasterii fratrem, Tapenacerameum, et Paulum Hypseles monachum, qui Arsenium istic versari confessi sunt. Re comperta, Pinnes ejusdem monasterii presbyter hominem in naviculam conjici curavit, ut secundo flumine ad inferiores Ægypti partes una cum Heliæ monacho concederet. Post hæc, elapsis, ut putamus, quibusdam ab Arsenii profectione diebus, Athanasii diaconus cum comitibus nonnullis reversus, derepente in monasterium quærendi Arsenii causa sese immisit; quem, utpote alio transmissum, cum non reperiret, Pinne presbyterum cum Heliæ monacho Arsenii comite Alexandriam deportatos duci obtulere. Et cum nulla negandi via esset, fassi

(a) Athan. *Apol. contra Arian.*, n. 63.

(b) Athan. *ibid.*, n. 74.

(c) Athan. *ibid.*, in notis.

(d) Athan. *ibid.*, n. 63 et seqq.

(e) Sozom. lib. II, cap. 25; Hilar. *Fragm.* p. 1312.

(f) Athan. *Apolog. contra Arianos*, n. 65 et seqq.

sunt in vivis Arsenium ac minime obruncatum esse. Ad hæc omnia jam memorata Pinnes in monasterium regressus Joanni Archapho rescripsit, monens ut ne modo, pervulgata rei veritate, Athanasio eadem ascribere aggrediretur: quam epistolam, Paphnutii monachi manu exaratam, nobis Athanasius integram servavit. Narrat item Pinnes, Arsenii enecti fabulam ita per totam Ægyptum percubuisse, ut ne ultra celari posset. Hæc causa fuisse putatur Arsenio ut Tyrum profugeret, quo ibi procul patria et Athanasio, tutius delitesceret. At forte evenit Archelai consularis famuli, ut in taberna latere Arsenium quibusdam renuntiantibus acciperent, remque indicarent hero. Is mature virum perquiri, repletumque in custodiam tradit asservandum; et sub hæc Athanasio significat deprehensum Arsenium. Cujus item rei oculati fuere testes quidam ipsius Athanasii familiares. Arsenius vero ne deprehensus quidem se Arsenium esse fatebatur, donec ad Pauli Tyri episcopi tribunal evocatus atque convictus, negandi finem faceret. Hoc autem ille pacti cum Eusebio initi causa agebat, ne se sycophanta deprehensio tota evanesceret fabula. Peccat autem Socrates (a), qui istam deprehensi Arsenii historiam Tyriæ synodi tempore contigisse narrat. Nos Athanasium sequimur fide sane digniorem.

2. *Calumnia detecta.* — Inter hæc Eusebius Nicomediensis, Theognius Nicænus, et Theodorus Hæraclæotes, postquam crebris itionibus postulationibusque, intolerabilia, ut aiebant, Athanasii facinora in synodo aliqua disquiri oportere imperatori suassissent (b), jamque celebrandæ synodo deputata easet Cæsarea in Palæstina; versus Orientem properabant animo Athanasii in ejusmodi synodo abdicandi. Verum ille gnarus insidiarum et malæ mentis adversariorum, iter et iudicium istius synodi, nec injuria, detrectabat. Quare peracta de Arsenio perquisitione, et patefactis Meletianorum conspirationibus, imperatori renuntiat repertum Arsenium, et totam homicidii scenam de medio sublatam fuisse: ac quæ de Macario presbytero olim Meletiani ad ipsum detulissent, revocat in memoriam. Commodum item accidit, ut Meletiani in iteratis suis, de calice fracto et de mensa subversa criminationibus Athanasium modo, modo Macarium insimularent. Quod utique

(a) Socrat. lib. 1, cap. 29.

(b) Athan. *Apol. contra Arianos*, n. 65 et seq.; Theodoret. l. 1, cap. 28.

A mensam eversam, calicem fractum vecordes homines modo ab Athanasio, mox a Macario effutire, ut illa incertitudine accusationis in sycophantiæ suspicionem vocarentur. Jubet palam legi epistolam; ut nemo unus gestam rem, Meletianorumque insidias ignoret. Plectendos denuntiat, si quos paria ausos deprehenderet. Gratulatoriam Alexander Thessalonicensis Athanasio epistolam misit (c), acceptis per Serapionem Sozontis filium, bene moratum adolescentem, ejusdem litteris; scelerato Joanni aieni jure infamiæ notam inustam, utpote turpissimarum rerum artificii.

3. *Arsenius delicti veniam petit.* — Apertissimum autem illud fuit conspirationis argumentum, cum Arsenius ipse, postquam latens deprehensus fuerat, missis ad Athanasium litteris (d), significavit cordi esse sibi pacem et communionem Ecclesiæ catholice, rogare aditum sibi dari, polliceri nullam initurum se cum schismaticis societatem, neque imprudente aut invito Athanasio, scitum aliquod vel decretum una cum aliis episcopis editurum. Istas Arsenius dedit litteras, qui multa post hæc nec obscura prætulit mutati et catholicis rebus addicti animi signa. Re cognita Joannes Archaph, ut vidit gesta sua in ore omnium versari, traduci in dies, magnam sibi invidiam conflare, quasi pœnitens facti, communionem Athanasii efflagitare cœpit: ac litteris imperatori testificatur se, jam omni posita simulate, pacem communionemque cum Athanasio exoptare ac requirere. Pergratæ litteræ Constantino fuere, pacis scilicet amatissimo; dataque epistola virum evocat, publici vehiculi copiam facit, ut majore gaudio præsentem pacisque studiosum exciperet. Talis tum fuit rei exitus, et aliquantum temporis sopitum negotium fuit.

ANNO CIRCITER 334. — 1. *Antonius Alexandriam venit.* — Per id circiter tempus Ariani, rumoribus spargendis semper invigilantes, temere jactitabant magni per Ægyptum nominis virum Antonium monachorum patrem doctrinæ suæ favere et astipulari (e). Perlata res Antonio dolori fuit; graviterque succensens novatoribus, hortatu episcoporum, et maxime Athanasii, Alexandriam se confert. Tum cœpit Arianos publice coarguere, hæreticos appellare, hæresim eorum vocare Antichristi prodromum, prædicare Fili æternitatem, deitatem, populum voce monitisque in vera doctrina confirmare. Ingens fuit multitudinis lætitia, grande odium conflatum hæresi adventu viri Dei. Accurrebant cives videndi Antonii cupidine flagrantés. Ipsi gentiles suspecta viri litterarum imperiti vi orationis, stupefacti signis miraculisque ad preces ejus editis (nam energumenos, ac mente captos bene multos curabat); tanto numero ad Christianam fidem confluxere, ut plures paucis diebus, quam alias per integrum annum, veræ fidei viam ingrederentur. Et vero tanta

(c) Athan. *ibid.*, n. 66.

(d) Athan. *ibid.*, n. 69.

(e) In *Vita Antonii*, n. 69.

erat opinione sanctimonix et pietatis, ut universi, A  
ne paganis quidem exceptis, hominem Dei, Antonium compellerent.

2. *Antonius curat dæmoniacam.* — Cum autem excederet urbe, Athanasio honoris causa comitante, ut ad portam pervenit, retro clamans mulier sistere gradum rogabat, et sanare filiam suam dæmone vexatam. Rogante etiam Athanasio, substitit ille; et propius accedente cum filia muliere, dæmon puellam humi dejecit. Tum precatus Antonius, impurum dæmonem fugat, et incolumem matri filiam restituit. Cunctisque cum gratiarum actione Antonium honorifice deducentibus, gestiens in amatam solitudinem remigravit. Quædam certe sunt queis inducamur, ut contra quam sentiunt nonnulli docti viri, in annum circiter 334, Antonii Alexandriam profectioem consignemus. Ne ultra annum 334 vel ut tardius 335 differamus, vetat quod Athanasius in Antonii Vita, ubi apprime temporis rationem ducit, ejus Alexandriam profectum enarrat, priusquam de Constantini ad eundem Antonium missis litteris verba faciat. Et quia eo tempore Alexandriæ versabatur Athanasius, ut ipse narrat, non potest ultra annum 335 differri iter Antonii; quia post annum illum, dum viveret Constantinus, Alexandriam non vidit Athanasius. Ad hæc, post Athanasii exsilium, cum frequens litteras Antonius ad Constantium reditus ipsius impetrandi causa mitteret, nullus residuus fuit Arianis locus evulgandi, sibi suisque erroribus astipulari Antonium; cum contra clamarent viri gesta, et Catholicis addictum proderent. Quæ sane causa nobis est, ne profectum ejus post annum 335 conferamus.

3. *Eusebius Cæsariensis inimicitias suscipit adversus Ægyptios.* — Hoc item anno Eusebius Cæsariensis in odium inimicitiamque adversus Ægyptios episcopos palam prorupit. Etsi enim a multis jam annis esset Arianis rebus nec obscure deditus (a): at non ita ut catholicorum præsulum palam hostis audiret. Quæ porro causa fuerit simultatis, ut nulli non tunc exploratum et notum fuisse memorant Ægyptii episcopi, sic jam non in promptu fuerit augurari. Subodoramur tamen, ideo Eusebium Ægyptiis succensusse, quod fortassis una cum Athanasio abnuissent ad synodum Cæsareæ indictam se conferre, quia Eusebius jam in Arianismi et odii erga Athanasium suspicionem venisset. Sane ait Theodoretus (b), suspectam Athanasio Cæsaream fuisse ob illius urbis antistitem.

ANNO 335. — 1. *Synodus Tyria.* — Meletiani vero patefactis insidiis pudore affecti, studia et consilia alio converterant (c); ac fortasse conspirandi finem fecissent, nisi accessissent Eusebianorum stimuli, quibus non Meletianorum fama et dignitas, sed Arianorum res cordi et sollicitudini erant. Cum vi-

derent ergo, per otium et pacem Athanasio licere solitam augendæ rei catholicæ operam navare; inturbare consilia ejus Meletianorum ope satagunt, hosque rursus evocant ad pristinam lincendi et calumniandi artem. Meletiani igitur instaurato fœdere (d), elapsis triginta ab indicta Cæsareæ synodo mensibus, Athanasium denuo reum agunt apud imperatorem, et inveteratas confutatasque criminationes renovant. Prodigii simile est, tam versatilem et scyphantis opportunum Constantini animum fuisse; ut quæ toties ille falsa et commentitia deprehendisset, ea denuo in iudicium vocari concederet. Eusebiani ergo, ut ait Athanasius, iis usi scenæ quam parabant histrionibus, auctores sunt imperatori, ut synodum Tyri jubeat congregari. Tum comes Dionysius eo mittitur, imperio suo omnia moderaturus (e). Satellitum militare Eusebians datur, ut arbitrio suo peragant omnia. Eo concedunt magno numero Eusebiani; quorum primipilares Eusebius Nicomediensis, Eusebius Cæsariensis, Narcissus Neronopolitanus, Placillus Antiochenus, Theognius Nicænus, Maris Chalcedonensis, Theodorus Heracleotes, Patrophilus Scythopolitanus, Theophilus, Ursacius Singidonensis, Valens Mursinus, Macedonius Mopsuestenus, Georgius Laodicensis, et alii plurimi. Nec tamen deerant quibus æqui bonique studium esset, sed perpauca. Inter eos maximus Hierosolymitanus, Marcellus Ancyranus, Alexander Thessalonicensis, Asclepas Gazensis. Sexaginta omnes numero præter Ægyptios erant, auctore Socrate (f). Ab hoc cœtu avertebat Athanasii animum pristinorum recordatio conspirationum; nec tutum esse arbitrabatur hostibus se committere, quos penes tunc summa rerum esset, ubi nulla æqui ratio futura, sed omnia Eusebianorum arbitrio agenda, jubente comite, cogentibus militibus. At vel invitus ille, litteris compulsus imperatoris, iniquo iudicio secum agi passus, eo cum Ægyptiis episcopis quadraginta novem se contulit. Macarius item presbyter vinctus, catenisque onustus, Tyrum adductus a militibus est, ob delatum crimen fracti calicis et eversæ mensæ. Quæ res per quidem indigna erat, sacerdotem necdum convictum tam asperè excipi in præsentia episcoporum.

2. *Eusebium arguit Potammon.* — Constantinus reconciliandæ pacis percupidus (g), litteris ad Tyriam synodum missis, significavit optatissimum esse sibi, ut simultas omnis et altercatio in Ecclesia comprimatur; sed quia non deessent, queis turbas dare et omnia miscere animus esset, hortari se episcopos ad synodum celebrandam convocatos, ut dissidentia membra ad concordiam revocarent, quam de medio sustulerat paucorum hominum arrogantia. Monet ut citra odium gratiamque aliquam, juxta Ecclesiæ regulas delictorum pœnas

(a) Athan. *Apol. contra Arian.*, n. 78.

(b) Lib. 1, cap. 28.

(c) Athan. *ibid.*, n. 70, 71.

(d) Sozom. l. 11, c. 25.

(e) Athan. *ibid.*, n. 71.

(f) Lib. 1, cap. 25.

(g) Theodoret. l. 1, c. 29.

sumant. His acceptis litteris, episcopi causam Athanasii agere cœperunt. Sedebant episcopi Athanasio infensissimi, inter quos eminebat Eusebius Cæsariensis. Stabat coram Athanasio, cui sedis suæ jure primas deferri oportuisset, una cum Ægyptiis episcopis, qui in viâ periculique societatem venerant. Eusebium inter judices conspicuus Potammon Heracleæ in Ægypto episcopus (a), cui fuerat sub Maximiano pro fide Christi oculus excelsus, collacrymans et dolens his hominem dictis compellat. *Tene, inquit, Eusebi, sedere, et insontem Athanasium te judicem ferre? Quis isthæc toleret? Dic sodes, nonne mecum tyrannorum tempore in custodia fuisti? Atque ego quidem oculo sum pro veritate mutilatus: tu nulla corporis parte mutilatus es, neque in fidei testimonium aliquid passus, sed incolumis integerque udes. Quanam ratione ex custodia elapsus es, nisi quia pollicitus es te nefarium quidpiam admissurum, vel fortasse admisisti?* His Eusebius auditis excanduit; et mox consurgens cœtum solvit hæc locutus: *Si tanta hic procul finibus vestris arrogantia estis; haud abs re in crimen petulantiae et superbiae vocamini a contribulibus vestris.* Non desunt tamen, qui Eusebium purgare curent a crimine vel suspitione oblatis diis sacrificii: verum nobis ad ulteriora properantibus hæc non licet subtilius explorare. Cæterum non Eusebius tantum accusatus est; sed erant in cœtu Eusebianorum alii criminibus obnoxii: qui cum hæreseos, tum aliorum fœde gestorum causa male audiebant; hos inter eminebat nequissimus ille Georgius Laodicens, ab Alexandro olim abdicatus, qui turpissimæ vitæ causa omnibus perosus erat.

3. *Quæ crimina Athanasio offeruntur.* — Ventum deinde ad crimina est; acceduntque ex parte Joannis Archaphi delatores Meletiani, Callinicus Pelusii, et Ischyras sive Ischyron (b). Hic de confracto calice, de mensa et cathedra episcopali subversis accusationes redintegavit. Querebatur item se sæpenumero Athanasii opera in vinculis detentum; et accusatum ficto crimine apud Hyginum Ægypti præfectum, quod imperatoris imagines saxis appetisset, in carcerem detrusum fuisse. Callinicus abdicatum se ab Athanasio conquestus est, licet ante Alexandro communionem junctus fuisset; causam irarum fuisse, quod Callinicus ipse communicatum se cum Athanasio negasset, donec calicis confracti crimen et suspitionem depelleret. Indigne ferre se Callinicus aiebat, quod Marcum quemdam, presbyteri officio deturbatum, in Pelusii episcopatum promovisset; seque militarem custodiam, tormenta ac judicia ejusdem Athanasii artibus, subire compulsus. Aderant præterea ex Meletianorum caterva Euplus, Pachomius, Isaac, Achilles et Hermæon episcopi, qui inflictæ sibi ab Athanasio verbera mentiebantur. Omnes porro una ejusdem farinae accusatores promotionem ejus in crimen vo-

(a) Epiphan. n.ær. LXIX.

(b) Sozom. lib. II, cap. 25.

cabant. Aiebant nempe, cum omnes episcopi ante decrevissent, ut nemo eligeretur antequam oblata sibi crimina coram dilueret; Athanasium tamen quorundam perjurio ad episcopatum pervenisse; quæ causa ipsis fuerat, ut fraude circumventi ab ipsius societate et communione desciscerent. Athanasium autem, nedum oblata crimina propulsaret, vi illata ipsos accusatores in carcerem conjecisset. Post hæc accusatio de Arsenio iterum agitata. Atque ut evenire solet, cum ii, qui perniciem alicujus machinantur, gratia et auctoritate valent, videre erat Eusebio assentantes nonnullos, qui inter amicos Athanasii ante numerabantur, jam inexpectatos accusatores accedere. Lectus est quoque libellus popularium exclamationum, quasi scilicet plebs Alexandrina, odio Athanasii incensa, conventus ecclesiasticos detrectaret. Athanasius autem jussus causam dicere, ac frequenter in jus vocatus, ex oblatis criminibus alia depulit; pro aliis tempus et moram postulavit ad perquisitionem. Hæc ex Sozomeno hausimus; in cujus narratione veri vestigia comparent. Meletiani namque omnes hic memorati, uno excepto Euplo, enumerantur omnes in breviario Meletii.

4. Etsi porro crimina multa offerebant antistiti, duo potissimum erant in ejus exitium comparata, in quibus comprobandis operam ponebant. Aderat Ischyras, qui Athanasium modo, modo Macarium confracti calicis insimulabat. Præsens item erat Joannes, qui Arsenii necem Athanasio imputaret perquam impudentissime, postquam, nec sine ejus pudore et infamia, deprehensa ac detecta calumnia fuerat.

5. *Calumniæ deteguntur.* — Tum Athanasius alii-que Ægyptii, qui principio Eusebium et socios superius memoratos judices in sua causa recusarant, quod probe scirent, neminemque fugeret, eos non Athanasii modo, sed orthodoxorum omnium inimicos esse, queis quavis data occasione insidias et bellum pararent; necessitate atque injuria compulsi, Meletianorum criminationem in Athanasium adornatam propulsare aggrediuntur. Verum Eusebiani dicta episcoporum interpellare, eorumque testimonia repudiare nisi sunt. Tum versi in judices, quibus quoddam inesset veri et æqui studium, alios minis, alios conviciis lacessere, ut deterrerent ab æquitate vindicanda. Neque tamen summa licet vi usi (c), licet comitis auctoritate ac militum manu freti, licet carnifice quodam et compulsore ministris usi, licet omnia præter jus fasque agerent, comprobare potuere crimina Athanasio oblata. Ischyrae namque calumnia de calice fracto et de mensa subversa, episcoporum omnium Ægyptiorum testimonio depulsa est, nec quodpiam gestæ hujusce rei potuit Ischyras, argumentum proferre.

6. Quod aliam vero sycphantiam spectat de Ar-

(c) Athan. Apol. contra Arianos, n. 7-9.



senii nece (a), sic illa referente Theodoro detecta, nec sine ingenti Meletianorum ignominia, fuit. Deinde famosam illam thecam et manum sale conditam protulerunt, tum erupit spectantium clamor; aliis verum flagitium esse aestimantibus; aliis, qui latere Arsenium norant, falsum putantibus. Vix tandem compressis clamoribus, iudices Athanasius percontatur, num cui notus Arsenius. Cum multi respondissent eum se probe nosse, adduci hominem iubet. Rursum ille, isne esset Arsenius rogabat, quem peremisset ipse, quem perquirent illi, cujus manum ipse dexteram amputasset. Fatentur illi, Arsenium ipsum esse. Quibus Athanasius, reducto pallio, utramque manum ostendit, dextram sinistramque. Aliam, inquit, præterea nemo requirat; duas enim solum manus a conditore Deo omnes accepimus. Socrates autem ita rem narrat. Athanasius pallio in alterum latus reducto, manum hominis ostendit. Rursum nonnullis suspicantibus altera eum manu truncatum; aliquantum moratus, ancipites illos hæere permisit, cum alterum pallii latus reduxisset, alteram quoque Arsenii nudavit manum; et præsentem compellans: Arsenius quidem, ait, ut videtis, utraque manu integer est. Tertia hæc unde excisa fuerit, indicent accusatores. Utrum vero ista serie calumnia mutilati Arsenii detecta sit, an exornandæ orationis causa multa sint adjuncta, incertum. Unum constat (b), Arseniam nempe synodo adfuisse, præsentemque cædis et mutilationis crimen repulisse, ut narrat Athanasias.

7. His perspectis accusatores, ait Sozomenus, ad levandam ignominiam novo usu crimine, aiunt Plusianum quemdam episcopum, Athanasio addictum, jussu illius incendisse domum Arsenii, ipsumque columnæ alligatum loris excepisse, et in cellulam inclusisse, unde elapsus Arsenius per fenestram se proripisset; ac exinde aliquandiu delituisse, nec sine causa pro mortuo et ambusto habitum fuisse: qui quod præclarus vir esset et confessionis gloria insignis, idcirco Joannem et assecclas, ejus perquirendi causa, magistratus adiisse. Ait tamen Socrates, Joannem detectæ calumniæ pudore illico fugam fecisse.

8. *Historia mulierculæ suspecta.* — Aliam memorat Rufinus criminationem mulierculæ, quæ ad synodum intromissa vociferari cœpit (c), virginitatem se Deo vovisse, sed ab Athanasio tum hospite suo vi compressam et pollutam fuisse: « Introduce ad hæc, ait Rufinus, jubetur Athanasius. Ingreditur cum Timotheo presbytero suo, eumque monet ut posteaquam mulier dicendi finem fecisset, se taceante, ad ea quæ dixerat responderet. Cumque mulier ea quæ docta fuerat perorasset, Timotheus conversus ad eam: Vere, inquit, mulier, ego mansi apud te aliquando, aut vim tibi, ut asseris, feci?

A Tunc illa, ut mulierum se talium procacitas habet, objurgans Timotheum: Tu, tu, inquit, mihi vim fecisti, tu in illo loco commaculasti castitatem meam. Tum omnes ridiculosus pudor habere cœpit, quod tam facile tacente eo fictio compositi criminis patuisset. Tum dimissa mulier fuit. Athanasius vero non dimittendam esse contendebat, sed interrogandam quis horum auctor esset. Verum illi occlamant, alia superesse crimina longe graviora, quæ nullo possent artificio depelli. Ac tum ventum esse ait ad criminationem de Arsenio enecto.

9. Sed eam mulierculæ historiam multis nominibus suspectam esse, ac fingentis magis artificium, quam rem vere gestam olere, nemo inficias eat, qui adverterit eam non ab Athanasio, qui res Tyri gestas accurate bis terve recenset, imo nec a synodis Alexandrina, Romana sub Julio, et Sardicensi memorari, in quarum synodicis epistolis pluribus enumerantur aliæ Eusebianorum in Athanasium adornatæ criminationes. Quæ vero causa tanti facinoris silentio prætermittendi, potissimum in Sardicensi synodo, quando e re Patrum erat id inter alia afferre, quo liquidius foret jure ac merito tantæ calumniæ artifices damnari et abdicari? Quorsum Philippopolitani præsules conscelerati, repetitis aliis in Athanasium criminationibus, hanc taceant? Cur Epiphanius et Socrates tam nobile flagitium Ariatorum omittant, si vere gestum, qui pluribus Tyrias res persequuntur? Et sane Sozomenus, qui ex Rufino eam historiam, ut et Theodoretus, mutuat est, fatetur eam non in actis synodalibus comparere, sed, utpote turpem et ridiculam, omissam fuisse. Quasi vero id more receptum sit, ut in judicio taceantur reorum calumniæ, cum turpes, cum ridiculæ sunt, ubi e re judicium est, ut pateat omnibus jure ac merito infligi pœnas. Et alioquin non talis hæc historia est cui honos præfandus sit; cum maxime quantumvis turpe factum possit carptim honesteque narrari. Ad hæc, quis Eusebianos putet tam supinos, tam oscitantes fuisse, ut adornatæ ad calumniam mulierculæ non indicarint, quem accusatum oporteret?

10. At his fortasse argumentis quis occurrat, dicendo Philostorgium (d), qui sanctis et catholicis conflatas ipsis ascribere solet, enarrare mulierculam ab Athanasio subornatam fuisse, quæ Eusebium Nicomediensem illati stupri accusaret: cui occasio hæc scribendi fuisse videatur illa Eusebianorum calumnia in Athanasium parata. Sed cum ante Philostorgii ætatem ea, seu vera, seu falsa sit evulgata, nihil hinc ad eam asserendam erui potest. Philostorgius quippe tam ex falsa, quam ex vera historia, potuit ea scribendi occasionem arripere.

11. — *Legatio Mareotica.* Eusebiani patefacta deprehensaque conspiratione, pudore affecti, inopes-

(a) Socrat. l. 1, cap. 28; Sozom. lib. 11, cap. 25; Theodor. lib. 1, cap. 50.

(b) Athan. *Apol. contra Arian*, n. 72.

(c) Rufin. lib. 1, cap. 17; Sozom. lib. 11, cap. 25; Theodoret. l. 1, cap. 30.

(d) Lib. 11, n. 11.

que consilii, usque eo quid agerent non habebant, A ut Dionysio comiti auctores essent legatos in Mareotem mittendi, perquisitum an quidpiam criminis possent in Macarii gestis deprehendere (a), quasi res non satis agitata et expensa fuisset. Verum nec obscure id consilii Eusebianis erat, ut quia, depulsis criminibus, interclusam sibi spem opprimendi Athanasii cernerent, in Athanasium absentem pro libidine conspirarent. Athanasium autem et Ægyptii contra contendere supervacaneam fore illam in Mareotem legationem, palam perstringere eorum simulationem atque vafritiem, quod rem tandiu meditatam, tanta opera concinnatam, jam inopia argumentorum dicerent non satis exploratam esse; quia res secus cessisset, quam peroptarent ipsi. Tum ubi adverterunt, eo demum Eusebianorum B dolo et perveracia ventum esse, ut omnino ejusmodi legatio mittenda esset; id rogabant, ut ne saltem suspecti viri quæsitores darentur. Æqua res comiti visa est, viros æqui bonique studiosos, nec cuiquam factioni deditos, eo mitti oportere. At illi, quibus in animo erat insidias iterum parare in Athanasii perniciem, missis quatuor ante diebus veredaris, qui Meletianos in Mareotem alienam sibi regionem cogèrent, præmissis item Meletianis et Colluthianis quibusdam, qui omnia ad conspirationem adornarent, habito seorsim concilio, clam legatos eo delegant suæ sectæ principes, Theognium scilicet, Marcum, Theodorum, Macedonium, Ursacium et Valentem. Hinc litteræ ad præfectum datæ, ut arbitrato legatorum omnia ageret. Hinc militare satellitium deputatum, ut militum ope et auxilio testimonia extorquerent, et documenta conscriberent. Quodque suspitione plenum ac iniquissimum erat, Macario presbytero sub militum custodia relicto, accusatorem secum abduxere.

12. *Conquestio Athanasii et Ægyptiorum.* — His conspectis Ægyptii episcopi, qui cum Athanasio Tyri versabantur, rei indignitatem non ferentes, data ad alios episcopos Tyri coactos epistola (b), contestantur perspicuam sibi esse Eusebianorum in Athanasium et in se conflata conspirationem. Queruntur contra jus fasque gesta omnia, suspectos egeratosque judices fuisse, dicta crimina, legatos sibi adversarios designatos, qui nihil non arbitrato Eusebianorum agerent, pari fide gesta cætera. Monent demum, Eusebianos dolo usos epistolam tradidisse, quasi a Colluthianis, Meletianis et Arianis adversum se scriptam: cavendum esse ne quidpiam eorum rogatu designetur, ntpote inimicorum sibi; non ignorare illos qui causæ esset, quod ab anno proximo Eusebius Cæsariensis in apertas adversum se inimicitias prorupisset. Huic quoque simile rescriptum Dionysio tradunt comiti.

13. *Alexander Thessalonicensis improbat factum Eusebianorum.* — Horum certior factus Alexander

(a) Athan. *Apol. contra Arian.*, n. 72.

(b) Athan. *ibid.*

(c) Athan. *ibid.*, n. 80.

episcopus Thessalonicensis, cuius grandis erat apud utramque partem existimatio, fama que sanctimonie, litteris monet comitem (c) palam se videre conspirationem in Athanasianos adornari, quod suspectos et recusatos homines eo misissent legatos: allatum sibi fuisse nuntios præmissos a Joanne, periculumque esse ne Colluthiani, Meletiani et Ariani per Ægyptum totam turbas moveant: neu locus criminandi episcopos fuerit, si non ex æquo et bono iudicium feratur.

14. *Ægyptii appellant imperatorem.* — Comes Dionysius litteris Alexandri commotus, Eusebio atque sociis rescribit, et jam se Flacillo renuntiasset conquestum Athanasium de iniqua et præpostera legatione, rem nequaquam ex animo domini animæ suæ (sic ille) Alexandri factam; id sibi semper consilii fuisse ut communi calculo et suffragio mitterentur legati; haud levem fore criminationi locum, si Alexander episcopus rebus gestis non obtemperaret. Hæc ille. Neque id non intelligebant Eusebiani: sed vetabat cupido exterminandi Athanasii, ne quid consilio et æquitate darent. Cumque animadverterent Ægyptii episcopi, Eusebianos nihilominus ad cœpta progredi, neque sistere gradum; rescripto ad Dionysium comitem dato, rogant ut quando Eusebiani pro libidine, nulla servata æqui bonique ratione, multa in suam perniciem machinantur, iudicium totum reservaretur imperatori. Comes autem, etsi legationis iniquitatem palam coarguebat, infestus tamen Athanasio, multum adversus illum operæ insumebat, usus ad arbitrium vi auctoritateque sua. Quæ causa fuit ut Athanasius, conspiciatus omnia arbitrato et impulsu adversariorum agi, seque in discrimine versari, se proriperet adiretque imperatorem.

15. *Fuga Athanasii.* — Videtur porro Athanasius profectus esse statim atque legati ad Mareotem iter instituerunt, Ægyptiis imperatorem appellantibus. Et vero quid reliquum erat post hujusmodi appellationem, quam ut adiretur Constantinus? Et hæc est item concors scriptorum pene omnium sententia. Quæ vero quæstio movetur, utrum crimen prius oblatum, illudne de calice fracto, an aliud de enecto Arsenio, levis omnino momenti. Fortassis hac ratione facile concilientur opiniones, si cum Athanasio dicamus, allatam primum fuisse criminationem illam de calice fracto et de mensa subversa; sed cum idonea testimonia et argumenta ad eam comprobendam non suppeterent, itum ad criminationem de Arsenii nece; quæ cum ipso præsentate Arsenio falsa et iugatoria esse deprehenderetur, inopia criminum, redintegratam tum fuisse pristinam illam propter quam legatio clam decreta fuit.

16. *Narrant Rufinus, Sozomenus et Theodoretus (d), detectis insidiis ac deprehensa conspiratione, accusatores et iudices qui fraudis conscii*

(d) Athan. *ibid.*, n. 82; Rufin. lib. 1, cap. 17; Sozom. lib. 11, cap. 25; Theodor. lib. 1, cap. 30.

erant, tumultu ac seditione synodum complevisse, præstigiatores vociferantes Athanasium, maleficum, sacerdotio indignum, ac de medio tollendum: tum eos qui jussu imperatoris disciplinae pacisque servandæ causa synodo intererant, veritos ne violentas ei inferrent manus, clam iudiciis virum propripuisse, Athanasiumque conscensa navi Constantinopolim profectum esse, ut causam apud imperatorem ageret.

17. *Legatorum gesta Alexandriæ et in Mareote.*— Interea legati cum Ischyra profecti, relicto sub militum custodia Macario, Alexandriam venerunt (a); datæque litteræ Philagrio sunt Ægypti præfecto, genere Cappadoci, transfugæ a religione Christiana, qui auctoritate deinceps et opera sua in res Eusebianorum gerendas incubuit. Alexandriæ dum versarentur legati, domus victusque quotidianam societatem habuere cum accusatore Ischyra. Et sub hæc, comitante Philagrio, militibus stipati in Mareotem proficiscuntur, sedemque ponunt in ipsius Ischyrae domo. Hic monumenta edita, hic perquisitiones factæ sunt: hic dolos, machinas, cuncta veteratoris artis tela compararunt. Animadversa presbyteri Alexandrini et Mareotici legatorum nequitia atque vafritie, homines coram objurgant, quod soli cum accusatore, reo Tyri dimisso, accederent: postulant sibi saltem eorum actis et perquisitioni interesse liceat; se totius negotii et eorum quæ Ischyram spectarent esse conscios, gnaros item qui testes veraces, qui contra ab Ischyra subornati essent: quorum nedum admissa postulatio fuerit, non sine vi repulsi et eliminati sunt. Quodque mirum, ac tali caterva dignissimum, exactis presbyteris, Philagrium militesque ethnicos admiserunt ad rerum sacrarum quæstionem. Intromissi ad testimonium ferendum, non clerici, sed catechumeni, qui sacris nunquam interessent. Imo vero ethnici ac Judæi in testes admissi, ubi de confracto sacro calice, de mensa seu altari subverso res erat; quibus, utpote profanis, nec initiatis, ne obtueri quidem res hujusmodi licitum erat. Non ea mente, non eo consilio interrogabantur (b), ut veritatem aperirent, sed ut nutu inimicorum Athanasii, crimina proferrent. Si quis Athanasium illatæ contumeliæ insimularet, is innox Catholicus audiebat, etsi nunquam Christianam professus religionem. Nec satis consulto tamen concinnatæ res fuere; suisque ipsi fraudibus, suis machinamentis proditi, ac suis, ut ita dicam, telis confossi sunt. De sacris enim quæstionem habentes cum Judæis et catechumenis: Ubinam, aiebant, eratis, quando irrumpens Macarius mensam evertit? Intus, inquirunt, eramus. Atqui non poterat oblatio tum fieri, si catechumeni intus erant. Et cum litteris evulgassent ubique, stante Ischyra et sacra faciente, irruisse Macarium, et omnia evertisse; ea quoque de re percontantur, ubinam esset Ischyra, quo tempore Macarius irru-

A perit. Responderunt iterum illi, in cellula agrum decubuisse. Non stabat igitur qui decumberet, nec sacra faciebat qui in cellula ægrotus jaceret. Ad hæc testificante Ischyra a Macario ambustos fuisse ecclesiam libros; ipsi tamen testes, etiamsi submissi et subornati, fassi sunt nihil hujusmodi gestum fuisse, sed mentiri Ischyram. Et perquam mirum fuit conquestos lucifugas, occultatos fuisse ab Athanasio eos qui testimonium ferre possent, eosdem tamen palam interrogasse. Acta autem hujusmodi eorum arbitrio et nutibus, præfecti terrore, militum vi atque illatis plagis conscripta, tanto pudori vel ipsis auctoribus fuere, ut ea summa sollicitudine abderent, amanuensibusque juberent, ut eorum nemini copiam facerent: sed cessit res contra quam rati erant. Nam Rufus eorum scriba, qui postea fuit in Angustaliana spiculator, omnium gnarus, aderat qui gestorum ferret testimonium. Eusebiani quoque (c) paucis post annis ea per oratores suos Romam miserunt, Athanasioque sunt ea ipsa per Julium episcopum transmissa. Quæ res sceleratos in furoræ et vesaniam agebat, quod videlicet quæ occulta et ignota esse peroptarent, ea Athanasius præ manibus haberet, ea legeret.

18. Presbyteri autem et diaconi, cum Alexandrini, tum Mareotici (d), rei indignitatem non ferentes, rescripta edunt; contestantur non ex æquo et bono perquisitionem haberi. Et Alexandrini quidem, litteris ad legatos missis, queruntur reo non præsentem habitam quæstionem, sibi rerum gnaris denegatum aditum; ut solis liceret pro libidine rem gerere. Dare se epistolam istam, quæ in vera synodo in testimonium afferretur. Mareotici vero, epistola ad synodum Tyriam missa, significant Ischyram non vere presbyterum, ficta crimina in Macarium, id sibi in eodem agro versantibus probe compertum esse, qui Athanasio Mareotica loca perlustranti semper adessent: accedentes se ut inquisitionibus interessent, aditu interclusos, repulsam tulisse, et summo quidem opere exoptare, ut Tyrum accedendi facultas sit, si non omnibus, saltem quibusdam a se legatis. Eadem ferme ipsa Mareotici, Philagrio præfecto, Palladio Curioso et Antonio comiteatum præfecto litteris renuntiant, rogantque ut hujusce rei notitia ad imperatorem et ad filios ejus deferatur. Data fuit hæc epistola die decima mensis Thot, id est septima Septembris, cons. Julio Constantio fratre Constantini imperatoris et Rufino Albiuo, anno Domini 335.

19. Ex Mareote profecti Alexandriam (e), indigna in Catholicos, in virgines, in frugi homines Athanasii amantes perpetrarunt. Eorum quippe jussu milites et gentiles strictis gladiis obvios, et maxime virgines impetere, earum sacra corpora nudare, cædere, ita ut pedibus male multatæ claudicarent. Ethnici vero aras et sacrificia mitari; adeo ut

(a) Athan. *Apolog. contra Arian.*, n. 15, 14.

(b) Athan. *ibid.*, n. 85.

(c) Athan. *ibid.*

(d) Athan. *ibid.*, n. 73

(e) Athan. *ibid.*, n. 15.

temerarius quidam homo, quasi potestate ab impio præfecto in episcoporum gratiam accepta, virginem manu abreptam ad altare forte obvium raptaret, vim olim Christianis illatam et tyrannorum violentiam æmulatus. Inter hæc facinora videre erat virgines fugere, et ethnicos Ecclesiam ridere, et quidem ante ipsas episcoporum ædes, quæ revera erant officina nequitiae et diversorum flagitiorum. Ex ea quippe domo gladiis ac telis instructi prodibant, qui vim et mala Catholicis inferrent, qui virgines nullo non contumeliarum genere onerarent. Et hæc illæ jejunii tempore a militibus contubernalibus et compotioribus episcoporum perpeßæ sunt. Quæ autem tantorum flagitiorum occasio fuerit, nusquam traditur. Verum augurari licet ex iniquitatis et violentiæ legatos et præfectum progressos, quia cernerent populum Alexandrinum, maximeque virgines horrere illam periniquam contra Athanasium structam conspirationem, et fortasse maledictis ejus artifices insequi, cum post peracta illa nefaria monumenta procederent per urbem.

20. *Athanasius damnatur.* — Legati demum rebus præclare gestis Tyrum remigrarunt, cum sese jam Athanasius Eusebianorum furori proripuisse (a), ait vero Socrates, post fugam Athanasium, declinati iudicii causa, damnatum fuisse; postquam autem acta Mareotica allata sunt, abdicationis in eum sententiam tulisse Eusebianos. Sozomenus vero (b), qui Tyrias res, accuratius quam alii recenset, his prope verbis rem enarrat. Synodus absentem Athanasium damnavit et episcopatu abdicavit; interdixitque aditu Alexandriae, ne tumultuum turbarumque auctor esset. Joannem vero et assecelas, tanquam injuria pulsos et male acceptos, ad communionis societatem admittit, singulisque suum in clero gradum restituit. Hinc litteris imperatori gesta sua significant Eusebiani, epistolasque omnibus ubique terrarum præsulibus mittunt, queis hortantur ut ne ultra Athanasii communioni sint adjuncti, ne litteris ultro citroque missis amicitiam cum illo foveant; scelestum vocantes, reum multorum criminum deprehensum, fuga elapsum iudicibus, quod novum facinorum esset argumentum. Hac porro de causa inflictas ei pœnas esse, quod cum anno proximo synodum Athanasii causa celebrari edixisset imperator, detrectasset ille iter instituere, tametsi adventum ipsius expectantes multi præsules, diuturnum Cæsareæ tempus extraxerant; deinde quod cum plurimi episcoporum Tyri convenissent, ille multitudine stipatus accedens, turbis seditionibusque excitandis navasset operam, modo oblata crimina depellere abnuens, modo singulos episcopos conviciis et probris onerans, interdum accitus non gerens inorem. Confracti autem mystici poculi convictum fuisse denuntiant, cujus rei testes essent Mareotici

A legati. Hæc conscelerati homines litteris mandare non erubuerunt. Presbyteri autem Mareotici, qui confutandi Ischyrae causa accesserunt (c), ne auditi quidem, repulsi sunt. Multi tamen ex episcopis qui aderant, iniquo iudicio ac rebus contra jus fasque gestis minime astipulati sunt. Maximus autem Jerosolymitanus, cum in turba sceleratorum consisteret, vir tamen pius et sanctimonia insignis, et Christi confessor, a Paphnutio Ægyptio episcopo pariter confessore, cui effossus oculus pro Christi nomine fuerat, manu eductus est ex synodo, ne pravorum iudicio astipularetur. Sunt autem qui antea in ipso synodi decursu id gestum arbitrentur. Ait autem Socrates (d), Maximum damnationi Athanasii suffragium ascripsisse. Verum accuratius multo B Sozomenus (e), quam Socrates, quæ Tyriam spectant synodum pertractavit. Nec plus habet firmitatis, quod ait ipse Socrates (f), Arsenium subscripsisse Athanasii abdicationi. Nam Ægyptii episcopi anno 340, contestantur sibi Arsenium hæere; et a vero simili abhorret, Arsenium, qui tempore synodi ex partibus stabat Athanasii, ut criminationem propulsaret, condemnationi postea ejus suffragium dedisse. Ignoratur porro quinam episcopi abdicationi Athanasii subscribere renuerint: unus tantum memoratur Marcellus Ancyranus, cujus persæpe mentio inferius.

21. *Ischyras episcopus constituitur.* — Unum restabat, ut scilicet Ischyrae sycophantæ pactam calumniæ mercedem Eusebiani solverent. Itaque ut optatis hominis fieret satis (g), eum, tametsi nondum presbyterum, in vico ipsius omnium Mareoticorum minime episcopum constituerunt. Neque tamen non intelligebant illi rem perabsurdam perque indignam esse, atque ecclesiasticæ traditioni adversari. Sed pactione sua id agere compulsi sunt; ne si ingratis cum sceleratissimo homine ageretur, fabulam ille totam denuntiaret. Imperatori igitur auctores fuere, ut litteris ad Catholicum seu Thesaurarium missis, juberet ecclesiam Ischyrae ædificari in loco Pax Secontaruri dicto, eo quidem consilio ut episcopus cum esset atque ecclesia potitus, fide digno haberetur cum de calice et de mensa ferret testimonium. Nullum enim unquam nactus fuerat obsequentem populum, ne cognatos quidem et affines suos; sed sycophanta audiebat apud omnes, et, ut ait Athanasius, quasi canis pellebatur ubique. Catholicus autem epistolam misit ad exactorem Mareotæ, jubens ecclesiam in hujusmodi vico excitari: quod tamen minime peractum fuit, sed vacuam ille et inutilem servavit epistolam, quam ad verbum affert Athanasius.

22. *Episcopi Tyrii a Constantino evocantur Jerosolymam. Synodus Jerosolymitana.* — Eusebiani Athanasio damnato (h), necdum tamen confectis re-

(a) Socrat. lib. 1, cap. 28.

(b) Sozom. lib. II, cap. 25.

(c) Athan. Apol. contra Arian, n. 17.

(d) Lib. II, cap. 8.

(e) Lib. III, cap. 6.

(f) Lib. 1, cap. 32.

(g) Apolog. contra Arianos, n. 85.

(h) Socrat. lib. 1, cap. 33; Sozom. l. II, cap. 26; Euseb. lib. IV De vita Constantini, c. 45 et sequent.

bus (una quippe supererat, cujus gratia tanta molimina, tantam negotiorum vim, tantum iter susceperant, nempe ut Arium Arianosque in ecclesiasticæ communionis societatem admitterent), rem prope diem acturi, imperatoris litteris evocantur Hierosolymam, tabellario præclaro quodam viro, imperatoris notario, cui nomen Marianus. Exstructa namque in Calvariæ loco ecclesia, quæ magnum martyrium deinceps nuncupata est, encæniis totam synodum interesse celebritatis causa voluit Constantinus. Mature igitur ex Augusti voto eo se contulere episcopi, ut alios ex toto terrarum orbe coactos convenirent. Tanti cœtus amplitudinem, dignitatem, pietatem magnifice describit Eusebius Cæsariensis; cui fortassis fidem habere religio fuerit, cum eos quoque laudibus exornet qui nec obscure Arianis rebus dabant operam, alios itidem celebret sexcentis sceleribus obnoxios. Tacito autem cujusque nomine, indicatis solum provinciis, de episcopis verba facit. Qui Macedoniæ primas dicitur Alexander est Thessalonicensis, vir sane frugi, insidiis tamen et machinamentis Arianorum circumventus, eo adductus est ut in eorum partibus consentiret. Lecta illa Pannoniæ et Mœsiæ juvenus, ii sunt Ursacius et Valens, multis flagitiis nobilitati, Arii magisterio, studioque promovendæ hæreseos insignes. Episcopus autem Persarum memoratus ab Eusebio putatur esse Milles, qui postea Christi causa cervices dedit. Cilices episcopi erant Narcissus Neroniadis et Macedonius Mopsuestenus Arianis deditissimi. Longum esset reliquos ex Thracia, Bithynia, Syria, Phœnice, Palæstina, cæterisque regionibus commemorare. Ex Ægypto autem Thebaide atque Libya aderant Meletiani episcopi: qui post initam cum Eusebianis societatem eorum cœtus adire non impigri erant. Penes Eusebianos summa rerum erat; et si qui fuerunt in cœtu tanto æqui bonique studiosi, ii dolo atque mendaciis illorum a probo consilio abducti et circumventi sunt. Interfuit etiam Marcellus Arianis infestissimus, de quo mox plurima.

23. Non est instituti nostri ea recensere, quæ ineundæ cum Arianis gratiæ causa affert Eusebius de Jerosolymitanæ synodi dignitate, ita ut ausit eam cum Nicæna, decem ante annos celebrata, conferre. Ecclesiæ igitur a Constantino exstructæ ejusque donis auctæ encænia episcopi celebrant. Orationem ea die solemnem habuit Eusebius Cæsariensis ad totum episcoporum et aulicorum cœtum. Diem celebritati assignat Chronicon Alexandrinum xvii Septembris, Græci recentiores decimam tertiam ejusdem mensis. Quæ ratio temporis vix ac ne vix quidem quadrare potest cum epistola cleri Mareotici, quæ dicitur die decima mensis Thot conscripta, id est septima Septembris, quo tempore in Ægypto versabantur Theognis cæterique legati ad Mareotem. Inde vero illi post peractam perquisitionem Tyrum concessere,

A ubi perfectis eorum monumentis, abdicatus Athanasius est. Sub hæc, evocante Constantino, Jerosolymam contendunt. Minus vero spatii et temporis est a decima Septembris ad decimam tertiam, vel decimam septimam, quam ut a numeroso cœtu tantum itineris sit emensum. Adeoque aut error sit oportet in epistola Cleri Mareotici, quod minus probabile; aut Græci encænia ecclesiæ Jerosolymitanæ non celebrant ea ipsa qua contigerunt die.

24. *Arius admittitur ad communionem.*— Secundum hæc Eusebiani palam fecerunt quo spectarent illa tanta in Athanasium molimina (a), quo illæ circuitiones, conspirationes, calumniæ; concinnata scilicet hæc omnia fuisse, ut aditus pararetur Arianis ad Ecclesiæ communionem. Tentatæ igitur ab Ario reditus viæ, cum non ex suo suorumque voto hactenus cessissent, jam Eusebii et asseclarum opera apertæ munitæque fuere. Iisdem enim, ut putatur auctoribus, litteris Constantinus Jerosolymitanam synodum cohortatur, ut Arium et sequaces admittat, quos nulli non bono infesta invidia diu foris Ecclesiam detinisset. Sanam eorum fidem ipsi coram loquentibus et ad interrogata respondentibus comperisse, atque eorum fidei formulam epistolæ suæ adjicere. Cujus formulæ argumentum superius ad annum 329 expensum est.

25. Ejusmodi accepta imperatoris epistola Eusebiani, haud impigre ejus placitis obtemperant; et, rem scilicet jamdiu paratam meditatamque, Arium et Arianos admittunt ad communionem: resque gestas missis litteris ubique terrarum significant, receptos Arianos evulgant; idque imperatoris hortatu, ac synodi decreto. Non desunt tamen ex recentioribus, qui tempore synodi Jerosolymitanæ jam mortem obisse Arium arbitrentur, neque Arium ipsum, sed ejus sequaces admissos. Quam sententiam alias confutavimus.

26. *Eusebiani Marcellum Ancyranum impetunt.*— Ut res sese prospere dabant, ad Marcellum Ancyranum infensum sibi præsulem deturbandum vertunt conatum Eusebiani (b). Qui Marcellus, quoniam calamitatum, et, ut ita dicam, fortunarum Athanasii consors fuit, jubet animus res eum spectantes altius ordiri. Asterius quidam in Cappadocia sophista, sophisticæque artis magister, Christianam amplexus est fidem. Sub hæc autem ad Arianam perfidiam descendit, ejusque propugnandæ gratia libros edidit. Quæ causa est ut ab Athanasio multiceps sophista, Arianorumque orator appelletur. Versabatur is assidue cum episcopis, et cum primis Arii asseclis: frequens synodos adibat, observans num quam posset episcopalem sedem invadere, a qua tamen spe, sacrificii diis oblatis causa, lapsus est. Atque Philostorgius lapsum Asterium, ad pœnitentiam Luciani martyris monitis revocatum, cujus item Luciani discipulus fuisse dicitur. Is ergo Asterius urbes

(a) Athan. *Apol. contra Arian.*, n. 84.

(b) Socrat. lib. 1, cap. 36; Athan. *De synodis*, n. 18.

Syriæ peragrans libellos in vulgus spargebat : imo, qua erat temeritate, in suggestu, quod unis licitum sacerdotibus est, legere multitudini non verebatur, in grave audientium detrimentum. Re comperta, Marcellus librum edidit confutandi causa hominis, *De subjectione Domini* inscriptum, quo strenue Asterianam juxta atque Arianam doctrinam impugnavat, invectus acriter in multos novatorum principes, Eusebium Nicomediensem, Paulinum, et Narcissum. Quæ res cum impotentium hominum iram inflammasset, excubant exinde in occasiones viri opprimendi. Coacta porro Jerosolymitana synodo ubi quocumque inclinarent Eusebiani, eo omnium concors animus accedebat, evocant Marcellum causam dicturum. Ait Socrates deprehensum in synodo fuisse Marcellum Pauli Samosatani errore implicatum esse, jussumque ut a sententia decederet; illum vero pudore affectum pollicitum esse se flammis daturum scripta sua. Evocati autem inter hæc Eusebiani a Constantino, causam Marcelli intermittere coacti sunt.

27. *Athanasius Constantinum adit. Constantinus evocat Jerosolymitanos præsules. Nova calumnia Eusebianorum. Athanasius in Gallias relegatur.* — Interrea Athanasius Tyro imperatoris adveniendi causa profugus, Constantinopolim pervenit, atque ingredienti in urbem Constantino equo insidenti (a), de repente media in via cum quibusdam se comitantibus ita inexpectatus occurrit, ut stuporem attulerit. Et primo quidem intuitu imperator virum non agnovit : sed sciscitatus aulicos, et qui esset et quibus affectus injuriis edidit. Verum ex præjudicata opinione et occupato Eusebianorum criminationibus animo, ne quidem audire hominem volebat; proximumque erat ut amoveri præciperet. Ait Epiphanius (b) Athanasium, cum repulsam ab imperatore ferret, conquestum hæc vociferatum esse : *Dominus mei tuique judex erit, quando eorum partibus adjungeris qui me calumniis opprimunt.* Abnuente autem Constantino vel auditum ferre, libere instat Athanasius, majoreque cum fiducia, nihil se postulare ait, quam ut evocentur Jerosolymitani præsules, quo posset coram de illatis malis et injuriis conqueri. Rogabat item ut imperator legitimam cogi synodum curaret, aut ipse sese purganti præberet aurem. Æquum postulatum Constantinus admittit; missisque mox litteris, evocat episcopos in synodo coactos, jubet Constantinopolim accedere, maturare profectum gesta defensuros; objurgat homines ut barbarum ac tumultuum auctores et oppressores veri. Ejusmodi litteris acceptis Eusebiani, perterriti scelerum conscientia, cum propediem futurum esset ut palam eorum consilia et studia evaderent, ad veteratoriam artem de more confugiunt; cæterisque episcopis Constantinopolitano itinere interclusis, ne iis testibus rei gestæ veritas depre-

henderetur, a solis factionis suæ principibus rem apud imperatorem agendam decernunt. Erant ii Eusebius Nicomediensis, gentilis ejus Cæsariensis, Theognius, Patrophilus, Ursacius et Valens. Qui soli Constantinopolim advolant. Ubi imperatorem convenerunt, nulla ulterius fuit de calice fracto, de enecto Arsenio memoria : sed callide novum crimen comminiscuntur, imperatori commovendo peropportunum. Comminatus, inquit, Athanasius est, se commeatum frumentum quotannis Alexandria Constantinopolim transvehi solitum interclusurum. Rei insolentia indignatus Constantinus, plenus ira, vultu voceque terribilis, gravissimas effert minas. Inexpectata calumnia et Constantini furore stupefactus Athanasius, quæ una supererat adversus tantam iniquitatem defensionis ratio, ingemiscere, obtestari, affirmare falsam criminationem, nec posse virum, cui tenues opes et nullæ facultates essent (c), tantam aggredi rem. At Eusebius, qui quando semel veracundia fines transierat, bene et naviter impudens erat, juratus affirmat divitem ac præpotentem Athanasium, penesque illum esse talia moliri, si vellet. Tum Constantinus, qui amoris suo erga patriam, ita vocabat Constantinopolim, plus sæpe largitus erat quam concederet æquitas, non exspectata ejus defensione, virum relegavit in Gallias. Aderant cum Athanasio Ægyptii episcopi numero quinque, qui rei testes fuere, Adamantius nempe, Anubion, Agathiammon, Arbethion et Petrus; erratque Socrates qui præsules istos putat Athanasii accusatores apud imperatorem fuisse, deceptus scilicet obscuritate sententiæ cujusdam in epistola Ægyptiorum præsulum (d). Narrat porro Sozomenus redintegratam coram imperatore fuisse criminationem de calice fracto, quæ causa fuerit ut in exsilium Treviros amandaretur Athanasius. Sed reclamant ipse Athanasius et Ægyptii episcopi, qui diserte aiunt, Eusebianos coram imperatore ne minimam quidem de calice fracto et de Arsenii nece fecisse mentionem.

28. Permirum sane, tanta pietate et æquitate principem eo calumniis maledicorum adductum, ut ne quidem exspectata defensione insontem virum pelleret in exsilium. Verum criminis opportunitate ita imperatoris animum occupavit Eusebius, ut perquam difficilis aditus veritati relinqueretur (e). Id eum non supplicii causa fecisse affirmat Constantinus junior, sed quo virum eriperet inimicis magnopere sæviantibus. At licet Constantini facilitate nonnunquam Eusebius ad libidinem abuteretur, non tamen ejus animus eo usque Eusebii placitis deditus erat (f), ut in ejus gratiam, quem æstimaret insontem, solum vertere juheret. Quod sane perspicuum ex ejus ad episcopos epistola, ubi acriter objurgat illos quod Athanasium abdicassent. Et perquam tutus fuisset Alexandria Athanasius, si ex imperatoris placito eo reversus fuisset; nec quidquam ipsi formidinis hæ-

(a) Athan. *Apol. contra Arian.*, n. 86.

(b) *Hæres.* Lxix.

(c) Athan. *Apol. contra Arian.*, n. 9.

(d) Sozom. lib. II, cap. 28.

(e) Athan. *Apol. contra Arian.*, n. 9.

(f) Athan. *ibid.*, n. 87.

sisset in patria sua ab Eusebii potentia et malignitate. Quamobrem vero similis arbitramur hæc dixisse Constantinum juniorem, ut patris memoriae consuleret, atque pulsus Athanasii iniquitatem et invidiam minuere saltem posset. Næ ita in Athanasium exasperatum Constantini animum narrant Ægyptii præsules, ut ex sola numinis providentia factum putent, quod exsilio tantum, non capite, virum multaret.

29. *Constantinus vetat alium eligi in locum Athanasii. Marcellus damnatur.* — In Athanasii pulsus et ejecti locum, alium factionis suæ episcopum deligere parabant Eusebiani et Ariani. Verum Constantinus sceleratos a tali ausu coercuit (a), quia oblatorum Tyri criminum convictus non fuisset Athanasius (b). Neque tamen illi, qua erant perveritas et temeritate, finem faciebant hæc moliendi, donec intentatis minus imperator, petulantes homines a cœpto et proposito deterreret. Sub idem ferme tempus presbyteri quatuor Alexandrini, quod episcopo suo conjunctissimi essent, pulsus pariter et in exsiliū acti sunt; quorum hæc nomina, Paulus, Plution, Aphthonius et Paulus Capitonis filius (c).

30. Eusebiani pro-propero rerum eventū læti, jam cum potestas erat, adversariis suis perniciem machinantur. Quamobrem synodum Constantinopoli, repugnante licet Alexandro istius urbis episcopo (d), celebrant; et quod in votis erat, Marcelli causa affertur in medium. Is librum suum, quod ante (si Socrati fides) promiserat, flammis dare recusat. Quamobrem abdicato illo, Basilus in ejus deligitur locum. Vetat autem synodorum Romanæ et Sardicensis auctoritas, ne putemus errorem in Marcelli scriptis exstitisse. Nam expensis istis Marcelli clausulis, quarum causa damnatus et sede pulsus fuerat, deprehensum est virum recte sentire, et injuria fuisse abdicatum. Eusebius porro Caesariensis jussu, ut testatur ipse, Constantinopolitanæ synodi, Marcelli librum confutavit, quem Marcellum in ipso sui operis exordio invidiæ ac livoris accusat his verbis: Ἡ ὑπέθεσις αὐτοῦ τῆς γραφῆς ἡ μισαδελφία κατέστη· τὸ δὲ ταύτης αἴτιον ζῆλος καὶ φθόνος. Ejus vero doctrinam multis nominibus culpavit. Verum, ut alias demonstratum est, detorta persæpe viri sententia, atque ad pravam opinionem vi ratiocinationis deducta, ut etiam testatur Julius Papa in epistola ad Orientales (e).

ANNO 336. — 1. *Athanasius Treviros concedit.* — Athanasius solum vertere coactus, Treviros exsiliū locum contendit: eo cum pervenisset, a beato Maximo tum episcopo perhumaniter exceptus est (f). Trevis versabatur item Constantinus junior; a quo pariter honorifice habitus, omnibusque ad victum honestumque cultum necessariis abunde instructus fuit. Ejus porro Treviros adventum cum viris doctis

conferimus in exordium anni 336, cujus temporis ratio pluribus inferius indaganda veniet.

2. *Arius Alexandria pulsus Constantinopolim se confert.* — Inter hæc Eusebiani nervos omnes industriæ contendebant, ut tantæ molis rem, Arii videlicet in Ecclesiam admittendi propositum, perficerent (g). Is Jerosolyma Alexandriam profectus erat, ut jussu synodi ad Catholicorum collectas accederet. Verum Alexandrini indigne ferentes impurum hominem Catholicorum sese rebus immiscere, effecti item nuntio antistitis sui artificis et fraudibus hæreticorum sede et patria pulsus, in sceleratum hominem commoti, turbas ac tumultus concitant, futurumque erat ut tota civitas seditione conflagraret, nisi Constantinus, postquam perversam Arii mentem compererat, eum rursus Constantinopolim evocasset, rationem motuum redditurum, quorum nec obscure auctor ille fuisset. Eusebius tamen quodam loco ait, rogatu suo, repugnante licet ac invito Alexandro, accitum Arium ab imperatore fuisse (h). Evocatum Arium Eusebius et assecræ, solitis artibus ac pro innata vafritie, curabant in Ecclesiæ Constantinopolitanæ conventus admitti. Quam rem ut imperatoris auctoritate conficere possent, de fidei formula Constantino offerenda una omnes prospiciunt, præcaventque ne quid in illa offensionis occurrat. Ingressum post hæc Arium interrogat imperator, num Ecclesiæ catholicæ teneat fidem. Ille, cui perinde erat ad perjurium atque ad mendacium accedere, se recte sentire juramento confirmat, ac libellum offert fidei, ubi occultato hæreseos veneno, Scripturæ voces dolose usurpabat. Tum imperator: Si sana, inquit, est fides tua, probe jurasti; sin impia, et tamen jurasti, de jurato Deus sumat pœnas. Dimisso ab imperatore Ario Eusebius et socii solita usi petulantia in ecclesiam aditum facere tentabant. Jacobus autem Nisibensis episcopus, pietate vir ac miraculis clarus, Catholicis auctor fuit ut tantæ calamitatis declinandæ causa preces ad Deum funderent. Obsistebat item Constantinopolitanus præsul, non debere aiens hæreseos auctorem, locum in ecclesia occupare. At Eusebiani, jactatis interminationibus, hæc impudenter fari: Ut repugnantibus licet vobis impetravimus evocari ab imperatore virum; ita die crastina, te licet invito, nobiscum Arius in hac ecclesia aderit conventui. Queis Alexander auditis, grandi mœnore perfusus, ingressus est in ecclesiam Irene cognominatam; supplicesque manus ad Deum tendens, collacrymans in vultum proeidit intra sacrarium; humique jacens, auditus a Macario presbytero est hæc mœstas effundere voces. Si Arius crastina die ad conventum accedet, me servum tuum ex hac luce dimitto, et ne sinas cum impio pium commisceri et una interire. Sin Ecclesiam miseraris tuam, et quidem miseraris, hoc

(a) Apolog. contra Arian. n. 29.

(b) Athan. ibid., n. 30.

(c) Athan. ibid., n. 40.

(d) Socrat. lib. 1, cap. 37; Sozom. lib. II, cap. 29.

(e) Athan. Apol. contra Arian. n. 32

(f) Athan. ibid., n. 87.

(g) Socrat. lib. 1, cap. 37; Sozom. lib. II, cap. 29.

(h) Athan. Epist. de morte Arii, n. 2.

*bene novi, animadvertite Eusebii et sociorum verba, et ne dederis in exitium et in opprobrium hæreditatem tuam, ac tolle Arium, ne ingrediente illo in ecclesiam, hæresis una introire videatur, neu deinceps impietas pietatis loco habeatur.*

5. *Mors Arii.* — Hæc Sabbato pomeridianis horis precabatur antistes, et sub hæc multum anxius digreditur. Ea vero ipsa hora, egressus imperiali palatio Arius (a), Eusebianis satellitum instar stipantibus, per civitatis medium magnifice incedens ac gestiens gaudio, futilia loquens, omnium in se movebat oculos. Cumque pervenisset ad forum Constantini dictum, quo in loco statua porphyretica posita erat, ut ait Socrates, conscientia scelerum exhorrescens, ad alvi exonerandæ necessitatem compulsus, percantatur num in proximo latrinæ. Cum pone Constantini forum esse didicisset, eo pergit; ac derepente animo deficit, et una cum excrementis dilabuntur intestina cum splene ac jecore; et, si Athanasii verba sunt ad litteram accipienda, crepuit ille medius velut alter Ischariotes; et ita multo vitam cum sanguine fudit. Cumque elapso quodam temporis spatio non regrederetur, qui foris hominem præstolabantur introgressi, extinctum in sella jacentem inveniunt. Ejusmodi fuit Arii exitus. Eo Eusebiani spectaculo pudefacti, sociique exitu perterriti, defuncti corpus humarunt. At beata vir memorix Alexander episcopus, lætis Catholicorum animis, accurrentibusque beneficii accepti causa fratribus, synaxin celebravit. Tum resonare omnia laudibus, et gratiarum actionibus celebrare omnes Dei providentiam, quæ tanta cura rebus prospicit ecclesiasticis; non quo gauderent de impii hominis interitu, sed quod ea res ex singulari Numinis providentia præter humanum usum accidisset. Latrinas porro illas ait Socrates longo post tempore superfuisse; sed Sozomenus (b) ita habet: Fertur porro diurno tempore neminem ea sella usum. Nam, cum multi pellente necessitate eum in locum confluerent, alii alios monebant ut eam declinarent sellam, in qua Arius impietatis pœnas dedisset; atque demum execrationi fuit locus. Aliquanto post Arianus quidam prædives et opulentus locum emit: et commutata priore ædificii forma domum illic excitavit, ut res paulatim in oblivionem veniret.

4. Postquam rumore nuntio evulgata mors Arii fuit, non una omnium fuit, ut evenire solet, de re tam insolenti opinio. Putarunt alii repentino morbo oppressum, aut ingenti lætitia, quod res cecidisset ex voto, occupatum interiisse; alii scelerum et impietatis pœnas luisse. Pars ante ejus factioni dediti, audito subitaneo casu, ab Arianis partibus desciscunt. Alii errorum retinentissimi maleficis artibus enectum clamitant. Constantinus accepto Arii interitu, eum ut perjurum habuit atque hæreticum, pro merito supplicio divinitus affectum; perniciesque

(a) Socrat. lib. 1, cap. 38; Sozom. lib. 11, cap. 30.

(b) Socrat. ibid.; Sozom. ibid.

(c) Lib. 1, cap. 13.

A hominis animos fecit, ut impensius veram doctrinam vindicaret, quia Nicænx fidei veritatem vi miraculi confirmatam intelligeret. Nec audiendus Rutinus (c), qui contra scriptorum omnium fidem et auctoritatem, narrat obitum Arii sub Constantio accidisse, aliaque iminiscet plurima vero aperte repugnantia.

5. *Antonius pro Athanasio scribit ad Constantinum.* — Cæterum defuncto Ario (d), nequaquam sedata controversia fuit de dogmatibus ejus oborta, neque sectatores ejus insidiarum finem fecerunt, nec attritæ res eorum ducis casu et exitu videbantur. Sane cum populus Alexandrinus precibus, clamore, conquestionibus de revocando Athanasio ageret assidue, magnusque Antonius frequens litteras mitteret ad imperatorem, quis malam fidem, malam mentem Meletianorum aperiebat, monebatque ne crederet nebulonum criminationibus; Alexandrinis Constantinus petulantiam et temeritatem exprobravit, clericis et virginibus ut quiescerent edixit, non posse aïens Athanasium revocari, seditiosum hominem et ecclesiastico judicio condemnatum. Antonio autem rescripsit, non licere sibi sententiam synodi despiciere: quamvis enim nonnulli aut odio aut gratia permoti in tali judicio fuissent, pari tamen modo affectam tantam prudentum proborumque episcoporum multitudinem credibile non esse; Athanasium hominem esse superbum, contumeliosum, ac discordiæ auctorem. Tantum præjudicata Constantini opinio valuit, tantum Eusebianorum machinæ potuerunt. Næ illi, gnari mire abhorrere imperatorem a controversiarum et motuum auctoribus, ejusmodi crimina opportuna scilicet rebus suis offerebant in Athanasium. Neque tamen omnino res cessit ex voto Arianorum. Nam cum Constantinus duas in partes distractam Ecclesiam Alexandrinam esse accepisset, et alios quidem Athanasium fovere, alios Joannem Meletianum; in Joannem juxta atque in Athanasium indignatus, hominem multavit exsilio; nec ipsi profuere Tyriæ synodi decreta, quibus fuerat ad ecclesiasticam communionem admissus.

6. Interdixit præterea Constantinus (e), ne extra ecclesiarum septa, aut privatim aut palam hæretici convenirent, sed jussit ut se Catholicorum jungerent cœtibus. Necdum enim Ariani in sectam aliquam ab aliis hæreticis distinctam loco scilicet et conventibus, abierant; sed exceptis Novatianis, Phrygibus, Valentinianis, Marcionitis et Paulianis, aliorum indiscriminatim hæreticorum conventibus intererant. Hæc scilicet Sozomenus, cui in hoc reclamat Alexander Alexandrinus supra p. Lxiv, ubi ait, Colluthianos atque eorum exemplo Arianos in separatis locis conventus agere. Ex prædicta imperatoris lege factum, ut earum hæresum memoria magna ex parte obliterata sit.

(d) Sozom. lib. 11, cap. 52.

(e) Sozom. ibid., cap. 33.



7. *Eusebius et Theognius fidei formulam edunt.* — A Constantius præ cæteris dilectus sibi filius adven-  
taret, testamentum obeunti patri adfuit. Nemo enim unus filiorum obeunti patri adfuit. Re sic con-  
stituta, exiguo interposito dierum spatio, vita fun-  
ctus est. Fertur in epistola Constantini junioris, id  
animi fuisse patri, ut Athanasium revocaret in se-  
dem suam, sed fato præoccupatum non potuisse  
optatum exsequi. Obiit ille die sancto Pentecostes,  
vicesima Maii coss. Feliciano et Titiano.

8. *Alexandri Constantinopolitani mors. Paulus in  
ejus locum subrogatur.* — Alexander interim episcopus  
Constantinopolitanus, neque ita multo post relegatum  
in Gallias Athanasium, totos tres supra viginti an-  
nos episcopali munere cum laude perfunctus, diem  
obiit extremum (a), annos natus nonaginta et octo.  
Ut ante Constantini obitum ejus mortem conferra-  
mus, suadet Athanasius, qui successorem ejus Pau-  
lum eodem imperante patrio solo ejectum narrat.  
Errat Theodoretus, ubi Eusebium dicit post mortem  
Alexandri eam sedem invasisse. Nec minus labi vi-  
dentur Socrates et Sozomenus, qui obitum ejus re-  
ferunt in Constantii imperium. Præstat sane Atha-  
nasio habere fidem, qui duobus post Alexandri de-  
cessum annis Constantinopoli agens, per moram et  
quietem intermissi itineris testis fuit iteratæ in  
Paulum criminationis, quam cæteris scriptoribus,  
qui post elapsam sæculum hæc conscripsere. In  
Alexandri ergo locum cooptatus Paulus fuit. Qui  
Alexander instante obitu rogantibus clericis, cui-  
nam deferenda sedes esset: Si virum, inquit, pie-  
tate et doctrina insignem quæritis, adest Paulus;  
sin hominem cum gerendis rebus peracrem, tum  
colloquendi cum iudicibus peritum, mavultis, com-  
modior Macedonius. Non intactum, neque dolis suis  
insidiisque expertem Paulum siverunt Ariani, vi-  
rum scilicet pietatis sibi et integræ fidei nomine  
perosum; sed, quæ expedita illis assuetaque erat  
perniciem machinandi via, crimina insonti offe-  
runt, ipsumque reum agunt apud imperatorem.  
Constantinus, iterum circumventus artificio vetera-  
torum, Paulum relegat in Pontum. At non diuturnum  
exsilium fuit. Defuncto namque Constantino,  
in sedem ut alii exsules reversus est.

ANNO 357. — 1. *Julius in Romanum pontificem  
deligitur. Mors Constantini.* — Anno 357 ineunte, Ju-  
lius in Romanum pontificem deligitur (b), cum post  
Marci pontificis ac Sylvestri successoris mortem se-  
des apostolica vacasset quatuor mensibus. Insignis  
idem annus fuit Constantini magni obitu; qui  
morbo laborans supremo, Nicomediæ Eusebii ma-  
nibus baptismo tingitur, ut jam vulgata eruditorum  
fert opinio. Inopportune cecidit in catholicæ rei  
grave detrimentum, ut testamentum suum traderet  
Ariano presbytero, quem supra meminimus a Con-  
stantia Augusta in fratris clientelam et gratiam  
evocatum; obstrictum jurejurando, ut simul ac

2. *Constantius cognatos trucidat.* — Defuncto  
Constantino, imperium Constantius cæde consan-  
guineorum est auspicatus. Nam sive clam jussi ab  
eo milites, sive suo motu et consilio, ut tutior  
Constantini filiis pateret ad regnum aditus, Con-  
stantio interea per dissimulationem ignorandi rem  
non ingratam sibi fieri concedente, Dalmatium  
Cæsarem, Annibalianum regem, Julium Constantium  
Constantini fratrem, cum alio item ejus fratre, cu-  
jus tacetur nomen, et quinque alios cognatos ob-  
truncant. Cæsi etiam sunt Optatus patricius et  
Ablavius prætorii præfectus. Quæ res magnam,  
uti par erat, invidiam ineunti imperium Constantio  
conflavit. Non perinde tamen in fratres iniquus,  
ambos, Constantinum scilicet et Constantem, in  
Pannonia convenit, ex æquo et hono imperium  
divisit, ut non potio rem ipse sibi sortem ascri-  
beret.

3. *Eusebiani Constantium ad suas partes alli-  
ciunt.* — Inter hæc (c) Eusebius Nicomediensis et  
Theognius Nicænus, assidui turbarum in Ecclesia  
auctores, opportunum, Constantino demortuo, tem-  
pus se nactos arbitrati, de voce *ὁμοούσιον* abie-  
ganda, inducendaque Arii doctrina solliciti, eo  
consilia omnia referunt, rei gerendæ administro  
usi presbytero, cui concreditum a Constantino tes-  
tamentum fuerat. Quod cum ille, ut jussus erat,  
Constantio obtulisset; hic ut optatum sibi a patre  
assignari Orientis imperium edidicit, presbyterum  
in pretio habuit et in honore, liberumque concessit  
ad imperatoriam domum aditum. Hac data facul-  
tate brevi ille, ut erat veterator homo, et ad con-  
ciliandam sibi gratiam compositus, imperatrici per-  
familiaris fuit, eunuchis item percharus et neces-  
situdine junctus, quorum ingens erat in Constantii  
palatio numerus juxta atque auctoritas. Et brevi,  
eunuchorum principe Eusebio imperatorii cubiculi  
præposito in Arii sententiam deducto, ejus deinceps  
opera tota caterva eandem doctrinam amplexa est.  
Imo vero ipsa Augusta, presbyteri et spadonum  
hortatu, Arii sese partibus adjunxit. Ad cæteros  
aulicos mahm pervasit, atque ex palatio delatum  
in urbem, exinde per totum Orientem emanavit et  
late pervagatum est: dum interea occidentales re-  
giones hujusmodi peste vacuæ et liberæ essent.  
Constantium item sæpe familiariter allocutus Aria-  
norum ille administer, ubi ejus animum versati-

(a) Socrat. lib. 11, cap. 6; Sozom. lib. 11, cap. 6;  
Theod. lib. 1, cap. 49.

(b) Socrat. lib. 1, cap. 30; Sozom. lib. 11,

cap. 34.

(c) Socrat. lib. 11, cap. 2; Sozom. lib. 11,  
cap. 1; Theod. lib. 11, cap. 2.

lem levissimumque deprehendit, ad Arianorum patrociniū suscipiendum pellicere tentat, deplorat tempestates quibus essent Ecclesiæ agitate, tantæ cladis auctores ementitur eos [qui inveissent τὸ ὁμοούσιον : eam esse discordiarum et factionum occasionem, eam æternum retineri ansam omnium controversiarum. Hinc in Athanasium reliquosque frugi præules tantam invidiam derivare conatur. Hunc nacti fautorem Eusebius, Theognius, et Theodorus Heracleotes, cum, utpote vicini, frequentes imperatorem convenirent, Athanasio reditum intercludere moliebantur, quo possent in ejus locum Arianorum aliquem intrudere. At consilium eorum prævertit et disturbavit Athanasius. Cum enim tres Augusti una convenissent in Pannonia, isthic de exsulum reditu actum; unusque fuit omnium animus, ut remigrarent omnes in sedem patriamque suam.

ANNO 338. — 1. *Athanasii reditus.* — Quare Constantinus, cui Galliæ sorte obvenerant, eodem reversus (a), cum Treviris moraretur, Athanasium remisit Alexandriam, datis ad populum Alexandrinum litteris, quæ virum summis exornat laudibus: atque ideo a Constantino patre sede pulsum, quod periculum esset ne inimicorum insidiis interceptus periret; in animo fuisse patri virum remittere in ecclesiam suam, sed fato præoccupatum quod in optatis erat exsequi non potuisse. Data fuit epistola Treviris die xvii Junii anno, ut putamus, 338.

2. Non desunt tamen qui ad annum 337, his de causis referant. Primo, quod Constantinus junior Cæsaris solum nomen in ea epistola usurpet, Augusti accepturus, si ad annum 338 illa pertineret. Nam Augustus promulgatus est anno 357, mense Septembri. Ad hæc, aiunt, si annus erat 338, jam illi sua imperii portio obvenerat, nec quidpiam in Alexandriis, in Constantii ditione sitos, obtinebat auctoritatis, ut exsulem Alexandriam posset remittere. Verum hæc argumenta non tanti sunt, ut apertis Athanasii, Epiphaniæ ac Theodoretæ testimoniis prævalere debeant. Aiunt namque duo priores, ex trium fratrum sententia revocatos exsules fuisse. Cum autem Constantinus Nicomediæ obierit anno 337, vicesima die Maii, vix potuit decima septima Junii ejusdem anni mortis Constantini nuntius ad Treviros pervenire; multoque minus potuere tres Augusti, tanto terrarum intervallo dissiti, de revocandis exsulis una egisse. Ad hæc, narrat Theodoretus Athanasium duos annos et quatuor menses Treviris moratum. Ex quo conficitur non remigrasse Alexandriam ante annum 338. Quod autem objiciunt Constantinum juniorem, si anno 338 eam scripsisset epistolam, Augusti nomen usurpaturum, non est, ut arbitror, tanti ponderis. Neque enim Augusti nomen in epi-

stolis Augustorum semper comparet, neque etiam Cæsaris nomen semper abest. Sic in epistola Maximi Augusti apud Eusebium hæc inscriptio legitur, *Αὐτοκράτωρ Καίσαρ Μαξιμῖνος*. Et Constantinus in epistola quæ apud Theodoretum exstat, l. 1, c. 17, nec Augusti, nec Cæsaris, nec imperatoris nomen assumit. Reliqua nullius momenti quæ obijciuntur consulto omittimus.

3. Accepta Athanasius redeundi venia (b), Alexandriam contendens, Viminiaco transiit, ac ibi in Constantii conspectum venit; et qua erat animi temperantia nihil in malam partem de Eusebio et sociis exsili sui auctoribus loetus est. Inde Constantinopolim contendit, et istic aliquantisper commoratus, criminationi per Macedonium Paulo episcopo intentatæ interfuit. Si quidem Paulus decreti Augustorum beneficio post Constantini obitum sedem repetierat: nec diu viro catholicæ opinionis licuit in pace versari. In proximo namque erat Eusebius Nicomediensis, impotens cupidine Constantinopolitanæ sedis invadendæ, qui Macedonio presbytero usus calumniæ artifice, virum accusari et deferri curavit. Tacent autem ecclesiastici scriptores quæ fuerit illa criminatio, atque solum Theodoretus Paulum seditionis aliorumque criminum accusatum. Unum exploratum est, ex Eusebii ambitione natam fuisse calumniam. Attamen tum temporis intermissa causa est, compositisque rebus, Macedonius cum episcopo reconciliata gratia inter presbyteros ejus annumerabatur, donec redintegratum crimen esset. Qua de re alius nobis locus ad dicendum est constitutus.

4. Athanasius vero (c), post aliquam ut videtur moram, Constantinopoli profectus, per Cappadociam pergens Alexandriam, Cæsareæ Constantium iterum offendit; ipsumque allocutus, nihil durum, nihil asperum effert in Eusebium et assecas sibi semper infensissimos. Inde vero per Syriam, vertente, ut putamus, anno 338, Alexandriam pervenit. Reducem Athanasium ingenti lætitia excipiunt Alexandrini (d), accurrere omnes, magna vis populi confluere, laudibus cuncta resonare, gestire universos sancti præsulis videndi cupidine. Maxima vero fuit ministrorum clericorumque jubilatio, qui eam exinde diem inter faustissimas computabant, Ægyptii autem episcopi, qui exsule Athanasio pulsos se cum illo æstimabant, regresso illo rebantur patrium sibi solum restitui.

ANNO 339. — 1. *Eusebii nova moliantur in Athanasium.* — Verum Eusebii et sociorum livor, æternumque in Athanasium odium diuturnitati pacis atque lætitiæ obfuit. Vixdiu enim sedem suam repetierat, cum illi nova ineunt deturbandi viri consilia (e), veriti, ait Rufinus, ne si quando Constantium libere alloqueretur, veræ fidei amplectendæ, Arianaque repudiandæ ipsi auctor esset. Nec mora,

(a) Athan. *Apol. contra Arian.*, n. 87.

(b) Athan. *Apol. ad Constant.*, n. 5.

(c) *Ibid.*

(d) *Apol. contra Arian.*, n. 7.

(e) Socrat. lib. II, cap. 3; Sozom. lib. III, cap. 2.

novas illi calumnias struunt, veteres redintegrant, solitam fingendi artem exercent. Primo criminantur ingressum Athanasium Alexandriam, seditionum, cædium, exsiliorum auctorem fuisse. Monumenta publica proferebant in testimonium, et sententias in reos latis. At quod solebat conjuratis et mala machinantibus occurrere, jam accidit imprudentibus, ut secum scilicet ipsi pugnarent. Nam quæ reverso Athanasio illi gesta fuisse jaclitabant, ex ipsis actis palam erat contigisse nondum regresso Athanasio, cum in Syria esset, iterque faceret in patriam. In crimen vocabant quod damnatus et dejectus a synodo, suoque nutu et sententia sedem petiisset, non expectato synodi alterius iudicio. Inveteratas illas refricabant criminationes, de calice fracto et de enecto Arsenio, etsi depulsæ et explensæ illæ nec sine grandi sycophantarum infamia fuerant. Impudenter mentiebantur frumentum a Constantino alendis viduis erogatum, ab Athanasio in propriam diverti rem. Et erat illud veteratorum consilium, ut ejusmodi frumentum in Arianorum usum cederet. His permotus Constantius, ad quem perfacilis erat consceleratis aditus, litteris Athanasium querelarum plenissimis insectatur, ita nimirum Eusebianis opportunus, ut necdum explorata rei veritate, fidem dictis eorum haberet. Hæc non Constantio solum, sed et fratribus ejus Augustis denuntiabant seditiosi homines: quibus tamen non ita facile erat verba dare, præsertim Eusebianis, quorum animus perspectus ipsis erat. Athanasius vero missis ad Constantium litteris oblatas sibi criminationes propulsavit. Sed frustra cessisse conatus ex rebus postea gestis palam est, Constantio scilicet hæc occupato querelis assiduè atque criminationibus Eusebianorum, ut nullæ paterent purgantem se viæ veri suadendi.

2. *Eusebius, pulso Paulo, Constantinopolitanam sedem invadit.* — Antequam erumperet in Athanasium Eusebianorum furor (a), Eusebius cupiditate semper flagrans imperatoris urbis sedem episcopalem invadendi, iustam proximo anno in Paulum Constantinopolitanam criminationem per Macedonium redintegrari curavit. Et tum quidem, cessante actione, Macedonius Paulo subditus, reconciliata gratia pacem colebat. At Eusebius, qui episcopalem dignitatem amplitudine civitatum metuebatur, sperabat se, si regis urbis ecclesiam occuparet, magis magisque officia posse et obsequio imperatorem demereri. Moræ igitur impatiens Paulum defert ad imperatorem, et qua erat veteratoris artis peritia, ejus animum exasperat in optimum antistitem. Jussu ergo imperatoris acciti episcopi, plerique omnes Ariani, synodum Constantinopoli celebrant. Ibi Paulus ad Eusebii libidine et arbitrium damnatus, depositusque est; et, qui unus erat confictæ conspirationis scopus, Eusebius in ejus locum promotus. Id gestum arbitramur anno

(a) *Historia Arianorum ad monachos*, n. 7.

(b) *Sozom. lib. III, cap. 5.*

A 339. Socrates autem perperam Alexandri Constantinopolitani obitum, et quæ illum subsequuta sunt, post Constantini junioris mortem enarrat, sed præpostere, ut nemo peritus non videat. Eusebius optatum assecutus (b), imperatorisque amicitia et gratia fultus, tandiu meditatam consilium de recipiendis in Ecclesiam Arianis palam exsequi et implere decrevit. Et cum eo tempore Antiochiam peteret Constantius, isthuc cum eo Eusebius et socii sunt profecti: nec jam artibus solitis, occultisque insidiis usi sunt in Catholicorum perniciem; sed aperte causam Arianorum ut suam agere cœperunt.

3. *Eusebiani Pistum deligunt in Alexandrinum episcopum.* — Coacti igitur Antiochiæ, Pistum Arianum presbyterum ab Alexandro olim abdicatum, in Athanasii locum episcopum constituunt Alexandrinum. Hoc exordium fuit malorum et origo calamitatum tumultuumque, qui haud ita multo post eam civitatem invaserunt. Missis autem Eusebiani Alexandriam ad Arianos diaconis, quæ rem communem gerent, tum aperte cœperunt cum Arianis adjungi, nec puduit damnatos a synodo lucifugas in communionis societatem admittere: diaconi autem Alexandriam missi cum solis Arianis conventus agebant. Eusebius ipse Arii opinionem ut sanam et orthodoxam ubique prædicabat, commendabat litteris, fovebat pro viribus. Sub hæc idem Eusebius cum quibusdam sociis oratores cum litteris ad Julium papam mittit, Macarium presbyterum, Martyrium et Hesychium diaconos; erantque litteræ adversus Athanasium, Marcellum et Asclepam conscriptæ. Legatis jussu, ut Pisti causam cum Julio agerent, auctoresque illi essent ut litteras daret pacificas ad *ψευδοπίσκοπον* illum transmittendas. Legationis qui fuerit exitus, mox enarrabimus.

4. Hoc ci reter anno excessisse vita putamus Eusebium Cæsariensem, virum eruditione scriptisque suis quam fide et probitate insigniorem: cujus in locum subrogatur Acacius ejus discipulus, qui magistrum impietate facile superavit.

ANNO 340. — 1. *Synodus Alexandrina.* — Non fugiebant Athanasium tanta Eusebii et sociorum molimina in perniciem Ecclesiæ comparata. Et prospiciens quod illud foret periculum (c), hæreticum hominem in episcopum cooptari, synodum Alexandriæ convocat. Eo confluunt ex Ægypto, Libya, et Pentapoli episcopi prope centum. Actum de instantibus negotiis, deque periculo mox futuri Alexandrinæ Ecclesiæ discidii. Omnium calculo et suffragio epistola ad omnes ubique terrarum episcopos mittitur; qua orsi ab inveterato Eusebianorum in Athanasium odio, oblata olim viro crimina recensent, negant vera esse quæcunque eorum opera et arte evulgata fuissent; et tamen virum insonantem patrio solo et Ecclesiæ ejectionem acerbeque vexatum, vixdum repetita sede, novis alienisque impet criminationibus. Aiunt cædes, seditiones, exsilia in-

(c) *Athau. Apol. contra Arian.*, n. 3.

putari, quorum nedum auctor ipse occasiove fuisset, ne redux quidem, quando istiusmodi gesta sunt, erat; sed adhuc procul patria in Syria versabatur: negotiaque huiusmodi vel Ecclesiam, vel Athanasium nullatenus spectasse. In eorum fidem acta ipsa et sententias iudicum se attexere epistolæ. Multa deinceps enarrant, quæ jam a nobis suis sunt recensita locis, purgantque Athanasium a criminationibus adversariorum, carpunt Eusebii ambitum et cupidinem maguarum occupandarum civitatum. Mirari se a viro, qui jamdiu et jure quidem abdicatus fuisset, objici Athanasio illam portentosam et contra jus fasque Tyri editam abdicationem. Falso jactare illos, redeuntem Athanasium ægre et indignante populo cleroque Alexandrino admissum, quando contra, omnium votis, lætitia, plausu exceptum nemini non exploratum esset; tanta cupidine viri perniciem expetere, ut contra quam perspectum sibi et Alexandrinis esset, illum apud imperatorem de conversa in rem propriam annona publica detulissent. Monent demum universos, Eusebium et socios posita larva cum Arianis palam societate et communione junctos, iisdem interesse cœtibus ecclesiasticis, atque Arianum episcopum Alexandrinis dedisse, novam hæresim ubique commendare celebrareque. Rogant præsules omnes, ut ne Eusebianis, si quid rescriberent contra Athanasium, fidem habeant, etiamsi litteræ Ægyptiorum complurium episcoporum nomen præferant: esse quippe ejusmodi nomina et suffragia Meletianorum schismaticorum, qui viros in dies tanto gradu perquam indignos ad sacerdotium promoverent.

2. Synodum porro Alexandrinam ideo non ante annum 340, celebratam arbitramur, quia non minore spatio temporis geri videntur potuisse, quæ ab reditu Athanasii ad eam usque synodum gesta sunt. Athanasius enim sub finem Junii mensis anno 338 Treviris profectus, cum per Germaniam, Pannoniam, Mœsiam et Thraciam Constantinopolim; indeque per Asiam, Bithyniam, Cappadociam, Syriam, Palestinam in Ægyptum reversus sit, non nisi vertente eodem anno, tanto nimirum itineris emenso spatio, potuit Alexandriam pervenire. Exinde vero Eusebiani nova in eum commentiti crimina undique pervulgarunt, imo ad tres miserunt Augustos. Quo factum ut litteras Constantius ad Athanasium miserit querelarum plenissimas. Accedit Antiochenum Constantii et Eusebianorum iter, et synodus istic celebrata, in qua Pistus deligitur, legati cum litteris mittuntur Romam. Quas litteras sibi transmissas, et quidem, ut videtur, Roma, innuunt episcopi Ægyptii. Sub hæc, celebratæ synodi Antiochenæ accepto nuntio, Ægyptii Alexandria synodum habuere. Vix autem possunt isthæc omnia intra anni 339 spatium circumscribi. Ad hæc in epistola quadam Athanasii anno 341 conscri-

pta (a) dicitur, fratres sive legatos suos πέποισι, id est, anno proxime elapso 340, synodum Romæ postulasse: probabilique conjectura possunt synodus et ejus legatio in annum eundem conferri.

3. Legati Athanasii cum Eusebianis congregiuntur. — Hoc igitur, ut putamus, anno, missi sunt ab Athanasio et a synodo Alexandrina presbyteri, qui epistolam illam synodicam Julio offerrent, ac Eusebii legatorum postulatis obniterentur. Macarius siquidem presbyter, Martyrius et Hesychius diaconi oratores ab Eusebio missi, Romam, ut dictum est, commigrarunt; traditisque Julio litteris significarunt admissos ab Eusebianis ad communionem fuisse Arianos, auctoresque ipsi erant ut gratiæ pacisque ineundæ causa litteras daret ad Pistum Arianum ab Eusebianis delectum. Julio item tradunt monumenta et acta Mareotica, quæ ad Athanasium ille transmisit. Multa certe, dum Alexandrini legati accederent, moliebantur illi in Athanasium, nulla non mala prædicabant; nihil contra officii prætermittebant ad gratiam Arianis conciliandam. Accedentibus autem Athanasii legatis, perterriti inopinato adventu, ac supra fidem animo fracti sunt, ut etiam legationis princeps Macarius, corpore licet æger, noctu se proriperet, propediem futurum non ferens pudorem: quando Pistum, cujus ille causam agebat, legatorum Athanasii testimonio, non Arianum modo, sed a Secundo per Nicænam synodum abdicato ordinatum fuisse, comprobandum fore prospiciebat. Martyrius autem et Hesychius coram legatis Athanasii constituti, oblati de more criminibus et maledictis, ita probe naviterque confutati et repulsi sunt, ut inopes consilii eo demum confugerent, ut synodum indici rogarent, in qua polliciti sunt omnia se Athanasio oblata crimina comprobaturos. Id cum efflagitarent etiam Athanasii legati, edixit Julius ut utriusque arbitrio partis locus assignaretur, ubi possent res accuratius expendi. His perlatis ad Eusebianos, ubi subodorantur, Julii auctoritate celebrandam synodum æqui ac boni studiosam fore, in qua nihil favori aut gratiæ concederetur, abnuunt Julio gerere morem. Athanasius contra conditionem accipit. Nec tempus itaque nec locus futuræ synodi assignatus a Julio fuit, sed res est partium arbitrio permessa. Alii porro per orbem episcopi, quibus tradita est Alexandrinæ synodi epistola, Pistum impietatis causa damnarunt anathemate, et abdicarunt ut hæreticum.

4. Athanasius libros Scripturæ sacræ mittit ad Constantem. — Per idem fere tempus Constans Augustus litteris Athanasium rogat (b), uti curet sibi litterarum sacrarum libros in usum commodos aduari, quia scilicet Ægyptia gens iis exarandis et compingendis solertior cæteris esset. Quod ille haud indiligenter exsecutus, confectos libros ad

(a) Athan. *Epist. encyclica.*

(b) Athan. *Apol. ad Constant.*, n. 4.

Constantem transmisit. Neque audiendi qui arbitrantur *πυρία* illa, ut vocat Athanasius, esse synopsis Scripturæ sacræ, ut pluribus alias ostensum est.

*Constantinus junior obit.* — Hoc anno diem obit Constantinus junior Augustus, qui cum bellum moveret in Constantem fratrem, ab hujus exercitu oppressus cæsusque est, cons. Acyndino et Proclo. Post hujus necem Constanti accessit Gallia et Hispania, cæteræque trans Alpes sitæ regiones.

Anno 344.—1. *Synodus Antiochena. Eusebius Emisenus episcopus Alexandrinus constituitur: negat subire munus.* — Eusebiani cum conciliandi sibi Julii pontificis præcisam spem intelligerent, multosque cererent præules a partibus suis desciscere, ad Constantii patrocinium confugiunt (a). Commodum illis accidit ut basilica aurea, cujus fundamenta Antiochiæ posuerat Constantinus pater, absolute demum cura Constantii ædificio, solemnî ritu dedicanda foret. Ad cujus eucænia majoris celebritatis causa evocat Constantius ex Oriente magnam vim episcoporum. Anno igitur ineunte 344, cons. Marcellinæ et Probino, indictione decima quarta, confluent Antiochiam episcopi xcvii, vel, ut habet Athanasius, xc. Horum principes erant Eusebius Constantinopolitanus, Theognius Nicænus, Flacillus Antiochenus, Theodorus Perinthius, Narcissus Neroniadis, Macedonius Mopsuestenus, Maris Chalcedonensis, Acacius Cæsariensis, Patrophilus Scythopolitanus, Eudoxius Germanicæ in Syria, Georgius Laodicænus, Theophronius Tyanensis. Aderant etiam quidam frugi et catholici viri. Nec defuere tamen qui tali conventui interesse detrectarent; ex quorum numero Macarius Jerosolymitanus, qui semel circumventus Eusebianorum fraudibus, caute jam eorum frequentiam declinabat. Sed neque Julius quemquam misit qui vices impletet suas; cum tamen, ut ait Socrates (b), ecclesiastica regula vetet, ne absque nutu Romani pontificis quidpiam in Ecclesia decernatur. Aderat item synodo Constantius quotidianis querimoniis in Athanasium exasperatus, qui vi et auctoritate sua omnia in gratiam Eusebianorum moderaretur. Tum redintegratæ calumniæ, repetita crimina sunt; nimirum quod abdicatus Athanasius episcopalem sedem, non expectata synodi cujuscumque sententia, suo arbitrio repetisset; quod sub ingressum ejus excitato tumultu, multi in seditione extincti, alii verberibus ab eo excepti, in jus vocati alii fuissent. Oblatæ demum olim inveteratæ illæ, nec sine delatorum infamia olim repudiatæ criminationes, de Arsenio obtruncato et de fracto calice. Quibus allatis in medium, de successore in Athanasii locum deligendo confestim actum. Pudebat enim cooptati Pisci, omnium calculo episcoporum damnati, nec a quopiam

A veri loco præsulis habitî. Quamobrem allo convertunt studia. Erat tum Antiochiæ vir nobilis quidem et egregie eruditus, sed Ariana labe infectus, Eusebius cognomento Emisenus (c); qui Edessa oriundus, et a puero sacris litteris institutus, Græcæ postea disciplinas a magistro quodam tum Edessæ degenti edoctus est, ac demum Patrophilo et Eusebio Cæsariensi doctoribus sacrarum interpretationem litterarum edidicit. Sub hæc Antiochiam cum venisset, Eustathio tunc Arianorum insidiis abdicato, societatem inivit Eusebius cum Euphronio ejus successore. Inde vero sacerdotii vitandi causa Alexandriam se proripuit, atque istic philosophiæ dedit operam. Hinc reversus Antiochiam, cum Flacillo Euphronii successore versatur quam familiariter. Atque istic morabatur, quando ipsi ab Eusebio Constantinopolitano sedes Alexandrina defertur. Verum ille, cui perspectus erat Alexandrinorum erga Athanasium amor, negat id muneris se subire posse: quare in episcopum Emesæ in Phœnicia cooptatur. Emiseni adventantem ut episcopalem occuparet sedem conviciis onerant et maledictis, quod esset ille astrologiæ, quam apotelesmaticen vocant, periculosam admodum disciplinam, deditissimus. Ita pulsus ad Georgium Laodicenum confugit, qui Georgium curavit a Flacillo et Narcisso Emesam reduci.

2. *Gregorio munus defertur.* — Abnuente Eusebio, defertur episcopatus Alexandrinus Gregorio Cappadoci (d). Qui olim Alexandriæ litteris addiscendis dederat operam, comiterque ab Athanasio ac perhumaniter exceptus, atque filii et amici loco habitus, immemor officii, fabulæ cæsi Arsenii evulgandæ operam suam locarat. Ejusmodi hominem, postquam oblatæ fidei formulæ nomen et suffragium dedisset, Alexandriam mittunt episcopum, militari manu stipatum, viæ comitibus datis Philagrio præfecto et Arsacio eunucho, qui vi Alexandrinis illata, viam ipsi munirent ad episcopalem sedem.

3. *Antonius Paulum adiit.* — Ut fertur in Hieronymi *Chronico* et *Historia*, hoc anno, Antonius Magnus, monachorum Pater, divino monitus oraculo, interiorum petit eremum, invisurus Paulum (e), qui ab ineunte adolescentia in cellula reclusus, hominibusque ignotus ad provectam usque ætatem, tantam coluit solitudinem, nemini ut notus esset. Instante obitu Paulus rogat Antonium, ut monasterium repetat, quæsiturus pallium dono ipsi ab Athanasio datum, quo sui defuncti corpus obvolveret. Quod eo ille animo efflagitavit, ut absentis mortem moderatius ferret Antonius, et una ut se communionem Athanasio ad mortem usque conjunctum præsteretur. Quæ ille omnia divino illustratus numine acceperat, nullum, uti diximus, a tenebris annis hominum allocutus.

(a) Socrat. lib. 1, cap. 8; Sozom. lib. iii, cap. 5.

(b) Lib. ii, cap. 48.

(c) Socrat. *ibid.*, cap. 9; Sozom. lib. iii, cap. 6.

(d) Socrat. *ibid.*, cap. 10.

(e) Hieronymus in *Chronico*, et in *Vita sancti Pauli*.

4. *Fidei formulæ Antiochiæ editæ.* — Interea Eusebius et socii (a), misso Alexandriam Gregorio, qui Athanasium inuictum τοῦ ὁμοουσίου vindicem, sede, patria, vita, si posset, exueret, de eodem ὁμοουσίου abrogando deliberant. Quare fidei formulam edunt, qua se profitentur non Arii sequaces esse; sed ita sentire, ut sua, quam edunt, fidei formula effert. In ea autem tacetur invisum illud τοῦ ὁμοουσίου vocabulum. Sed quasi non esset illa ad fidem suam declarandam satis, aliam proferunt prolixiorem, in qua pariter misso ὁμοουσίου vocabulo, suspiciosissimam clausulam adjiciunt, dum aiunt, *Filium non esse creaturam velut unam e: creaturis*, errorem ita suam ambiguitate verborum contegentes: quam fidei professionem Ariani nominis et commendationis causa Luciano martyri ascripsere. Verum, ut habet auctor *Dialogorum de Trinitate* (b), Luciani confessionem multis laciniis hæretici interpolaverunt. Tertiam breviorē protulit Theophronius episcopus Tyanensis, in qua, præter τοῦ ὁμοουσίου, omissionem nihil culpandum occurrit. Exstant præterea in Collectionibus canonum cum editis, tum manuscriptis, xxv canones Antiochenæ synodi, de quibus multæ nostro ævo controversiæ a doctis viris editæ; quo mittimus lectorem, ne, quam institutum ferat, longiores sinus.

5. *Gregorii invasio truculenta.* — Gregorius autem, Philagrio et Arsacio comitibus, cum Alexandriam adventaret (c), populum Alexandrinum alta pace fruentem invenit, atque conventibus Athanasii de more vacantem. Tranquilla omnia, cum in urbe, tum in regione; summa pax episcoporum Ægypti, Thebaidis, et Libyæ cum Athanasio, mutuis officiis, mutuo amore culta cum repente præfectus Ægypti ceu bellicum canere cœpit, edicto denuntians Gregorium Cappadocem, in locum Athanasii episcopum Alexandrinum mitti, et in comitatu esse. His auditis, populi insolentia rei permoti in ecclesias accurere, atque collectas frequentare. At ubi animadvertunt novum episcopum cum solis Arianis versari, ingenti clamore obtestantur iudices, magistratus, universam urbem, contra jus fasque rem agi, non accusatum legitime Athanasium deturbari; si quod crimen erat, oportuisse secundum leges ecclesiasticas rem inquiri et pœnas exposci, neque repente vi atque patrocinio magistratuum, vero episcopo pulso, ecclesiam invadere. Vel ipsis ethnicis dari male suspicandi causam ac æstimandi, non ex legum ecclesiasticarum præscripto, sed undinatione et favore episcopos creari. At frustra fuit populi clamor: ingrediente namque Gregorio ut animadvertit Philagrius catholicam plebem tanto amore ac studio Athanasium amplecti, tam frequentem conventibus ejus interesse, coacta ethnicorum, Judæorum, opilionum, aliorumque forensium et petulantium juvenum caterva, multa pollicitus si rem strenue gererent, eos confertim in

ecclesias immittit. Qui promissis Philagrii concitati, irrumpunt in ecclesias: atque in ea potissimum, quæ Cyrini vocabatur, vix enarranta perperant flagitia. Incenditur ecclesia, sacrumque pariter baptisterium. Hinc luctus, ejulatus, et clamor populi rem indigne ferentis, ac contestantis vim inferri sibi ab impio præfecto. Scelesti autem illi, ceu furibundi et amentes, virgines sacras nudare, cædere, obsistentes in periculum mortis conjicere, monachos in terram decussos calcantium impetu extinguere; alios sustibus ferire, vulnerare, occidere.

6. In sacram autem mensam flagitia omnium impiissima admissa. Aves enim atrobilosque, seu pineas nuces, numinibus immolabant gentilium, laudes in deorum honorem, maledicta in Christum proferentes. Sacri libri, si qui obvii fuere, in ignem coniecti et combusti sunt. Imo mysteria, de quibus violatis Macarium accusarant Meletiani, ab ethnicis raptâ humique projecta sunt. Tum Judæi atque ethnici in baptisterii adhuc conflantis septum ingressi, ac sese nudantes, obscena vociferabantur in sacri loci contumeliam. Nec defuere in tam impia turba qui tyrannos imitati, virgines honestasque matronas manibus pertractas raptatasque, cogere blasphemata dicta in Christum proferre, abnuentes vero cæderent impeterentque calcibus.

7. *Athanasius se fuga proripit.* — Tum Gregorius in rerum præclare gestarum mercedem, Judæis, ethnicis et aliis ecclesiam tradit in prædam. Concessa hac inique ac petulanter agendi licentia, quæ ex inde consecuta sunt, bello erant pejora et latrocinio crudeliora; ita ut alii obvia quæque diriperent; alii quorundam deposita inter se dividerent; grandem vini copiam illic repertam aut ebiberent, aut effunderent, aut asportarent; oleum reconditum auferrent; januas et cancellos ceu spolia singuli raperent; candelabra ecclesiæ ad parietem reclinarent; cereos idolis suis accenderent. Uno verbo, nihil nisi vastitas in ecclesia et plurima mortis imago. Atrociora post hæc videre erat; carnifices enim illi presbyteros et laicos plagis lacerare, virgines detracto maforte, seu sacro velamine, ad tribunal ducis pertrahere, et in carcerem conjicere, alios proscribere et flagellis cædere, panes ministrorum ac virginum intervertere. Hæc autem in sancta quadragesima prope festum Paschalis gesta sunt. Sub hæc, in ipsa Parasceve Gregorius in unam ecclesiarum cum duce et ethnicis ingressus, ut populos violentum ipsius introitum aversari animadvertit, auctor duci fuit ut hora una triginta quatuor cum nobiles viri, tum virgines et matronæ, flagris publice cæsi in carcerem conjicerentur. Virginem vero aliquam lectionis studiosam, cui psalterium præ manibus, palam verberari jussit. Demum liber raptus a carnificibus, virgo autem in carcerem reclusa est. His peractis, in aliam ecclesiam;

(a) Socrat. lib. II, cap. 10.

(b) Athan. tom. II [IV], *Dialog. III de Trinit.*

.i. 4; Sozom. lib. III, cap. 5.

(c) Athan. *Epist. encyclica*, n. 2, 3.

ubi solebat Athanasius iis diebus agere, impetu A forantur, eo consilio ut antistitem nec opinantem confoderent. Verum expulatio in Cyrino facta Athanasio saluti fuisse videtur. Nam ubi accepisset quanta illi et quam indigna perpetrarent, ad primum nuntium, necdum confecto in alia ecclesia latrocínio, populis se subduxit, maturavitque ab urbe proficisci, cavens mala non sibi solum, sed plebi, virginibus, ecclesie mox inferenda, nec sine cælium discrimine; tanto nimirum erant furore correpti. Memor itaque Dominici præcepti: *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam*<sup>b</sup>, carnificibus se subduxit. Eam Alexandrinæ Ecclesie calamitatem duobus ante annis futuram prospexerat Antonius monachorum pater (a). Dum enim sedens labori manuum vacaret, derepente extra se raptus contremiscens ac gemens in genua procumbit, et diu precando perseverat, stupentibus omnibus qui aderant. Surgens demum lacrymis perfusus, rogatur a fratribus quæ causa tantæ commotionis, tantorum fletuum esset. Cunctatus ille, demum rogantibus respondet: Vidisse se mensam Dominici sive ecclesie multis undique circumsessam, qui ejus interiora calcibus vehementer impeterent; audisseque vocem dicentem, *Altare meum polluetur*. Addidit autem Antonius, non diuturnam fore calamitatem, sed ecclesiam ad pristinum statum ornatumque cito redituram.

8. Tanta porro erat Gregorius impietate, tanta immanitate, ut ne ipsa quidem Dominica Paschatis die abstineret a sceleribus et a calamitatibus inferendis: diemque ille resurrectione Domini, et redemptione generis humani faustissimam, conjectis in carcerem catholicis viris, in luctum vertit. Ecclesias igitur dux vi atque impetu occupavit, occupatas Arianis tradidit; ut qui jam olim fuissent impietatis causa pulsus, tunc ecclesiarum invasione gloriarentur: ac si qui vel laici, vel clerici a communionem hæreticorum abhorrent, ii introitu arcebantur ecclesiarum. In naucleros usque cæterosque furor convertitur: nam præfecti iussu, cruciatibus, verberibus, vinculis, carcereque compulsus litteras Arianorum deferendas accipere. Nec inferior patronis ac vindicibus suis arte fingendi Gregorius erat. Ut enim elapso manibus suis Athanasio perniciem inferret, acta et monumenta conscribi curat, tot criminibus et accusationibus referata, ut nonnisi capitalis supplicii pœna lui possent: usus hac in re ministerio cujusdam ethnici scribæ numinum cultoris, transfugæque a religione Christiana. Qui autem nomen et suffragium ascripsere, ethnici erant, idolorum æditul, ac cum ipsis Ariani. Ne immani quidem illa tyrannorum tempestate, tanta crudelitate in Christianos sævitum est. Tunc enim, ait Athanasius, saltem qui se proripuera,

orare, et qui latitabat, baptizari poterat: nunc autem immanissimi viri Babyloniorum impietatem sunt æmulati. Quemadmodum enim illi Danielem, sic præclarus Gregorius eos, qui domi orant, defert ad præfectum, ac ministros Ecclesie cum ingenti contumelia observat; ita ut ejusmodi violentiæ multi nondum baptizati in discrimen salutis veniant; alii vero quamplurimi morbo laborantes, omnium ministrorum aditu et obsequio interclusi, lacrymis vicem suam deplorent, eamque calamitatem vel morbo ipso duriozem existiment. Dum enim Ecclesie ministri contumeliis et injuriis lacessuntur, populi, qui hæreticorum impietatem execrantur, malunt ita ægrotare ac periclitari, quam ut Arianorum manus capiti suo imponatur.

B 9. Athanasius scribit encyclicam epistolam. Romam transmittit. — Hæc Athanasius; qui postquam sese fuga proripuisset, quo loci statim se receperit incertum. Constat (b) illum propter urbem aliquot dierum spatio cum quibusdam fratribus commoratum, ut res quorsum evaderent occultis nuntiis acciperet. Tum litteris ad omnes ubique terrarum episcopos, missis tabellariis, significat res a Gregorio et sociis gestas, quo ferme ordine nos ante narravimus. Communem agi rem ait, et rogat ut quisque quasi læsus ipse opem ferat; periculum alias, ne res ecclesiasticæ Arianorum dolis et insidiis labefactentur, si litteras Gregorius, si Eusebius et socii mittant, ne accipiant illas, tabellarios cum repulsa ejiciant. Ariomanitarum gratia isthæc C admitti flagitia indicat, virginum stupra, cædes, ecclesiarum vastitatem, incendia, maledicta. Dictata hujusmodi epistola, cum Romam evocatus a Julio fuisset, navim cum quibusdam fratribus conscendit, et Romam versus habet iter. Eo anno incidit Paschatis solemunitas in diem decimam nonam Aprilis; arbitramurque profectum Athanasium postremis hujus mensis diebus, mense Maio ad Italicæ oras appulisse.

D 10. Oratores Julius mittit ad Eusebianos. Monachorum in Occidente origo. — Ingressus Romam Athanasius, a Julio Papa perhumaniter et honorifice excipitur. Et cum non una itineris causa esset, Arianorum ferocitas, et illatæ in patriam calamitates; sed etiam quo, ut statutum fuerat, synodo istic celebrandæ interesset: ideo Julius quamprimum presbyteros duos Elpidium et Philoxenum ad Eusebianos cum litteris misit, significans ut ante statam certam diem Romam se conferrent (c); alioquin male suspicandi ansam duros. Quam vero diem Julius dicebat, ut Romam Orientales acciderent, putamus versus finem anni 344 incidisse. Legati vero Julii vel Maio vertente, vel ineunte Junio profecti sunt, ut ex ordine gestarum rerum licet opinari. Præter Julium, qui comi semper et

<sup>a</sup> Matth. x, 23.

(a) Athan. in Vita Antonii, n. 82.

(b) Athan. Epist. encyclicæ, n. 2.

(c) Athan. Apol. contra Arian., n. 20. et Hist. Arian. ad monachos, n. 11

gratioso erga Athanasium animo fuit, Eutropium Constantii matertera bene morata matrona (a), Abaterius item et Sperantius exsulem omnibus humanitatis ac benevolentiae officiis prosecuti sunt. Erant porro cum Athanasio viae et exsilii comites monachi duo Ægyptii, quorum exemplo (b), vitæ sanctimonia, secessus studio, Romana tum primum Ecclesia in monastici instituti amorem accessa fuit. Eorum nomina, Ammonius et Isidorus: prior tanta mundanarum rerum incuria, ut Romana illa ædificia, quæ nullis non admirationi erant, ac quorum gratia Roma visitatur frequentissime ab extraneis, ne inspectare quidem dignaretur; solasque Petri et Pauli basilicas adierit. Is ipse Ammonius est, qui sub hæc, cum ad episcopatum raperetur, fuga elapsus, alteram sibi abscidit aurem, ut mutilatione corporis sacerdotale munus declinaret. Isidorus autem non minore pietate et fluxarum rerum abdicatione micabat. Factumque ut eorum æmulatione inflammati Romani, tum primum monasticam colerent disciplinam. Hinc monasteria multa per Italiam excitata, et institutum hujusmodi exinde per Occidentem manavit in dies latius. Addidit stimulos Athanasius, cum eximii monachi, monachorumque patris Antonii præclara gesta recensuit; cujus abstinentiæ, solitudinis, certaminum memoria multis abdicandi sæculi causa fuit. Sunt qui putent Athanasium Romæ versantem, edidisse symbolum quod vulgo ejus nomine circumfertur. Verum nec ab Athanasio, nec ejus ævo conscriptum fuisse, probe alias commonstratur.

11. *Oratores ad Julium mittit Gregorius.* — Gregorius autem sede potitus Alexandrina, retinendæ dignitatis percupidus, optatissimum sibi putans esse, si Julii papæ suffragio et consensu posset in occupata sede consistere, oratores mittit Romam, Carponem quemdam presbyterum, Arianismi causa ab Alexandro antistite olim damnatum et officio deturbatum, cum quibusdam aliis pari modo abdicatis. Quamobrem et ob alia in ejus Alexandriam ingressu admissa facinora, in Julii offensionem incurrit Gregorius (c).

12. *Eusebiani fidei formulam mittunt ad Constantem.* — Interposito post synodum Antiochenam paucorum mensium spatio, Eusebiani aliam per brevem fidei formulam edunt, in qua nihil quidem contra orthodoxam fidem comparat, sed prætermittitur vox ὁμοούσιος, quam formulam per legatos mittunt ad Constantem Augustum (d). Oratores porro fuerunt Narcissus Neroniadis, Maris Chalcedonensis, Theodorus Heracleotes, et Marcus Arcthusius. Iis mandatam ut Constanti significant quæ causa fuerit Athanasii abdicandi, quæ Pauli et aliorum præsulum, quo jure alii in eorum locum es-

sent adlecti. Eam igitur illi formulam in præsentia clientium et aulicorum offerunt Constanti. Quod autem ait Socrates (e), abnuisse oratores cum Athanasio colloquia miscere, non ita intelligas, quasi tum Athanasius in Constantis aula versaretur; certum quippe est tum Romæ fuisse; sed quod vel Romam cum eo congressuri se conferre noluerint, vel quod Roma cum pertransirent, Athanasii congressum declinarint. Fidei autem formulam postremo a se conscriptam, abditis et silentio missis prioribus, Constanti offerunt. Non ignota Augusto erat innata hominum vafrities mensque dolis plena. Quapropter re infecta oratores, ad suos remigrarunt.

13. *Alii episcopi ab Eusebianis pulsati.* — Nacti opportunum consiliis suis et voluntatibus principem Eusebiani, post pulsum Athanasium, tantam vim hominis, jam nihil inausum, nihil inaccessum consceleratis. Cæteros igitur adorti infestos sibi antistites, alium post alium deturbant sede, pellunt patriis finibus. Quibus exactis (f), unum fuit perflugium Julius Romanus, quem ex multis orbis et remotissimis regionibus plurimi uno ferme tempore episcopi adierunt. Ex eorum numero Marcellus Anycranus, jam olim ab illis abdicatus et pulsus; quem denuo impotentes furore aggressi, nullis non malis affecerunt; ut possent Marcello illatæ calamitates iis, quæ invadente Gregorio Alexandriam gesta sunt, probe conferri. Is ergo Julium convenit, fidem suam, cujus causa agitabatur, sinceram commonstrat; rogat evocari et coram statui adversarios. Accedit item Asclepas Gazensis, quem paribus artificii et calumniis deturbatum, quasi seditiosum et auctorem turbarum profligarant. Hic Romæ anno uno ac tres menses moratus, Sardicensi postea synodo interfuit. Magna utique fuit pulsorum qui Romam se proripuerunt turba, Lucius videlicet Adrianopolitanus non semel ferro et vinculis Arianorum opera constrictus; ex Thracia item Paulus Constantinopolitanus bis Arianorum vexatione solum vertere coactus. Alii item eo confluerunt ex Thracia, Cœlesyria, Phœnicia, et Palæstina. Et verisimile quidem est eos ipsos esse, qui alicubi memorantur ab Athanasio; ex Thracia scilicet, præter Lucium et Paulum, Theodulus Trajanopolitanus et Olympius Ænorum, de quibus plura inferius; ex Syria, Cymatius Palti, alter Cymatius Aradi, Cyrus Berœæ, Carterius Antardi, Euphration Balancæ; ex Phœnicie, Hellanicus Tripolitanus, vir catholicæ fidei observantissimus, infestus Arianæ, et ea de causa ab Arianis exactus, qui in ejus locum Theodorum quemdam suæ factionis adlegerant. Hi erant episcopi.

ANNO 342. — 1. *Eusebianorum ad Julium litteræ.* — Elpidius autem et Phloxenus presbyteri, Julii

(a) Athan. *Apol. ad Constant.*, n. 6.  
 (b) Sozom. lib. III, cap. 7.  
 (c) Athan. *Apol. contra Arian.*, n. 24.

(d) Soer. lib. II, cap. 18; Athan. *De synodis*, n. 25.  
 (e) Ibid.  
 (f) Athan. in epist. Julii; Sozom. lib. III, cap. 8.



legati, Antiochiam profecti (a), litteras ejus offerunt A Eusebians. Hi ubi Athanasium venisse Romam intellexerunt, prospicientes ecclesiasticum illic fore iudicium, quo procul abforent comes, milites, imperatoria auctoritas, queis freti rem arbitrato suo agerent (iis namque deficientibus ne mutire quidem audebant); exagitante facinorum conscientia tanto sunt terrore percussi, ut interpellandæ synodi causa legatos ultra præfinitum a Julio tempus detinerent, nec nisi mense Januario subsequentis anni abire concelelerent, datis ad Julium litteris querelarum plenissimis (b), oratorioque more conscriptis. Et quidem initio fatebantur Romanam Ecclesiam, existimiam omniumque metropolim esse, sed ex Oriente prolixisse doctores ejus; neque se inferiore loco haberi, quod amplitudine præstantior illa esset, quando ipsi virtute, consilio, sententia, facile antecelerent. Nec par esse evocari se a Julio Romam ad synodum, cum Antiochena ab se edita decreta, rata, firma et legitima essent, nefas vilipendi synodum a tot episcopis celebratam; admitti ad societatem viros a se depositos et damnatos. Episcopos Orientis nequaquam iis repugnasse, quæ contra Novatianum decreta Romæ fuissent: neque vicissim Romanum pontificem obtulisse abdicationi Pauli Samosatani in Antiochena synodo decretæ. Querebantur item præfinitum temporis spatium angustius esse, quam ut valeret Orientales ante conductam diem Romam concedere; imminens quoque Persicum bellum profectus impedimento sibi esse; non decuisse, Eusebio et quibusdam sociis ejus, epistolas nuncupari a Julio, sed toti Orientalium antistitum cœtui; neque Julium suo, sed synodi nomine conscribere oportuisse. Demum pacem et concordiam fore cum Julio sibi pollicentur, si tamen res per se gestas ratas haberet; secus, si improbaret. Cum absurdis hujusmodi querelis legatos remittunt. Unum tamen erat quo se maxime arceri itinere Romano mentiebantur, Persarum scilicet bellum. Sed quid ad episcopos bellum? inquit Athanasius. Et qui Persico bello præpediantur quominus Romam pergant, longinquam et transmarinam urbem; qui per Orientis loca etiam Persis finitima, tum temporis instar leonum ultro citroque cursabant, quæsitum nunc quis adversaretur rebus Arianis, ut conflictis criminibus pellerent in exilium? Sed revera Romani itineris detrectandi causa erat admisorum scelerum conscientia.

2. *Immania Gregorii in Ægypto facinora.* — Sub hæc Eusebians, prospicientes non e re sua fore Romanæ synodi decreta, jam ad solitam audaciam et ferocitatem vertuntur. Missis itaque litteris auctores Philagrio sunt, ut cum Gregorio brevi Ægyptum peragrarè curet (c). Nec mora, scelesti Ægyptum pervadunt. Hinc videre erat episcopos Athanasio conjunctos verberibus excipi, ac vinculis

acerbe constringi. Non senum illi gravitatem, non dignitatem præsulum curabant: omnia perfregit prostravitque furor. Sarapammonem igitur, grandævum episcopum et confessorem, pellunt in exilium: Potammonem item episcopum atque confessorem, cui fuerat oculus pro Christi nomine exsculptus, tot plagis in cervicem laniantur, ut non ante cædendi finem facerent, quam virum extinctum putarent. Abjectus senex atque humi prostratus, curatione adhibita et flabelli ope paulum respiravit ac revixit; ita tamen, ut haud ita multo post ex vulnere dolore vita functus sit, iterari pro Christo martyrii gloria insignis. Alii item episcopi grandævi, qui in episcopatu conseruerant, ad lapidinas adducti sunt: alii item episcopi, presbyteri, clerici in exilium transmissi. Quot monachi flagris cæsi, idque jussu Gregorii et Balacii ducis, qui ejusmodi carnificinæ aderant! Quot episcopi plagis lanati! Quot virgines verberatæ! His admisis sceleribus facinorosus homo populum cohortabatur, ut ad communionem suam accederent; quasi vero id illatis verberibus et contumeliis ille, non humanitate et beneficiis consequi posset. In episcopi autem Athanasii materteram (d), quam dum superstes esset calamitatibus oppresserat, vel defunctam ita sævit, ut ne ejus quidem funeri justa solvi concederet. Quod sane futurum erat, abjectaque illa fuisset insepulta, nisi cadaver a quibusdam hominibus, quasi ad familiam suam pertineret, exportatum fuisset. Jussit præterea impius homo quæ viduis egenisque erogari consueverant abripi, vasaque confringi vino atque oleo distribuendo deputata. Alia nefanda edidit, quæ vix enarrari possint, digna sane viro qui non ex ecclesiasticis legibus cooptatus, sed militari manu stipatus in episcopalem sedem quasi in arcein invasisset, suamque dignitatem pro civili non sacro ministerio et officio haberet. Quare Magnatum quam episcoporum vel monachorum malebat gratiam iniire. Patris Antonii sanctitate conspicui viri si quando litteras acciperet, nihil pensi habebat; si imperatoris aut ducis cuiuspiam, quos ille sibi demereri emagabat, quasi re præclare gesta, ingenti perfusus erat lætitia.

3. *Mors Balacii.* — Contigit interea ut Antonius audita Balacii ducis erga virgines monachosque ferocitate (e), missis litteris divinam scelerato interminaretur ultionem, nisi finem faceret Christianos exercuciandi. Risit Balacius, annuenteque Gregorio, in epistolam humi projectam consequit; tabularisque cum repulsa et injuria remissis, renuntiare jubet Antonio, quando monachorum ipse vicem doleret, se paribus eum malis impetiturum. Necdum extracto quinque dierum spatio, cum ad primam mansionem Cereu dictam cum Nestorio Ægypti præfecto haberet iter, ambo equis Balacii omnium

(a) Athan. *Anol. contra Arian.*, n. 20; et *Hist. Arian. ad monachos*, n. 11.

(b) Socrat. lib. II, cap. 15.

(c) Athan. *Hist. Arian. ad monachos*, n. 12.

(d) Athan. *ibid.*, n. 13.

(e) Athan. in *Vita S. Antonii*, n. 8C.

mitissimis vecti, dum pergerent, at equi pro more solito luderent, repente mansuetior, quo vehebatur Nestorius, morsu Balacium decussit in terram, irruensque femur illius ita dentibus laniavit, ut statim in urbem delatus intra triduum obiret. Quod ex divina ultione factum nemo non arbitratus est.

4. *Synodus Romana.* — Legati interea Elpidius et Philoxenus Antiochia profecti, Romam transmittunt (a), Julioque offerunt Antiochenæ synodi litteras. Lectas Julius aliquandiu penes se tenuit occultas, spem esse putans nonnullos saltem Orientalium accessuros, atque ita integris rebus posse litteras querelarum plenissimas Patrium subripi notitiæ: veritus scilicet ne lectionem earum indigne ferrent. At ubi spem sibi præcisam intellexit, epistolam profert: qua perlecta, stupor primo, hinc indignatio omnes invasit. Coacti itaque præsules plus quinquaginta numero in ecclesia Vitoni presbytero commissa, Athanasium coram consistentem audiunt. Is oblata crimina propulsat, atque ex ipsis rerum gestarum monumentis conficta, et adversariorum conspiratione concinnata ostendit. Quibus illi perspectis, virum ad ecclesiasticam communionem admittendum decernunt, et pro irritis habenda factiosorum scita definiunt. Marcellum pariter, postquam sese purgaverat, recipiunt, itemque alios episcopos pari artificio et iniquitate pulsos.

5. *Epistola Julii synodica ad Eusebianos.* — Tum Julius conscriptas hortatu synodi litteras per Gabianum comitem ad Antiochenos misit (b), nuncupatas scilicet ad Danium, quem nos Theognium Nicænum arbitramur, Flacillum, Eusebium, Narcissum, Marin, Macedonium, Theodorum, aliosque. Primo notat superbiam et procacitatem hominum, quam litteris ipsi suis proderent; majus eloquentiæ studium in iis præferri, quam postularent ecclesiastica negotia. Non debere sibi vitio verti, quod ad synodum Romæ celebrandam diem dixisset, quando oratores ipsorum id postulassent; nec esse præter ecclesiasticum morem, quod de qua re ipsi jam sententiam tulissent, de eadem ipsa denuo Romæ ageretur: esse quippe iteratam de eodem negotio quæstionem ex decreto Nicænae synodi licitam. Carpit eos qui cum Arianis societatem amicitiamque foverent, hominibus a Nicæna synodo damnatis et Ecclesia pulsis: et tacito nomine Eusebianos nec obscure tanti flagitii reos significat. Si per Novatiani et Pauli Samosatani exemplum scita synodorum vigere oporteat, nefas trecentorum præsulum decreta vilipendi, admittendo Arianitas. Argute depellit illam pervicacium hominum querelam, non ex Romæ amplitudine dignitatem ejus metiri oportere. Non decuit igitur, ait, eum, cui parva civitas concredita fuerat, illa despecta; ampliorem ex sola inanis gloriæ cupidine invadere: queis Eusebii am-

bitum exagitabat. Futilem afferri itineris detrectandi causam, cum dicerent, ob angustiam definiti temporis se non posse Romam concedere. Si iter ingressos, inquit, dies ille prævertisset, æqua foret querimoniarum causa: at cum nedum iter instituerint, legatos etiam Romanos ultra præfinitum tempus delinissent, negata ad Januarium usque mensis discedendi facultate, frustra esse querelam. Nugatoriam aliam afferre causam, Persicum scilicet bellum, viros utique quos tanti belli terror non coerceret ab inferendis calamitatibus. Levissimum esse quod querebantur, soli Eusebio litteras suas nuncupasse Julium; quando solus Eusebius sibi litteras misisset. Quod si solus ipse litteras suo nomine mittat, id ex Italiæ episcoporum sententia factum, ut nullam hinc irarum ansam arripiant. Afferit causas admissi ad communionem Athanasii, postquam oblata ille crimina depulisset, et malum inimicorum aperuisset animum; reliquos item episcopos, postquam sese purgaverant, similiter admissos. Perstringit acerrime Gregorii invasionem, deploratque calamitates et mala Ecclesiæ, Catholicis, presbyteris, monachis, imo et episcopis, Alexandriae et per Ægyptum eo tempore inflictæ. Queritur exinde interclusos itinere fuisse episcopos et presbyteros qui voluissent ad synodum accedere. Aliquos in ipsorum cœtu reperiri immanium scelorum reos, quibus, si crimina propulsandi facultas esset, accedendum erat, ut omnis adversa suspicio levaretur. Leniter postea hortatur, ut querelarum et dissidiorum finem faciant, et accedant quibus cordi fuerit pax Ecclesiarum; accepisse se paucos esse numero discordiæ auctores. Mirari cum deinceps Alexandria sede ageretur, nihil sibi rescriptum; cum ea esset consuetudo, ut nihil nisi consensu Romano antistite in tantis rebus definiatur. Rogat demum epistolam claudens, ut secum animo reputent gestorum omnium reddendam æquissimo judicii Deo rationem.

6. *Mors Eusebii.* — Synodalem Julii epistolam Gabianus comes, uti diximus, detulit in Orientem, et quidem, ut narrant Socrates et Sozomenus (c), Eusebio interea antequam synodi gesta comperisset defuncto. Queis, ut mea quidem fert opinio, neutiquam refragatur Athanasius, dum ait, postquam hæc scripisset Julius, Eusebium et socios, τοὺς περὶ Εὐσεβίου, cœptis instituisse, ac turbas de more delisse. Id enim dum Gabianus comes tantum itineris perficeret, potuit Eusebius moliri, obissequere tamen ante comitis in Orientem adventum. Eusebii autem sodales eo defuncto cœptis naviter insistere. Extremum igitur diem clausit Eusebius mense circiter Octobri vel Novembri anni 342.

7. *Seditio Constantinopolitana.* — Plebs Constantinopolitana Nicænae fidei studiosissima, defuncto Eusebio, Paulum revocat in sedem (d). Eodem

(a) Athan. *Apolog. contra Arian.*, n. 20.

(b) Athan. *ibid.*, n. 20, 21.

(c) Socrat. *lib. II, cap. 12*; Sozom. *lib. III, cap. 7*.

(d) Socrat. *ibid.*, cap. 13; Sozom. *ibid.*, cap. 7.

antem tempore assidui turbarum auctores Theognis Nicænus, Theodorus Hieracleotes, alique ejusdem factionis homines, qui tum Constantinopoli versabantur, in alia coacti ecclesia, Macedonium, opitulante Ariarum caterva, in episcopum promovent. Hinc turbis et seditionibus urbs prope universa conflagravit. Ex Catholicis enim nemo erat quin ardere omnia mallet, quam videre in Pauli viri optimi sede jactantem se Macedonium sycophantam. In tanto partium odio et furore, congressis utrinque popularibus, non pauci cæsi ac vulnerati sunt. Re comperta imperator, cui tum sedes Antiochiæ, Hermogenem magistrum militum in Thraciam iter habentem, jubet eodem itinere Constantinopolitanas res componere, Paulumque episcopatu deturbare. Ille Constantinopolim cum pervenisset, conatus jussa complere, turbam populi concitavit: qui adversi militibus, instructi ad pugnam, irrumpunt in Hermogenem, ejusque incensa domo, vires pertractum, ac ultro citroque raptum interimunt. Gesta res est cons. Constantio tertium et Constante iterum, id est, anno 342. Quo perlato nuntio, Constantius quam maturissime Constantinopolim eques se confert, animo plebis ulciscendæ. At ubi cives collacrymantes, ac veniam precantes obviam sibi occurrere perspexit, pepercit quidem multitudini; sed media solitæ annonæ parte multavit, Paulumque jussit pelli civitate. Sed et Macedonio quoque graviter succensuit, tum quod auctor seditionis cædiumque fuisset, tum quod ejus non exspectato nutu in episcopum fuisset adlectus. Et tamen nec approbata nec abrogata ejus promotione Antiochiam remigravit.

8. Sed longe aliam temporis rationem inierunt viri nostro ævo eruditionis fama conspicui, qui haud leviter quoque nobiscum in rebus gestis dissentiant. Nam primo octodecim mensium, quos Athanasium versatum Romæ narrat in epistola sua Julius papa, initium ducunt ab anno 339. 2<sup>o</sup> Legatorum Elpidii et Philoxeni profectum Antiochiam ante Gregorii invasionem, reclamante licet Athanasio, constituent. 3<sup>o</sup> Januarium mensem anni 342, quo profectos Antiochia eosdem legatos ait Julius, in Junium anni 341 commutandum arbitrantur. Nam si omnium ass. et editorum lectio steterit, ut Januarius legatur, ruunt omnia, et ad sententiam accedant nostram necesse est. Si Januarius quippe sit, est anni 342, non 341, ut ex inferius positus prepalam est. 4<sup>o</sup> Romanam synodum et epistolam Julii in annum 341 consequenter referunt. Verum hæc omnia mirum quam pugnent cum Athanasii et Julii litteris.

9. Et sane priorem illam Athanasii Romam profectionem anno 339, moramque diuturnam, per totum scilicet annum 340, et partem sequentis, ut octodecim menses a Julio memorati conficiantur, nullam fuisse perspicuum est ex iis quæ superius pag. xciii de synodo Alexandrina diximus. Non erat quippe Romæ Athanasius cum Eusebiani Antio-

chiam profecti Pistum delegerunt, ac legatos misce Romam; quæ anno 339 gesta sunt. Non erat Romæ cum Alexandrina synodus celebrata est, neque cum ejus legati missi Romam cum Eusebianis congressi sunt, quæ ad annum 340 referri debere ibidem commonstravimus. Non erat Romæ Quadragesimæ tempore anno 341, cum Gregorius Alexandrinam invasit ecclesiam. Qua ergo ratione illos octodecim menses Romani otii in annum 341 desinere statuunt?

10. Elpidium autem et Philoxenum, non nisi post Gregorii invasionem et Athanasii Romam profectum, circa Maium mensem iter instituisse perspicue scribit Athanasius in *Historia ad monachos*, ubi post descriptam Gregorii invasionem sic habet n. 11: *Athanasius porro his nondum peractis, ad primum rei auditum Romam navigavit quod hereticorum furorem probe perspectrum haberet, quo etiam, prout statutum fuerat, synodus istic celebraretur. Julius autem presbyteros Elpidium et Philoxenum cum litteris misit. Et in Apologia contra Arianos, n. 20: Cum igitur Romam venissemus, Julius, ut par erat, litteras scripsit ad Eusebianos, misitque duos ex presbyteris suis, Elpidium et Philoxenum. Eusebiani vero ubi nostrum adventum audierunt, consternati, quod nullatenus æstimarent nos eo venturos, accedere renuerunt. Ex quibus conspicuum legatos tunc solum Roma profectos, cum Athanasius post Pascha anno 341, Arianis necem molientibus, se proripuit Romam. Cum autem mense circiter Maio ejusdem anni legati Julii profecti sint, palam certe est germanam esse lectionem, qua nec sine querela dicitur a Julio, legatos ab Eusebianis ultra conductum ad celebrandam synodum tempus ad mensem usque Januarium Antiochiæ detentos fuisse: et perperam volunt Januarium hic positum esse pro Junio; tum quia omnes editi juxta atque manuscripti codices Januarium habent; tum quia perabsurdum esset queri legatos ultra conductum ad celebrandam synodum tempus ad mensem usque Junium anni 341 detentos fuisse: qui legati mense ut citius Maio ejusdem anni Roma Antiochiam profecti fuerint.*

11. Cum itaque mense Januario anni 342 remissi fuerint Elpidius et Philoxenus, in tanto itinere adversa hiemis tempestate conficiendo, aliquot mensium spatium decurrigisse necesse est. Romam cum venissent, Julius litteras Eusebianorum non modico temporis spatio Patrum oculis subduxit, sperans aliquos Orientalium venturos. Ubi nihil spei residuum, eas litteras profert: expenduntur post hæc negotia Athanasium, Marcellum et reliquos spectantia. Soluta synodo, epistolam synodicam scribit Julius mense circiter Octobri vel Novembri. En tibi octodecim menses quos Romæ moratus Athanasius est, a Maio scilicet anni 341 ad Novembrem anni 342, quin vel minima sit verbis Athanasii vel Julii vis inferenda.

12. Unum est in quo fortasse quidpiam difficultatis hæreat, quod scilicet Athanasius in *Historia ad monachos* (n. 11), post enarrata flagitia quæ Gregorius, Alexandriam ingressus, in ecclesia Cyrini perpetravit, dicat se, iis nondum actis, ad primum rei auditum navigasse Romam. Ex quo perperam inferunt enim, antequam veniret Gregorius Alexandriam, confugisse Romam. Verum hæc difficultas ipsis juxta atque nobis est concoquenda. Non modo enim exploratum est Athanasium Alexandriæ fuisse quando irrupit Gregorius, verum etiam edidicisse, antequam profugeret, expilationem in Cyrino factam. Illud ipse testatur his verbis: « Populis me subduxi: noveram enim ex iis quæ in aliam ecclesiam intulerant malis, nihil non sceleris in hac quoque ecclesia admissuros. » Sed Athanasius per Athanasium explicandus, et ne minima quidem supererit difficultatis ratio. Nam hæc quæ disparata videntur loca perfacile conciliantur, si dicamus, cum milites ecclesiæ Cyrini vastitatem inferrent, nuntium hujusce rei ad Athanasium venisse, qui ad primum rei auditum, necdum confecta expilatione, fuga se proripuerit.

ANNO 343. — 1. *Photinus*. — In hoc circiter tempus confertur Photinianæ hæreseos exortus, Photino scilicet Galata auctore: qui cum juvenis Marcello Ancyrano doctore litteris operam dedisset, Sirmii in Illyrico episcopus creatus est. Hic cum facundia multum polleret, popularium gratiam et existimationem conciliat sibi. At ubi postea profugatis esse moribus deprehensum est, minusque sanam de Trinitate et de Incarnatione doctrinam spargere, versa rerum conditio est. Quid demum de Photino actum sit, pluribus infra.

2. Athanasius vero in tanta temporum iniquitate, post Romanam synodum, tribus ferme annis Romæ versatur: qui tantum otii nactus quid gesserit edideritve, altum ubique silentium. Unum ipso auctore Athanasio discimus, dum Romæ moraretur, ecclesiasticis conventibus frequentem adfuisse. Non desunt qui arbitrentur sanctum præsulem per Romanum otium synopsis Scripturæ, quæ inter ejus opera recensetur, edidisse. Sed, uti a nobis est alias ostensum, grandi hic liber *ὀρθολογίας* suspicione laborat, et diversus plane est ab illis Scripturæ sacræ voluminibus ab Athanasio ad Constantem Augustum transmissis. Narrat item Julius papa litteras ipsum frequenter Alexandrinorum accepisse, quibus non parum exsillii molestia levaretur.

ANNO 344. — *Ariani episcopi novam edunt fidei formulam*. — Anno circiter 344, tribus videlicet post compositam postremam, de qua superius, fidei formulam, annis, coacti Ariani episcopi novam edunt, prioribus prolixiorē (a): in qua quidem hæc Arianica sententia ἐξ οὐκ ὄντων, aliæque hujusmodi confutantur, verum nihil de οὐσίᾳ et ὁμοουσίᾳ effertur. Dicitur Filius Patri quidem simi-

(a) Athan. *De synodis*, n. 26; Socrat. lib. II, cap. 49; Sozom. I. III, cap. 11.

(b) Hilar. col. 1331.

lis, sed factus, etsi non eodem quo aliæ res creatæ modo. Missi in Occidentem sunt qui deferrent, Eudoxius Germanicæ, Martyrius quidam, Macedonius Mopsuestenus, et alii. Oblata illi formula, vacui et re infecta remittuntur, profluentibus Occidentalibus esse sibi Nicænam fidem satis, neque egere se aliis doctrinæ formulis.

ANNO 345. — *Synodus Mediolanensis*. — Mediolani agens Constans Augustus, synodum ea in urbe celebrari curat, cujus perpauca nota. Eo item proficiscuntur legati Orientalium Demophilus, Macedonius, Eudoxius et Martyrius (b), spe ducti confirmandæ suæ fidei formulæ. Qui cum rogarentur Arii doctrinam proscribere, iratis illi animis re negata discedunt. Et fuit illud in synodo Mediolanensi multorum præsulum consilium, ut pulsorum causa in synodo œcumenica ageretur. Hujusce rei apud Constantem Augustum auctores et consuasores erant, ut putatur, Julius papa, Maximinus Trevirensis et magnus Hosius, id ipsum rogantibus Athanasio et cæteris, qui malis Arianorum artibus patrio solo pulsati fuerant. Nec fugiebat Augustum repulsos Eusebianorum legatos Romæ fuisse, cum rogarent exsulibus ab Julio communionem negari: nec imprudens erat calamitatum Alexandrinæ ac cæteris ecclesiis per fraudes et scelera Arianorum illatarum. His ille inductus, pacis nimirum ecclesiasticæ percupidus, litteris fratrem compellat et rogat, ut ad hujusmodi negotia componenda, utriusque naturæ et arbitrio, synodus convocetur. Sub hæc Constans Athanasium accivit. Qui causam evocandi sui ignorans, ac stupeas, sciscitatus quod negotium instaret, edidit quæres tum ageretur. Ille Mediolanum profectus, comite Protasio urbis antistite, Constantem adit; a quo perhonorifice excipitur, et ipsius Augusti ore evocandi causam ediscit. Tum Athanasius res Arianorum insidiis actas deplorat, apostolicam fidem bello peti conqueritur, patris pium animum revocat in memoriam, qui quæ in magna synodo decreta fuissent, ad mortem usque vindicasset. Quibus monitis pium principem inflammavit ad sanam fidem vindicandam.

ANNO 346. — Synodi tamen Sardicensis convocatio ad annum 347 extracta fuit: quia tum Constantius, Persico urgente bello, haud ita cupide et mature res curabat ecclesiasticas. Ubi autem in proximo fuit, ut episcopi eam in urbem iter instituerent, evocat Constans Athanasium in Gallias, quo item Hosius concesserat: ut una inde ambo, cum Galliarum præsulibus eodem proficiscentibus, Sardicam secundo, ut putatur, Istri flumine conderent.

ANNO 347. — 1. *Synodus Sardicensis*. — Itaque, cons. Ruano et Eusebio, Sardicam confluuunt ex Occidente episcopi prope centum. Ad usque trecentos scribant Socrates et Sozomenus, decepti

quodam Athanasii loco, qui totidem ait synodo suffragium et nomen ascripsisse, annumerans scilicet presentibus quotquot absentes subscribere. Qua item sententia narrat Theodoretus ducentos quinquaginta in antiquis exstare monumentis (a). Sed fide dignior Athanasius, qui centum septuaginta circiter cum ex Occidente, tum ex Oriente eo convenisse memorat. Et si demas LXXXIII Orientales, qui Sardica se proripientes Philippopolia concessere, circiter centum supererunt. Sed erit fortasse rei pluribus indagandæ locus. Cum autem Julio negotiis detento non esset eo commigrandi facultas, legatos ille misit qui vices implerent suas, Archidamum et Philoxenum presbyteros, quibus cum erat quidam Leo diaconus. Primas obtinebat in synodo magnus ille Hosius. Qui intererant cæteri, ex Hispaniis erant, Galliis, Italia, Campania, Calabria, Apulia, Africa, Sardinia, Pannoniis, Mysiis, Dacia, Norico, Siscia, Dardania, altera Dacia, Macedonia, Thessalia, Achaia, Epiro, Thracia, Rhodope, Palæstina, Arabia, Creta et Ægypto. Quinam ex qualibet regione adfuerint, non in promptu est recensere. Aderant item Athanasius, Marcellus, Aclepas, nec non alii episcopi Arianorum furore, dolo, insidiis patrio exturbati solo. Eminebat inter alios Lucius Adrianopolitanus, catenas circumferens queis non semel fuerat constrictus et oneratus: ventitabant et alii, plagis, fame, variis calamitatibus afflicti.

2. *Orientalis reformidant iudicium Occidentium.* — Orientales vero, quorum principes erant Theodorus Heracleæ, Narcissus Neroniadis, Stephanus Antiochenus, qui non diu Flacillum defunctum exceperat, Acacius Cæsariensis, Menophantus Ephesinus, Ursacius Singidonis, Valens Mursi, alique numero 73, si tamen subscriptionibus Philippopolitanis sit fides, nimia conscientie formidine tenebantur, ut accederent soli; sed secum patronos et viæ socios adducebant Musonianum comitem et Hesychium Castrensem. Nihil enim perinde reformidabant atque honesto et ecclesiastico iudicio conflictari, nec nisi magistratum ope se rem bene gesturos sperabant. At ubi Sardicam advenere, rem contra ac rati erant se habere conspicati, ecclesiasticumque tribunal adesse, ubi non comes esset, non milites, non imperatoris formido, sed ex veritate causa penderetur, ingenti sunt terrore percussi. Præsto namque erant accusatores ex singulis Ecclesiis, urbibus, regionibus, argumentis et probationibus instructi. Inopportune ceciderat ipsis, quod duo venerabiles episcopi, Arius scilicet in Palæstina episcopus et Asterius Petrarum in Arabia, qui cum factiosorum caterva ex Oriente venerant, cum primum Sardicam advenissent, desciscerent ad Occidentales, ac vafritiem conspirationemque hominum cæteris renuntiarent, comme-

morarent item eorum formidinem, quando conspexerant aliter causam agi atque illi existimarent.

3. *Fuga Orientalium.* — His illi animadversis (b), tametsi alacriter et prompte sese viæ commiserant, rati Athanasium pulsoque cæteros, metu sui, ne commigrare quidem Sardicam ausuros, ubi, versa rerum conditione, paratos, causæ fidentes conspexere, in palatio, quo domicilio utebantur, clausis foribus considunt. Tum perterriti deliberant quid facto opus, quæ via expediendi se in tam difficili conditione rerum: nihil præsidii adesse, omnia ad sui perniciem comparata; integros iudices, accusatores documentis instructos, rem prope desperatam. Denuum eo appellunt animum, quæ unica supererat tanti periculi declinandi via, ut fuga se subducerent. Synodus tamen ait (c), jam cum iter ingrederentur, eo consilio fuisse, ut quamprimum Sardicam venissent, sese statim aliquo obtentu proriperent. Ut autem causam digrediendi vel commentitiam afferrent, se non posse aiunt cœtum adire episcoporum, nisi Athanasium, Marcellum cæterosque a se damnatos eijcerent. Quæ conditio periniqua erat; cum id, quod quæstio tunc esset, ut decretum ac definitum haberi contenderent. Tum Patres una cum Athanasio compellere homines ac provocare: par fuisse aut non iter ingredi, aut jam coram positos non subterfugere: id esse maximum argumentum eos maleficiorum conscientia torqueri. Si possent quæ crimina Athanasio obtulerant comprobare, accederent; sin, cum non possent, se nolle simularent, aperte sycophantas esse et damnatum iri. Quibus illi auditis stupefacti, usque eo quid inirent consilii non habebant, ut iteratam ad Marcotem legationem postularent, quo ipsis in locis quid vere gestum fuisset deprehenderetur. Explosa hominum petitione, alteram illi perdidicula afferunt remigrandi causam; sibi scilicet maturandum in Orientem, quia Constantius Augustus litteris renuntiavit, magnam se Persarum stragem edidisse, et victoria lætum evocare præsules. Ante profectum Hosius, quo illis omnem querendi causam levaret, homines in ecclesiam adventantes leniter et pacifice commonet: si quid criminis habeant Athanasio offerendum nec cunctentur enuntiare, æquum fore ea de re iudicium. His senex verbis alloquitur consceleratos, ac bis hortatur, si nollent in conspectu synodi, sibi saltem indicent quid esset querimonie. Si reum peragant Athanasium, damnandum pollicetur ab Occidentalibus; sin insons ille, ipsi sycophantæ deprehendantur, et tamen nolint virum recipere, auctorem ipsi fore, ut in Hispanias secum profliciscatur. Conditionem, disparem licet et iniquam, accipiebat Athanasius. Verum illi, tanto nimirum conscientie timore tenebantur, rem negant, et fugam faciunt. Iter ingressos synodus mittit compel-

(a) Athan. *Apol. contra Arian.* n. 36, 53; Socrat. lib. II, cap. 20; Sozom. lib. II, cap. 11. Theodor. I, cap. 7.

(b) Athan. *Apol. contra Arian.*, n. 36.

(c) Hilar. *Fragm.* 2, n. 7.

latum, denuntiatumque damnandos fore ut syco-  
phantas, nisi se sisterent. At illi cum læsos ve-  
xatosque a se viros coram conspicerent, ne con-  
verso quidem ad legatos vultu, properantius fugie-  
bant.

4. *Exsules depulsis criminibus restituntur.* — Cum igitur Orientales indecore ac turpiter se pro-  
ripuissent, tum reliqui Patres exsulum et oppres-  
sorum causam agitant. Leguntur litteræ cleri et po-  
puli Alexandrini, litteræ quoque octoginta Ægypti-  
orum episcoporum, diversæ, ut putamus, ab illis  
de quibus ad annum 340 dictum est. Erant isthæc  
totidem innocentiae testimonia, quibus purgabatur  
Athanasius ab aliis criminibus. Vertuntur ad hæc  
decantatæ illæ Meletianorum accusationes de enecto  
Arsenio et de calice fracto, quarum statim vanitas  
palam fuit. Arsenius quippe, quem obruncatum  
jactitarent, inter vivos comparebat integer et incol-  
lumis. Acta autem Mareotica, a factiosis edita, in-  
ter se pugnabant, ut est superius enarratum. Mar-  
cellus item et Asclepas probe et naviter crimina  
propulsant, ac innoxii deprehenduntur. Præsto  
erant alii scelestorum accusatores: comparebant  
viri ab exilio reversi, aliorum item exsulum legati,  
familiaresque aliorum qui ferocitate Arianica cæsi  
suerant: proferebat Lucius catenas, quibus constri-  
ctus onustusque fuerat. Vulnera alii ostentabant:  
fame et inedia se afflictos nonnulli testificabantur.  
Oratores a diversis missi Ecclesiis denuntiabant,  
milites armatos immissos in ecclesias, turbasque  
clavis instructas, litteras in perniciem episcoporum  
confictas. Lectæ sunt litteræ a Theognio jam de-  
functo ad Augustos missæ, dolose confictæ, quibus  
imperatores inflammaret in Athanasium; quas  
vere a Theognio datas fassi sunt ejus diaconi. His  
adjectæ virginum denudationes, ecclesiarum incen-  
dia, carceres, quæ mala in gratiam Arianorum in-  
flicta fuerant.

5. *Ariani episcopi damnantur.* — His perspectis  
ac probe commonstratis, Patres Athanasium, Mar-  
cellum, Asclepam, aliosque pulsos episcopos decla-  
rant innocentes, restitunt in sedes, in ecclesias  
remitunt, missisque litteris jubent a Christiana  
plebe recipi. In consceleratos autem severe, gravi-  
ter et prisce actum. Eos namque, qui luporum in-  
star sedes pulsorum invaserant, Gregorium scilicet  
Alexandrinum, Basilium Ancyranum, Quintianum  
Gazensem, ne nominandos quidem episcopos defi-  
niunt neque cum ipsis ullam habendam societatem.  
Theodorum autem Heracleæ, Narcissum Neroniadis,  
Acacium Casareæ Pæstinae, Stephanum Antio-  
chiæ, Ursacium Singidonis, Valentem Mursi, Meno-  
phantum Ephesi, Georgium Laodiceæ, damnant et  
abdicant.

6. *Epistolæ synodice.* — His peractis, quæ gesta  
in synodo fuissent litteris ubique significantur (a).  
Quarum exstant etiam nunc quatuor, cæteris inju-

(a) Athan. *Hist. Arian. ad monachos*, n. 19, 20, 21.  
(b) Hilar. col. 4290.

ria temporum amissis. Prima nempe ad clerum et  
populum Alexandrinum, ubi ordine recensentur res  
in synodo gestæ; aiuntque Patres se rogasse Au-  
gustos ut finis tandem esset vexandi episcopos, ar-  
cerenturque iudices a cansis clericorum: hortantur  
ut redeuntem Athanasium, patrem et episcopum  
suum, honorifice et cum gaudio recipiant: monent  
Gregorium τὸν ψευδελισκοπον a synodo damnatum  
et abdicatum esse: edicunt ut nulla cum eo ineatur  
communio societatis. Admissos indicant ut inson-  
tes, Aphthonium, Athanasium Capitonis, Paulum  
et Plutionem presbyteros pulsos ab Eusebianis.  
His similia scribunt ad episcopos Ægyptios (b):  
pluribus autem omnia in encyclicæ epistola. Ad Ju-  
lium papam scribentes, iidem ferme recensitis,  
adjiciunt Patres se ita credere, ut semper autem cre-  
didissent. Probant acceptumque habent Julii con-  
siliium, qui non sine causa Sardieam una cum aliis  
non concesserit: congruentissimum videri sibi si ad  
caput, id est, Petri apostoli sedem, de singulis qui-  
busque provinciis Domini referant sacerdotes. Nar-  
rant breviter quæ gesta Sardieæ sint. Tria fuisse  
pertractanda, de fide scilicet, de vexatis et pulsis  
episcopis, de sceleratis tantarum auctoribus calami-  
tatum. Exagitant deinde impios et imperitos ado-  
lescentes, sic vocant Ursacium et Valentem, quod  
nunquam finem facerent adulterinam spargendi do-  
ctrinam. Valentem maxime carpunt, quod, relicta  
ecclesia sua, alienam, nimirum Aquileiensem, inva-  
dere tentasset; quo factum ut commota civitate  
unus ex fratribus, Viator nomine, obrutus et op-  
pressus fuisset. Hisce epistolis nomen ascribere  
Patres Sardicenses, atque exinde multi qui non  
adfuissent dedere suffragium, quos ad CCLXXXV re-  
censet Athanasius.

7. *Nihil de fide Sardieæ actum.* — De fide quoque  
actum Sardieæ fuit; nec deerant qui novam fidei  
formulam in medium afferrent admittendam a sy-  
nodo, atque promulgandam, quasi videlicet aliquid  
in Nicæna desideraretur. Quod indignè tolere Pa-  
tres, decreveruntque nullam ulterius edi debere  
fidei formulam, eo quod esset Nicæna satis; ut ne  
turbulentis hominibus novas scribendi formulas  
hiuc occasio foret. Oblatum autem hujusmodi re-  
scriptum idipsium putatur esse, quod Theodoretus  
τῆ ἐγκυκλίῳ epistolæ concilii Sardicensis attexuit.  
Hæc Patrum Sardicensium acta, hæc gesta fuere.  
Ad hæc vero, quæ disciplinam spectabant ecclesia-  
sticam, viginti canonibus constituta sunt.

8. *Synodus oratores ad Constantium mittit.* —  
Oratores postea synodus mittit ad Constantium,  
Vincentium nempe Capuanum episcopum et Euphra-  
tam Coloniensem, qui cum Augusto de gestis synodi,  
deque exsulum causa agerent (c). Quibus etiam com-  
mandatitias ad fratrem litteras dedit Constantius Au-  
gustus, interminatus fratri bellum, nisi pulsus præ-  
sulibus in ecclesias suas revertendi copiam faceret.

(c) Socrat. lib. II, cap. 23; Sozom. lib. III,  
cap. 20.

Constantio nimirum auctor est ut episcopis faciliem præbeat aurem, Stephani Antiocheni et asceclarum scelera perpendat, Athanasium, deprehensa adversariorum sycophantia et malignitate, gregi suo restitui jubeat: si neget postulata, sese, admotis copis, profligatisque scelerum auctoribus, hominem Alexandriam deducturum. Soluta porro synodo, Naissum Athanasius in superiorem Daciam se confert, ubi commoratus est donec evocaretur a Constante.

9. *Orientalium facinora.* — Inter hæc Orientales profugi in Thraciam, quæ ad Constantii imperium pertinebat, sese recipiunt (a). Quia autem permulti in Thracia erant episcopi, qui a seditiosorum frequentia et communionis abhorrerent, delatos illi ad Constantium, qui Ariantis omnia indulgebat, curarunt malis et calamitatibus affici, et nonnullos etiam capitali sententia damnari. Quæ quidem maxima pars post synodum Philippopolitanam contigerunt. Fuga tamen Olympii Ænorum, et Theoduli Trajanopolitani, prius quam scriberentur a synodo litteræ accidisse videtur. Hi capitis damnati fuga saluti prospiciunt; ac dum se caruificibus præriperet Theodulus, extremum clausit diem, nondum soluta synodo Sardicensi. Quæ ratio unica est ut duo Athanasii loca hæctenus in controversiam vocata (b), ac quorum conciliatio prope desperata, apprime conveniant; ille scilicet epistolæ Sardicensis synodi locus, quo dicitur Theodulus esse defunctus, alterque in *Historia Arianorum ad monachos*, quo narratur Theodulum post Arianorum fugam pulsatum et profligatum, quod cavensis intelligas post solutam synodum Sardicensem contigisse.

10. *Synodus Philippopolitana.* — Facinorosi autem homines Philippopoli consistent (c), ausuque temerario damnati episcopos, Julium Romanum, Hosium, Protogenem, Gaudentium, Maximinum, Athanasium, Marcellum, Asclepam et Paulum; epistolamque scribunt ἐγκύλιον, quam nominis et commendationis causa Sardicæ datam ementuntur, quo faciliorem ipsi apud omnes aditum munirent. Et sane res evenit ut peroptabant illi. Nam hæc epistola ad usque tempus Augustini pro vera Sardicensis synodi epistola a multis habita est. Ordinetur autem ab ementito quod præferunt pacis concordizque servandæ studio. Marcellum exinde ut facinorosum exagitant, admissum ad communionem queruntur. Athanasium sacrilegum, profanum, multis implicatum sceleribus denuntiant. Redintegrant pristinas adversus eum criminationes de calice fractio, de diruto altari, de sede sacerdotali eversa, ecclesiazque solo æquata, de presbytero Ischyra tradito custodiæ militari. Addebant ne ipsis quidem sacratissimis Paschæ diebus abstinnisse a scelere, sed nonnullos injuriis, verberibus, imo etiam morte multasse; jussum Cæsaream ad synodum se conferre renuisse, ideoque post annum alterum Tyri

A damnatum abdicatumque fuisse et ab imperatore ablegatum in exilium; in reditu pristinis graviora edidisse facinora, damnatos episcopos in priorem restituisse gradum, indignos aliquos, imo ethnicos, promovisse; adlecto in episcopum Alexandrinum Gregorio, Athanasium concitata et abducta gentiliū manu templum incendisse, altare comminuisse, et clam aufugisse. In Paulum exinde atque in Marcellum et Asclepam acerrime invehuntur, et nefaria de more comminiscuntur. Moxque Athanasium de novo maledictis et calumniis onerant, fallacis scilicet, precibus, dolis, multos episcoporum ad suas pellexisse partes, et fraude impetrasse ut a Julio admitteretur. Queruntur Occidentales defensores, non judicum animo accessisse, et novis studere legibus, ut scilicet Orientales episcopi iudicio subessent Occidentalium. Qui jam inita pace mutuam concordiam foverent, acerbis olim inimicitias conflictatos esse, ab Athanasio scilicet damnatum fuisse Asclepam, Paulum Athanasii abdicatiōni interfuisse, suffragium damnationi dedisse. Multis additis in cæteros adversæ partis episcopos, in Julium nempe, Hosium et Protogenem, et conflictata immensi scelerum multitudine, quibus discordiæ invidiam in Occidentales derivarent, vetant demum ne quis cum Hosio, Protogene, Athanasio, Marcello, Asclepa, Paulo, Julio, Gaudentio et aliis quos damnant anathemate ipsi, atque abdicant, communionis societate jungatur. His editis, sycophantæ fidei formulam ascribunt, et LXXIII episcoporum nomina ac suffragia, sive vera, sive forte conflictata, ad calcem adjiciunt.

11. *Decem laici capite truncati, alii vexati.* — Neque hic constitit scelus. Eos enim, qui se perfidiæ et timiditatis fugæque nomine aversarentur, nullis non insectantur malis. Adrianopolitanos, qui ab eorum communionem abhorrebant, deserunt ad Constantium; ipsisque hortatoribus, ex Fabrica Adrianopolitana, ut vocabant, decem laici sunt capite truncati: ministro hujus rei usi sunt famoso illo Philagrio, tum iis in locis comite. Horum tumulos propter urbem sitos conspexit illac transeundo Athanasius. Duos presbyteros, diaconesque tres, quos sibi insensos deprehenderant, curant in Armeniam ablegari. Arium autem et Asterium episcopos, quos a cætu eorum descivisse supra memoravimus, non modo extorres in superiorem Libyam amandant, sed etiam ulciscendæ defectionis causa contemeliis et probris onerant. In Lucium autem Adrianopolis antistitem, qui grandi loquendi fiducia lucifugas insectabatur, acrius sævitum est. Curant enim ferreis catenis ut ante collo et manibus constringi, atque ferro oneratum deportari in exilium; ubi paucis post annis sanctus præsul, tot calamitatibus perfunctus, diem obiit extremum. Diodorum item episcopum patrium vertere solum coegerunt. Quid sit de Theodulo et Olympio actum, jam enarravimus, quia rem ante clausam Sardicensem synodum con-

(a) Athan. *Hist. Arian. ad monachos*, n. 18, 19.  
(b) Athan. *Apol. contra Arian.*, n. 44.

(c) Hilar. col. 1307.

tigisse arbitramur; et fortasse nonnulla ex iis, quæ proxime recensuimus, ante finem synodi Sardicenis obvenere. Non ordine quippe res enarrat Athanasius.

12. *Alexandrinis et Ægyptiis illata mala.* — Eorundem opera et gratia ad Alexandrinos usque et Ægyptios calamitas et vexatio pervasit. Litteris namque jussum, ut portus aditusque urbium custodiis intercludantur, ne quibus id concessum ab synodo Sardicensi fuerat, ad ecclesias remigrarent suas; præscribiturque iudicibus, ut sive Athanasius, sive alius quispiam exsul episcopus aut presbyter, vel in urbem, vel in fines ejus ingressus deprehendatur, liceat isthic repertos capite truncare. Accepta autem illi publici curriculae facultate, si quos, ultro citroque cursando, offenderent qui fugam sibi exprobrarent, Arianamque aversarentur hæresim, hos flagris, vinculis, exsilio multabant. Tantusque terror carnificum erat, ut multi ad simulandum metu compulsi sint, multi contra in solitudinem se proripere malleant, quam cum hujusmodi viris communicare.

13. *Mediolanensis synodus. Photinus damnatur.* — Eodem anno celebratur Mediolani synodus adversus Photinum episcopum Sirmiensem. Qui quotve fuerint præsules ibi coacti, pariter ignoratur. Unum constat, Photinum damnatum abdicatumque fuisse. Verum Sirmiensis populi amor et benevolentia præsidio ipsi fuit, ne sede pelleretur. Sunt qui arbitrentur, ea in synodo Ursacium et Valentem libellum pœnitentiæ dedisse. Sed, ut probe adverterent fratres nostri in postrema Hilarii operum editione, non adeo desperatæ res eorum tum fuisse videntur, ut homines protervi ac propositi retinentissimi eo inopia consilii devenirent: quanquam fortasse existimari queat, non pari tum conditione fuisse Valentem et Ursacium, ac cæteros Arianos, utpote qui in Constantis, catholicæ parti deditissimi, imperio versarentur.

ANNO 348. — 1. *Stephani Antiocheni factum in legatos.* — Insequente anno contigisse putatur Stephani Antiocheni Arianorum antesignani conspiratio in Sardicensis synodi oratores (a), quam Athanasius ac Theodoro his pene verbis acceptam referimus. Antiochiam cum pervenissent legati Sardicenses, litteras Constantis fratri Constantio offerunt, cui tum temporis sedes Antiochiæ; polliceturque ille nihil non fratris nutu et arbitrio facturum. At cum rem perindigne ferrent veritatis hostes, in episcopos qui juxta clivum diverterant, magistro militum non eodem loco diversante, execrandum opus agrediuntur. Princeps autem conspirationis fuit urbis antistes, qui alio incredibili scelere priora scelera cumulavit.

2. *Stephanus abdicatur, cui subrogatur Leontius.* — Stephano igitur præsuli Antiocheo varii audaciæ suæ administrari erant, quorum ille opera veræ fidei

A sectatores opprimeret. Horum facile princeps erat quidam projectæ temeritatis adolescens, multis flagitiis nobilitatus; qui non solum homines ex foro abducere, ac contumeliis verberibusque excipere soleret, verum etiam domos invadens, probos viros matronasque honestissimas deturbaret lacessendi causa. Quia vero non manibus tantum, sed et calcibus obvios impeteret, Onager nuncupabatur. Is heri jussu ipsis sanctissimi Paschatis diebus meretricem adiens, peregrinos advenisse ait qui ejus cupidine flagrarent, noctemque cum ipsa agere percuperent. Assumptos deinde quindecim socios locat in insidiis; datoque conveniendi signo, properat ad fores diversorii. Tum scorto auctor fuit, ut sese in id conclave immitteret. Contigit porro ut in exteriori cubiculo somnum caperet Euphratas Colonix Agrippinæ episcopus, Vincentius autem Capuanus in interiore. Ingressa alacriter muliercula, quod se a juvene advocari putaret, deinde senem hominem dormientem, episcopi forma, iguarumque facti conspicata, se delusam aestimavit, rata non hominem id ætatis scortum arcessere. Sensit Euphratas in cubiculo gradientem; expergefactusque, quis esset percontatur. Illa edito clamore vim inferri sibi conqueritur. Conturbatus Euphratas, dæmonem suspicatur muliebri forma adventantem, Dominiquæ Christi implorat auxilium: Onager vero rogat scortum ut taceat, atque episcopum criminetur; statimque se cum agmine in conclave intromisit, vociferans homines iniquos adventasse, qui se sperarent iniquitatis fore iudices. Tum ingenti oborto clamore, servi omnes accurrere, quid esset sciscitari, maturare ad fores diversorii occludendas. Onager fugam facit, relictis intro septem sociis, qui una cum scorto deprehensi in custodiam traditi sunt. Primo diluculo, cum Salianum magistrum militum excitassent a somno, simul ad palatium properant: ac de Stephano conquesti, ad quem suspicio maleficii pertinebat, non iudicio opus esse contendebant, vel perquisitione. Magister vero militum rogabat, ut juberet imperator, non ecclesiastico, sed forensi iudicio rem inquiri: clericos Euphratæ et Vincentii se quæstionis habendæ causa traditurum, dum pari modo traderentur Stephani clerici. Contra Stephanus, quem conscientia sceleris exagitabat, non licere aiebat clericos tormentis subjici, vetitum scilicet id esse ecclesiastica regula. Interrogata primum mulier fuit, quis accivisset: adolescentem illa indicavit, qui comitante juvenum turma se deductam intromisisset in cubiculum. Commemoravit item interrogationem, metum et precationem episcopi, impetumque petulantis catervæ. His cognitis iudices natu minimum adduci jubent; qui non expectata verberum quæstione, compositi facinoris scenam detexit, et rei auctorem Onagram esse fassus est. Accitus Onager id se jussu Stephani admisisse testificatur. Quis pudor, quæ

(a) Athan. *Hist. Arian. ad monachos*, n. 19; Theodoret. l. II, cap. 8 et 9.



infamia hinc consecuta! Antiochenum episcopum tantum in Oriente nominis, tantæ in Ecclesia dignitatis turpissimæ rei artificem deprehensum! In sceleris igitur pœnam abdicatur Stephanus, Ariani autem, tali amisso patrono, operam dederunt ut alius suæ factionis in ejus locum cooptaretur, Leontius scilicet castratus. Is cum Eustolium quamdam adamaret, quæ virgo audiebat, licet Leontii consuetudine a virginum conditione et integritate lapsa, ea de re accusatus, quo facultas sibi foret cum illa habitandi, sese castraverat; atque adeo, si ex ecclesiasticæ regulæ præscripto cum illo actum esset, nunquam fuerat in episcopum promovendus. At enim Arianismi studium aditum facinoroso homini præbuit ad sedem Antiochenam. Ab episcopis itaque Arianis promotus ille fuit, atque deinceps Arianas res pro virili auxit; ementitaque mansuetudinis specie, Catholicos, præsertimque Athanasium, quoad licuit, dire vexavit; vel hinc omnibus deinde sæculis pro nefario et execrando habendus, quod Aetium τὸν ἄθεον in amicis habuerit, et diaconum ordinarit. Nimirum κακὸς κακῶν ἡγχαίσει.

3. *Constantius revocat exules.* — Imperator autem Constantius rem in Euphratam gestam secum reputans, et crimine ab uno id genus esse alia Arianorum in cæteros episcopos molimina suspicatus (a), de solita in probos catholicosque homines sævitie paulum remisit. Quamobrem quos Alexandria in Armeniam relegarat presbyteros, diaconosque, liberos quamprimum dimitti jubet; publiceque litteras mittit Alexandriam, ac vetat ullam ulterius clero et populo Alexandrino indigi calamitatem. Aliisque pariter exultibus liberum ad suas sedes et ecclesias reditum concessit. Tum Athanasio fuit Alexandriam commigrandi facultas. Nec mirum tamen, si perspecta adversariorum fraude, Constantiique levitate, insidias cavens, non continuo sese commiserit.

ANNO 349. — 1. *Gregorius ab Alexandrinis obruntatur.* — Secundum hæc, elapsis nempe decem post Stephani abdicationem mensibus, Alexandrini nefariis Gregorii τοῦ ψευδοεπισκόπου sceleribus commoti, mitioribusque postremo datis Constantii jussis animo audaciores (b), ut mos est multitudinis, afflictis rebus frangi, secundis ultra modum efferrî, impetu facto, scelestum præsulem trucidant. Quæ causa, quæve ratio cædis, omnium pariter scriptorum silentio premitur. Verum fortasse, quia superstite Gregorio plebs Alexandrina optatissimo sibi Athanasio præcisam esse remigrandi spem intelligeret, in id facinoris prorupit. Ejus obitu levatum Athanasio fuit omne reditus impedimentum.

(a) Athan. *Hist. Arian. ad monachos*, n. 21, 22.

(b) Theodoret. lib. II, cap. 12.

(c) Athan. *Apol. ad Constant.*, n. 3.

(d) *Lodi recachio.*

2. *Athanasius Constantem convenit.* — Inter hæc ipse Athanasius, qui soluta Sardicensi synodo Naissum concesserat, litteris a Constante Augusto acceptis (c), inde profectus Aquileiam est, ubi imperatorem comite Fortunatiano illius urbis episcopo est allocutus. Memoratque idem Athanasius nequaquam se Constantem solum remotisque arbitris convenisse, sed comite semper episcopo urbis in qua degeret imperator. Nimirum Patavii cum Crispino ipsum adiit, Veronæ cum Lucillo, in Laude Pompeia (d) cum Dionysio, aliis in locis cum Vincentio Capuano, Maximino Trevirensi, Protasio Mediolanensi, Eugenio item magistro. Quod divino consilio præcautum fuisse videatur: nam postmodum Ariani, quod Athanasius Constantem frequens adiisset, inde criminandi eum ansam arripuerunt; quod scilicet simultatis inter fratres movendæ causa cum Constante frequens colloquia misceret. Cui propulsandæ calumniæ commodum opportunumque fuit, quod nunquam solum Constantem solus convenisset.

3. *Constantius Athanasium hortatur ad reditum.* — Aquileiæ cum degeret, ecclesiasticisque conventibus operam daret, in templo quod tum excitabatur, necdum tamen absoluto, collectam haberi conspexit, cui etiam aderat Constans Augustus. Quæ res pariter ipsi utilis fuit ad aliam depellendam criminationem, ut inferius dicitur. In eadem urbe litteras accipit Constantii imperatoris, qui, deprehensa Arianorum in legatos Sardicenses conjuratione, leniore erga Athanasium erat animo: et tunc desævire tempestas cœpit (e). Sanctum ille præsulem hortabatur, ut iter in patriam et ecclesiam suam susciperet, diu esse quod expectaret venturum ultro ac redeundi facultatem postulaturum. Ne metus ulterioris moræ causa esset, jubere se ut omni posita formidine iter ingrederetur: scripsisse se fratri Constanti ut veniendi copiam faceret. At cum Athanasius, tot ante malis afflictus, vix a pristino metu respiraret, comperendinatus est donec altera accederet imperatoris Constantii epistola, qua virum jubebat conscenso publico vehiculo se convenire, ut optatis fruere-tur. Tertiam item epistolam Constantii per Achilam diaconum misit ad sanctum præsulem, quem diuturniores trahere moras ægre ferebat, quem-stus se jamdiu illum expectare, quem patriæ restituere peroptaret et ecclesiæ suæ. Scripsit item Constanti fratri, rogans ut eum ad reditum cohortaretur. At enim affirmabat se annum integrum expectasse, neque concessisse novas dari turbas, aliumque Gregorii loco deligi episcopum. Nimirum id satagebant Ariani imperatori suadere. Ut autem omnem formidinis causam levaret, comites quoque suos, quibus maxime habenda fides erat, Polemium

(e) Athan. *Apol. ad Constant.*, n. 15; *Hist. Arian. ad monachos*, n. 21; *Apol. contra Arian.*, n. 54, 55; *Socrat. lib. II, cap. 23*; *Sozom. lib. III, cap. 20*; *Theodoret. lib. II, cap. 11.*

scilicet, Datianum, Bardionem, Thalassum, Taurom et Florentium, Athanasii, ut videtur, necessarios (a), jussit epistolas ad Athanasium dimoveunda suspicionis causa mittere.

4. *Athanasii reditus.* — Imperator ergo Constantius fratris sui litteris permotus (b), Athanasium accivit in Gallias. Qui mox Aquileia, ubi tum versabatur, profectus, Romam venit, episcopo Julio et Ecclesie vale dicturus. Tum Ecclesia Romana ingenti gaudio perfusa, Juliusque pontifex redeunti gratulatus, litteras dedit ad clerum et populum Alexandrinum, quibus se testificabatur summopere lætari de reditu tanti tandique expetiti præsulis, laudare propositi eorum perseverantiam, quam consilio et optatissimo Deus exitu donasset. Laudat exinde Athanasii virtutem, fortitudinem animi, patientiam in adversis: virum tot periculis perfectum jam clariorem reverti quam ante fuerat, ex animo se gaudere prospicientem in adventu Athanasii lætitiā populi futuram: sic præterita mala læto exitu obliterari. Tum decedit Roma in Gallias, Augustumque convenit Athanasius.

5. *Constantium convenit Athanasius.* — Hæsimus nos aliquando incerti Aquileiane in Gallias, acceptis Augusti litteris, confestim recta properarit, ac deinde ex Galliis concesserit Romam; an Aquileia profectus Romam venerit, antequam de Italia, Augustum aditurus, decederet. Verum jam nobis pene constat, quia Athanasius Adrianopoli Alexandriam remigrans pertransiit, Aquileia Romam venisse antequam ad Constantem properaret, inde vero per Germaniam secundo, ut putatur, Istri flumine magnam itineris partem confecisse. Adrianopolim cum pervenisset (c), decem laicorum, qui Arianorum præsulum jussu cæsi fuerant, tumulos conspexit propter urbem sitos. Inde vero Antiochiam concedens Constantium adiit; qui virum perhumaniter excepit, comi placidoque vultu intritus. Cum autem Athanasius de sibi illatis malis conquereretur, ac beneficii et gratiæ loco peteret, ut ne criminationes adversariorum post discessum suum audiret; sed, si luberet, jam maledicos evocaret, ut coram objicerent crimina, id denegavit imperator. At enim quidquid adversus eum ex cælestibus inimicorum, litteris et publicis tabulis mandatū esset, abradi et obliterari jussit, pollicentes juratusque nullas ulterius admissurum se criminationes.

6. Antiochiæ dum degeret Athanasius, & Leontii cæterorumque Arianorum conventu et communionem semper abstulit, sed ad collectas Eustathianorum frequens ventitabat. Erant tum ex Arianis, qui eum gratia plurimum valerent apud imperatorem, auctores ipsi erant ut curaret provideretque, eccle-

Asiam aliquam Alexandriæ Arianis ad collectas concedi. Quibus morem gerens Constantius, rogat Athanasium, quandoquidem ipse ex ejus voto omnia ageret, sibi etiam ille quod in optatis erat non denegaret, ut scilicet ecclesiarum, quæ bene multæ erant Alexandriæ, unam Arianis tradi concederet pro conventibus agendis. Ad hæc Athanasius, æquum quidem esse respondit imperatoris placito ea in re obtemperare; sed quia multi etiam Antiochiæ Catholici degerent, qui ab Arianorum communionem abhorrerent, postulare se mutuo sibi in ad collectas celebrandas ecclesiam concedi. Et verum non iniqua imperatori visa fuit ejusmodi ab Athanasio oblata conditio. Verum Arianis secus existimabant. Nam eum grandis Athanasii esset Alexandriæ auctoritas, non magni interesse putabant sodalibus suis Alexandrinis quod Ecclesiam obtinerent, cum tanti viri monitis atque adhortationibus futurum prospicerent, ut exigua aut nulla foret Arianicis rebus accessio, etiamsi ecclesiam illi possiderent. Contra vero Antiochiæ Eustathianos cornebant magno esse numero; qui, si ecclesia sibi concederetur, rebus suis augendis studere in Arianæ factionis iugens detrimentum. Nam tum etiam eum nullam haberent, sibi tamen formidini erant. Quamobrem imperatori auctores fuere, ut ab ejusmodi postulatis absisteret.

7. *Epistolæ Constantii in gratiam Athanasii.* — Constantius autem vi et ingenio hominis obstupescens (d), missis ad varios per diversa loca iudices litteris, quibus ante jusserat aditus intercludere omnes, tum significavit ut liberum præberent transitum. Data item epistola episcopis ac presbyteris renuntiavit, se Athanasium patriæ et ecclesie suæ restituere, omnia quæ adversus eum scripta vel gesta fuerant abrogare, decernereque ut clerici ejus eadem qua ante gauderent immunitate; dari episcopis, dari clericis eidem adhærendi facultatem; eam fore exinde notam argumentumque recti propositi, si quis Athanasii communionem sequeretur. Aliam item dedit ad Alexandrinam plebem; ubi postquam summis Athanasium laudibus exornavit, populi carpit animum inquietum ac tumultuosum, hortatur ad pacem et concordiam, monet semel iterumque ut turbas movendi finem faciant, se iudicibus præcepisse ut quotquot seditiosos esse comperirent, legum subjicerent ultioni. Fortasse Gregorii nece commotus imperator, animum appulit ad minas hujusmodi proferendas. Jussit præterea, quæcunque Eusebii Nicomediensis consilio adversus Athanasium in commentarios essent relata, obliterari et abrogari: missusque Eusebius decurio ea abstulit ex tabulis. Cujus rei causa litteras misit Constantius ad Nestorium Ægypti præfectum, itemque ad præfectos Augustanicæ, Thebaidis et

(a) Athan. *Hist. Arian. ad monachos*, n. 22.

(b) Athan. *Apol. contra Arian.*, n. 55.

(c) Athan. *Hist. Arian. ad monachos*, n. 22; Socrat. lib. II, cap. 23; Sozom. lib. III, cap. 20;

Theodor. lib. II, cap. 12.

(d) Athan. *Apol. contra Arian.*, n. 54, et *Hist. ad monachos*, n. 25.

Libyaram; mandavitque ut abolerentur quæcunque in damnum et contumeliam Athanasii decreta et conscripta essent, ejusque clericis pristina restitueretur immunitas.

8. *Exiit Athanasius a synodo Jerosolymitana.* — His ita gestis (a), postquam familiaribus vale dixisset Athanasius, sese viæ commisit. Dumque Syriam peragraret, amici amicum videntes, latari; alii ex gestorum conscientia cum pudore occurrere; pars se coram sistere non ausi, sese occultare; alii poenitentia ducti scripta adversus episcopum sua repudiare. In Palæstinam autem cum pervenisset, omnes illius provinciae episcopi, duobus vel tribus exceptis, Patrophilo scilicet et Acacio, ut amicum excepere; litterisque nonnulli apud eum se factorum poenitere testificati sunt, nec sнопte motu ac consilio, sed metu ac terrore compulsos litteras adversus eum dedisse. Synodus autem in adventu illius Jerosolymis convocatur: ubi comiter excerptus Athanasius, cum litteris ad episcopos Ægypti gratulatoriis dimittitur. Episcoporum nomina, qui synodali epistolæ subscribere, hæc memorantur ab Athanasio: Maximus Jerosolymitanus, Aetius, Arius, Theodorus, Germanus, Sylvanus, Paulus, Patricius, Elpidius, Germanus, Eusebius, Zenobius, Paulus, Macrinus, Petrus et Claudius.

9. *Gaudium Alexandrinorum in adventu Athanasii.* — Quanta porro fuerit et quam effusa in reditu Athanasii Alexandrinorum ac episcoporum per Ægyptum et Thebaidem lætitia (b), libet ex ipso Athanasio ediscere: quanquam, ut est ille temperans et a laude propria alienus, non sui, sed pacis conciliatæ causa, gaudio perfusus enarret. « Quod spectat, inquit, Ægypti et Libyaram episcopos, necnon eartundem regionum Alexandriaequè populos, enarrare forte supervacaneum fuerit. Accurrere enim omnes ingenti gaudio perfusi, non solum quod præter spem suos recipere intolumentes, sed etiam quod ab hæreticis eriperentur, ceu a tyrannidis rabidisque canibus. Grandis itaque fuit lætitia populorum se mutuo in synaxibus ad virtutem cohortantium. Quot inuptæ, nubendi ante cupidæ, virgines Christo addictæ permanserunt! Quot adolescentes, aliorum exemplo concitati, vitam amplexi sunt monasticam! Quot parentes filiis suis auctores erant aretioris incundæ vitæ! Quot non parentes obsecrabant, ut ne suam pro Christi amore exercitationem interpellarent! Quot uxores viris, quot viri uxoris susasere, ut secundum Apostoli jussum orationi incumbere! Quot viduæ, quot orphani, fame prius ac nuditate afflictis, ex ardentis populorum affectu, alimento et vestitu abunde sunt instructi! Tanta demum erat de virtute contentio, ut singulas familias, singulas domos, ex probitate inhabitantium et precandi fervore, tot ecclesias existimasses. Altam pacem videre erat

A in ecclesiis, episcopis undique ad Athanasium litteras mittentibus, ab eoque recipientibus. »

10. Athanasii Alexandriam ingressum magnifice suo more describit Gregorius Nazianzenus. « Tum nobis, inquit, ille athleta ex præclara peregrinatione, sic enim ejus pro Trinitate et cum Trinitate susceptam fugam appello, remigrat in urbem; atque eo modo lætis civibus accedit, imo vero tota prope Ægypto undequaque in unum concurrente. In tumultis quibusque turba consistere, ut alii vel sola Athanasii voce, alii forma et aspectu fruere; alii, quod de apostolis accepimus, vel ex umbra saltem, vacuo corporis simulacro, sanctitatem contraherent: ita ut cum multi sæpenumero honore occursuque populorum ornatu fuerint, nec modo præfecti et episcopi, verum etiam viri quique amplissimi in familiam suam reversi; nullus tamen occursus frequentia, nullus splendor major memoretur. Unus duntaxat Athanasius Athanasio comparandus, unus ingressus ingressui: cum scilicet ex prioris fuga, simili de causa suscepta, summo cum honore in urbem rediret suam. » Et paucis de Philagrio interjectis. « Tum e vulgo quispiam, cui infinita esse tanta multitudo videbatur, ceu pelagus quoddam cujus non esset finem oculis attingere, familiarem, ut solet in ejusmodi rebus, ita compellasse fertur: « Dic mihi, vir optime, tantamne unquam multitudinem vidiisti, tamque concordibus animis ad unum ornandum hominem effusam? Mihi nime, ait ille, ne Constantium quidem ipsum pari honorificentia exceptum iri arbitror, quasi scilicet imperatorem memorando honoris cumulum indicaret. Tum ille perquam suaviter arridens, « Quid ais? » inquit; imo ipsum quoque Athanasium pari honore exceptum vix crediderim, » quod patrio ille juramento affirmavit. Eo autem hic sermo spectabat, quemadmodum cuique perspectum arbitror, ut ipsi imperatori Athanasium anteferet. Tanta apud omnes erat viri veneratio! tanto stupore ingressus ejus memoria homines etiamnum afficit! Nam per sexus, ætates atque artes singuli divisi, quo pacto solet civitas illa instrui, cum publico aliquem excipit honore (æqua enim alia ratione possum magnificum hoc spectaculum declarare?), fluvius omnes unus erant. Nilum etiam quivis poeta dixerit, illum, inquam, vere auristum et spicis uberem, ab urbe ad Chereu retroacto cursu fluentem, diurno, imò longiore itinere. Liceat mihi per vos, quæso, paulum adhuc in hac narratione luxuriari; eo namque fertur animus, nec sermonem ab ea celebritate revocare facile possum. Pullus vehebat (absit, quæso, insanis suspicio), haud secus fere ac Jesum meum pullus ille famosus, sive gentilis populus, quem consensu benefico, ignorantis vinculis absolvit, sive quid aliud hisce verbis designetur. Hoc unum interfuit discriminis, quod Christum rami exceperunt, et varia indumenta, multiplices fororum genere

(a) Athan. *Apol. contra Arian.*, n. 57, et *Historia ad nonachos*, n. 25.

(b) Athan. *ibid.*

constrata; excelsus autem et magnificus vir Athanasius id honoris minime consecutus est; Christi scilicet adventui impar. Hac quoque in re adventus Christi expressam imaginem cernere licet, quod erant etiam qui præeundo clamarent, ac chorum agerent: nisi quod non puerilis solum turba faustis virum acclamationibus exciperet, verum etiam omnis lingua concors et adversaria hominum sese mutuo superare contendentium. Nam quid publicos plausus commemorem, et aromatum profusiones, pervigilia et totam urbem lumine coruscantem, cæteraque omnia lætitiæ argumenta, quæ Athanasio amplissime, imo supra fidem conferebantur? Sic vir exlimius, ac cum tali pompa et celebritate civitatem suam ingreditur. »

11. Etsi porro Gregorius Nazianzenus Athanasii relictum, qui anno 362, post Georgii necem contigit, narrare se profiteatur, certissimum tamen, exque ipsius verbis exploratum videtur, complura hic recensita ad reditum et ingressum Athanasii Alexandriam pertinere anni 349, imo vero utrumque ingressum promiscue superiori narratione describi existimatur. Nam quæ de Constantio commemorantur, suadent istum, quem narrat ingressum, superstite adhuc Constantio contigisse; qui cum anno 361 vitam clausisset, hinc sane consequitur non posse isthæc ad annum 362 referri, sed esse in annum 349 conferenda. Inferius item Gregorius Nazianzenus, orat. 21, postquam de Athanasii vexatione et fuga sub Juliano Apostata verba fecerat, hæc adjicit: "Εἰς γὰρ τρισὶ παλαίσμασι τὸν γεννάδα νικῆσαντα τελεῖας τυχεῖν καὶ τῆς ἀναρρήσεως, id est: « Fortissimum enim virum triplici certamine vincere oportebat, ut perfectum inde præconium consequeretur. » Quo liquidum est, hinc eum sub Constantio exsilia et certamina miscere, atque ut unum enarrare; ita ut quod sub Juliano contigit, quartum numero, ut tertium ipse recenset. Primo namque Treviris exsulavit Athanasius sub Constantino; secundo Romæ et in Occidente regnante Constantio; tertio in deserto Ægypti et Thebaidos eodem imperatore, quo defuncto, Alexandriam reversus est, quarto sub Juliano Apostata. Cæterum quæ de Philagrino habentur apud Gregorium, quæque nos brevitate causa prætermisimus, ἀσύστατα sunt. Neque enim ad secundum vel ad tertium Athanasii reditum pertinere possunt. Nam anno 349, non Philagrius, ut innuit Gregorius Nazianzenus, sed Nestorius erat Ægypti præfectus. Anno autem 362, non potuit Philagrius eam gerere præfecturam, cum teste Nazianzeno et ipso Athanasio bis solum præfecturam obierit; primum anno 335, ut liquet ex Tyriæ synodi epistolis; secundum, anno 344, in Gregorii ingressu Alexandriam, ut enarrat Athanasius. Quem Philagrium, hominem sane sce-

leratissimum, non probe norat Gregorius, qui tot laudibus exornavit.

12. *Mors Pachomii. Ejus sententia de Athanasio.* — Quo tempore Athanasius a comitatu in Ecclesiam suam revertebatur, monachi quidam Pachomii, ex quorum numero abbas Zacchæus erat, Antonium magnum in exteriori monte tum versantem adeuntes, renuntiavit obisse Pachomium (a); quos ille multis consolatus sciscitabatur, quis jam ejus vices impleret. Responderunt, Orsisiu esse. Quibus ille: « Ne Orsisiu, inquit, sed Israelitam nuncupetis. Si vero ad episcopum Athanasium, virum eo gradu dignissimum, vobis est iter, sic ipsum meo nomine compellate: « Hæc tibi commendat Antonius: Curam habe filiorum Israelitæ. » Quo dicto, B fausta illis precatus, non sine commendatitiis ad Athanasium litteris dimisit. Qui ut Alexandriam pervenerunt, a sanctissimo pontifice ob Antonii commendationem magna benevolentia significatione excepti sunt. » Hæc in *Vita Pachomii*. Nec prætermittenda quæ inferius eadem de re feruntur. Pachomius cum didicisset Athanasium fidei causa exsulare, non diu ante prædixerat eum cito rediturum ad Ecclesiam suam. Qui sanctissimus monachorum pater sub ipsum Athanasii reditum, signis et virtutibus clarus, diem clausit extremum. Diu ante obitum his fratres suos, Theodoro monacho presente, sermonibus est allocutus. « Futurum est ut nostris quoque temporibus tria in Ægypto præclara Dei beneficio lumina intueamur, in laborantium omnium commodum atque utilitatem, Athanasium videlicet episcopum, Christianæ fidei fortissimum vindictam; abbatem Antonium solitariae vitæ perfectissimum exemplar; fratrumque Tabennesiotiarum cœtum, qui omnibus salutem consequi cupientibus in præclarissimum exemplum ac normam propositi sunt. »

13. *Ursacii et Valentis pœnitentia.* — Cum cernebant porro Ursacius et Valens tantam in Athanasii rebus inclinationem, sua se damnante conscientia Mediolanum sunt profecti; ubi proscripta atque condemnata Ariana hæresi, conflictata esse declarant crimina a se pridem Athanasio oblata. Miseruntque ipsi Athanasio conciliandæ gratiæ causa litteras, tametsi nullas ab eo acceperant (b). Verum, ut ex postremis hominum gestis exploratum fuit, non ex vera illi maleficiorum pœnitentia Athanasii amicitiam et communionem expetebant: sed quia ut res sese dabant, ad quascunque transire partes prompti paratique erant; tum labefactatis ac prope desperatis Arianorum rebus, æstimabant haud sine magno periculo posse se cœptis insistere. Animo autem ita fracti, ita prostrati erant, qui nec diu antea pestem catholicæ reipublicæ moliebantur, ut supplices Romam concederent: ubi maledicta atque crimina

(a) *Vita S. Pachomii, Acta SS., Maii die 14, p. 324, 326.*

(b) *Athan. Apol. contra Arian., n. 37; Historia*

*ad monachos, n. 26; Socrat. lib. II, cap. 24; Sozom. lib. III, cap. 25 et 24.*

a se hactenus in Athanasium congesta immerenti oblata fuisse confessi, veniam a Julio papa et communionis societatem postulant. Pontifex, ut prior erat ad condonanda, quam scelesti illi ad perpetranda facinora, homines admisit ad ecclesiasticam communionem. Reversi ad suas sedes, necdum posita formidine, litteras pœnitentiæ suæ testes mittunt ad Julium papam: quarum exemplar Athanasio per Paulinum Tiburensis episcopum transmissum fuit. Tiburensis enim, non Trevirensis hic legi oportere propalam est; quando in mss. Τιβέρων legitur, et episcopus Tiburensis apud Photium vocatur ἐπίσκοπος Τιβερέων. Sane veri similis est Tiburensis episcopum Italum, quam Trevirensis, litteras Valentis et Ursacii ad Julium Athanasio misisse. Initio falebantur; fictitias se criminationes in Athanasium protulisse; Julium tamen pro insita humanitate veniam facti tribuisse. Polliceri se, si ab Orientalibus vel ab Athanasio in jus vocentur, citra conscientiam Julii non adfuturos; hæreticum Arium damnare se, ac semper damnasse. Quod jam in priore libello suo Mediolani professi fuerant. Ut autem Athanasii quoque gratiam inirent; pacificas ipsi litteras per Musæum presbyterum miserunt, rogantes ut se ad communionem admitteret, litterasque mutuo daret ipse in concordia societatisque testimonium. Secundum hæc Ursacius et Valens, oblatis sibi Athanasii nomine per Petrum et Irenæum presbyteros et per Ammonium laicum litteris, libenter subscriperunt.

14. Tam fausto rerum exitu, quæ jubilatio, quæ lætitia omnium subierit animos, Athanasio narrante comperimus (a). « Quis, inquit, his animadversis, tantæque Ecclesiarum pace conspecta rem non miratus est? Quis non gaudio perfusus est; tantam cernens tot episcoporum concordiam? Quis non laudibus Deum celebravit, perspecta in synaxibus tanta populi lætitia? Quantus eorum numerus, qui cum inimicis ante computati, respicientiæ signa dederunt? Quam multi qui prius crimina objecerant, veniam sunt peccati? Quam multi ex inimicis inter amicos, versa rerum conditione, annumerati sunt? Quam multi litteris ante vfrum criminati, palinodiam cecinerunt? Quot alii, qui non proprio consilio, sed vi atque necessitate compulsi ad Arianos desciverant, noctu veniam precaturi accedebant: hæresimque ferientes anathemate, rogabant non sibi vitio verti, quod metu insidiarum criminationumque, eorum conventibus interessent, cum tamen corde et propensione voluntatis cum Athanasio convenirent! » Quorum tamen postulationi vix credatur Athanasium obtemperasse, cum nullatenus licitum sit vel formidinis, vel humanæ gratiæ causa a Catholicorum cœtibus ad hæreticos desciscere.

15. *Damnatur Photinus.* — Eodem anno Sirmii

(a) *Hist. Arian. ad monachos*, n. 27.

(b) *Hilar. col.* 1206; *Sozom. lib. iv*, cap. 6.

(c) *Socr. lib. ii*, cap. 20; *Sozom. lib. iii*, cap. 21.

contra Photinum hæreticum synodus sententiam tulit (b). Qui damnatus cum fuisset, interpellante turba populi, cui adhuc erat eloquentiæ gratia acceptissimus, abdicatus, uti decretum fuerat, sedēque pulsus non est. Photini damnationem episcopi Sirmienses missis undequaque litteris publicarunt. In Oriente vero, præsules erant prompti semper paratique ad captandas belli turbarumque occasiones: qui data ad Occidentales epistola Marcellum Ancyranum Photini conscium et ὀμώρρονα esse criminabantur, eo nempe consilio ut Sardicensis synodi, quæ Marcellum innoxium declarabat, acta abrogare et evertere possent, exindeque facultas foret Athanasii denuo criminandi.

ANNO 350. — 1. *Athanasii redactis gesta in Arianos.*

B — Athanasius interea sedi suæ restitutus, Arianosque nec indiligenter adortus, rescriptis, orationibus, litteris undequaque missis exagittabat. Si fides est Socrati Sozomenoque (c), ejus sectæ præsules, quos pravi consilii errorisque tenaces conspiceret, abdicabat, ut eorum sedes probis catholicisque viris contradideret; ac Nicænae fidei hærentibus. Et vero episcopi Alexandrini, cujus summa erat in Ægypto et Libya auctoritas, hoc munus hoc officium erat, ut hæreticos antistites, qui in popularium perniciem spargendis erroribus advigilarent, sede pelleret atque profligaret. Verum quod lidem narrat, sanctum nempe præsulem, cum in reditu varias peragraret provincias, si quos deprehenderet episcopos Ariana labe conspersos, in ordinem redelegisse, aliisque contulisse dignitatem, haud facile credatur: si quidem et magnæ invidiæ res fuisset in alienis regionibus episcopos abdicare, et ingentis operæ, transeunti maxime atque ad imperatorem properanti, invitos deturbare, quibus haud dubie non spernenda civitatum pars hæretet. Mirum profecto, si sic res acta sit, Arianos episcopos non acrius expostulasse cum illo, qui quavis minima occasione ingentes excitare turbas soliti erant. Quid causæ igitur est, quod hujusmodi querela inter accusationes infra memorandas, non compareat? Nimirum de abdicatione præsulum non in crimen vocassent, qui quod Ischyram, qui vacuum presbyteri nomen usurpabat, sacrorum officio et aditu interdixisset Athanasius; eum infinitis prope calamitatibus, vexationibus, exsilio demum multari curaverant?

2. *Constans occiditur. Cædes Romæ.* — Ineunte anno 350, conspiratione Marcellini, Chresti et Magnentii cæsus sublatusque est Constans Augustus, servens Athanasii patronus (d). Magnentius autem, occupato Occidentis imperio, bellum parabat adversus Constantium. Audita Constantis nece, Vetricio quidam in Pannonia legatus, curavit a militibus imperium deferri sibi. Ut autem permistis rebus, turbatoque imperii ordine, solent multi in ejus potiundi spem venire, Nepotianus Eutropii sororis Constantini fi-

(d) *Eutropius, Zosimus Socrat. lib. ii*, cap. 25; *Sozom. lib. iv*, cap. 1 et seqq.

lius Romæ inauguratur; sed vixdum elapsis xxviii A diebus a Magnentii legato Marcellino vicus perimitur. Tum Roma Nepotiani cognatorum familiarumque sanguine cruentata (a). Eutropium ejus mater obtruncata est: cæsi item Abuterius et Spontanus de Athanasio bene meriti, qui eum, cum Romæ degeret, beneficiis donisque cumularant. Quorum omnium casum deploravit, fuscisque lacrymis prosecutus est Athanasius.

3. *Constantius bello Persico expeditus. Magnentius oratores mittit ad Constantium.* — Dum seditionibus Occidens conflagraret, in Oriente Persæ redintegrato bello sub Sapore rege (b), Nisibin Orientalium partium præsidium jam tertio obsidebant. Cumque contra tantas difficultates Constantius consilio satis providere non posset, opportune accessit Dei subsidium. Precibus namque Jacobi Nisibensis tum sanctitate signisque præclari, Persæ variis divinitus immisissis cladibus calamitatibusque afflicti, fugati tandem sunt. Constantius vero ea parte sollicitudinis levatus, diligenter undique in Vetricionem et Magnentium copias cogeat, ingentique comparato exercitu, milites quosque hortatus est, qui nondum sacro baptismatis fonte abluti essent, ut quamprimum sacramenti hujus beneficio peccatorum sordes deponerent. Inter hæc Magnentius oratores ad Constantium misit Servatium Tuugrensem episcopum, et Maximum item episcopum, aulicosque duos, Clementium et Valentem. Valens in Libyam contendit, ejus, ut videtur, ad defectionem sollicitandæ studio. Athanasius porro cum accepisset Valentem per Libyam iter habere, vehementer extimuit, veritus ne quidpiam ille facinoris aggrederetur; neu Constantis amicis, quibus ipse cum primis annumerabatur, violentas inferret manus. Quorsum autem abierint ejusmodi Valentis molimina, quive rei fuerit exitus, non fertur apud illius ævi scriptores. Clementius alter legatus, Alexandriam profectus, Athanasium convenit; cumque de Constante suorum perfidia trucidato verba faceret, in lacrymas sanctus præsul erupit, gemitibusque viri cædem lamentabatur. Tum pro Constantii incolumitate Domini opem imploravit; præsentibusque Felicissimo Ægypti duce, Rufino thesaurario, Stephano magistro, Asterio comite, Palladio palatii magistro, qui ambo missi fuerant, ut mox diceretur, a Constantio; Antiocho et Evagrio agentibus in rebus, hæc supplices emittebat voces: *Oremus pro salute piissimi Augusti Constantii.* Populusque una voce statim acclamavit: *Christe, auxiliare Constantio.* Et hæc precando aliquandiu perseveravit.

4. *Arianis crimina redintegrant in Athanasium.* — Constantis metu et auctoritate perterriti Athanasii adversarii, nihil ausi sunt, illo superstite, in sanctum præsulem movere (c). Ejus autem evulgata

nece, rumores denuo spargere cœperunt, atque occulte maledictis serpere, crimina jam olim oblata, totiesque depulsa eumentiri vera esse, Arsenii necem, mensam eversam, fractum poculum denuo opponere, eo nempe consilio, ut versa rerum conditione, liberi metu, Athanasium aliosque infestos sibi præsules astu insidisque circumvenirent. Quibus perspectis Athanasius prolixam illam edidit apologiam, antequam, ut ex compluribus ejus locis animadvertere est, Ursacius et Valens, qui ficta poenitentia defecerant ab Arianis, mutata iterum sententiæ signa darent, ac nova molirentur in Athanasii perniciem. In ea igitur apologia vir sanctus ex ipsis rerum actis et monumentis falsa sibi comprobata, et jam multoties repulsa objici crimina: malam mentem, malam animum inimicorum patefacit. Supervacaneum ait, de quibus toties judicatum fuerat, eadem denuo in judicium vocari. Esse Ursacii et Valentis poenitentiam ad innocentiam suæ testimonium satis; suo ipsos nutu, nulloque cogente, facti veniam postulasse. Cætera autem que ille persequitur, suis jam in locis descripta et enarrata sunt.

5. *Constantii litteræ ad Athanasium.* — Ait porro Socrates (d), eosdem Athanasii adversarios nomen ejus apud imperatorem detulisse, quod per Ægyptum atque Libyam turbas seditionesque concitaret, atque præter Ecclesiæ regulam in alienis provinciis episcopos constitueret. Verum Constantius Magnentiano tum bello occupatus, ac propediem pugnam commissurus, veritus, ut credibile est (e), ne, si quam Athanasio inferret molestiam aut calamitatem, hæc causæ irarum suborirentur ac seditionum apud Alexandrinam plebem Athanasii amantissimam, Asterium comitem, olim Armeniam ducem, et Palladium palatii magistrum misit cum litteris ad Felicissimum Ægypti ducem et ad Nestorium præfectum, arceri jubens Philippum quemdam ac quemvis alium ab insidiis Athanasio parandis. Iisdemque litteras dedit Latine scriptas ad Athanasium deferendas; quibus deplorata Constantis fratris necem, Athanasium fidere jubet, nec adversariorum machinamentis perterriti, sed populum edocere veram pietatem ac religionem, velle se ac peroptare ut in sede Alexandrina imperturbatus semper consistat. Hæc litteras Athanasius ceu inducias belli, haud ita multo post futuri, accepisse videtur: non ignarum quippe fuisse arbitramur, exasperatum Constantii animum simulato beneficio occultari.

6. *Vetricianus abdicatus.* — Constantius porro cum grandi itinere multisque peragratis nationibus in Daciam pervenisset, Vetricionem numero instructum exercitu offendit (f); eventumque pugnae reformidans, ut astu declinaret, de pacis conditioni-

(a) Athan. Apol. ad Constant., n. 6.

(b) Victor., Eutrop., Zosim.

(c) Apolog. contra Arian, sub initium.

(d) Lib. II, cap. 20.

(e) Apolog. ad Constantium, n. 22, 23; Historia ad monachos, n. 24.

(f) Socrat. lib. II, cap. 28; Sozom. lib. IV, cap. 4; Zosim. lib. II.

bus agere velle simulat. Tum ubi senex ille, Constantii arte delusus, in conspectum ejus venisset, in suggestum ambo conscendunt, circumstantibus undique militibus. Constantius autem, qui occulta largitione militum sibi animos devinxerat, pluribus commemorare Constantini beneficia, sacramenta militum ob oculos ponere, rem indignam dicens, tyrannum cæso Constantini filio imperium invasisse. Tum milites uno ore clamare, non nisi Constantini filio deferendum imperium esse, ipsum solum inaugurari oportere. Vetranio autem tanta rerum inclinatione perterritus, protinus ex suggestu descendens, insignia imperii ad pedes Constantii deposuit; quem perhumaniter Constantius exceptum, Prusiamque in Bithynia missum, omnibus ad victum honestumque cultum necessariis instruxit. Senex vero piis hinc operibus deditus, reliquum vite suæ tempus probe et ut Christianum decebat exegit. Contigit Vetranionis abdicatio anno Domini 350, die vicesima quinta Decembris.

ANNO 351. — *1. Sirmiensi synodus Photinus ablegatur in exsilium.* — Anno sequente celebratur secunda Sirmiensi synodus adversus Photium, versante tunc Sirmii Constantio (a). Qui aderant episcopi, maxima pars Orientales erant. Photinus porro, cum obstinato animo ad extremum usque errores propugnaret suos, impiæ doctrinæ causa damnatus depositusque fuit. Quo peracto, aliam fidei formulam adjectis duodeciginta anathematismis ediderunt Orientales, quam transmisere nobis Athanasius et Hilarius (b). In ea tametsi nihil comparet ab ecclesiastica fide absonum, id suspiciosum tamen est quod τοῦ ὁμοουσιου nomen tacetur, nec excluditur hæreticos venenum. Photino oblata fidei formula est, ut, si eam vellet subscriptione sua munire, integris rebus suam repeteret sedem. Respuit ille conditionem, adiensque Constantium, se immerentem vexari et abdicari querobatur; si copia foret sibi congregandi cum adversariis, ex Scripturarum se testimoniis sententiam suam confirmaturum. Constantius autem Photini conquestione permotus, septem aulicis designatis, jubet coram ipsis iniuri controversiam. Quanquam turpis conditio, quia tamen id imperatori in optatis erat, deligitur a synodo Basilius Ancyranus, qui Photium ipso præsentis Constantio confutavit, atque ex saceris Scripturis coarguit hæreticum esse. Hic deinde in exsilium deportatus, multis post annis in impietate perseveravit. Et quia rebus suis augendis strenue Ariani invigilabant, Germinium quemdam suæ factionis hominem curarunt in Photini locum cooptari.

*2. Mursina clade acciæ res Magnentii.* — Eodem anno, commisso ad Mursam prælio, diu aucipiti Marte pugnatum est. Victus demum Magnentius in Italiam se recepit, ut pro facultate copias instauraret. Accidit autem, ut tempore pugniæ, dolo ac simulatione Valentis ejus civitatis episcopi, Constan-

tius, qui jam nimum in Arianas res animo propebat, totus demum ad hæreticorum partes accederet. Quod qua ratione gestum sit, ita narrat Sulpitius Severus: « Nacti ergo Ariani istiusmodi occasionem, conspirant penitus Sardicensis synodi decreta subvertere. Etenim eis color quidam suppetere videbatur: quod tam injuste fuisset pro Athanasio judicatum, quam Marcellus fuerat absolutus, qui nunc etiam Athanasii judicio hæreticus esse probaretur. Namque Marcellus Sabellianæ hæresis assertor exstiterat; Photinus vero novam hæresim jam ante protulerat, a Sabellio quidem in unione dissentiens; sed initium Christi ex Maria prædicabat. Igitur Ariani astuto consilio miscent innoxium criminosis damnationemque Photini et Marcelli et Athanasii eadem sententia comprehendunt: illud nimirum apud imperatorum animos præstruentes, ut non putarentur de Athanasio perperam judicasse, qui de Marcello et Photino vera sensissent. Verumtamen ea tempestate Ariani perfidiam suam occultabant, non ausi palam erroris sui dogmata prædicare; catholicos se gerebant, nihil sibi prius agendum rati, quam ut Athanasium Ecclesiæ submoverent, qui semper eis velut murus obstiterat, quo remoto reliquos in libidinem suam cessuros sperabant. Sed pars episcoporum, quæ Arium sequebatur, damnationem Athanasii cupitam accepit, pars coacti metu et factione in studia partium concesserant. Pauci, quibus fides chara et veritas potior erat, injustum judicium non receperunt; inter quos Paulinus episcopus Treverorum, oblata sibi epistola ita subscripsisse traditur, se in Photini atque Marcelli damnationem præbere consensum, de Athanasio non præbere. Tum vero Ariani, ubi doli parum processerant, vi agere decernunt. Namque quodlibet audere atque agere facile erat, regis amicitia subnixis, quem sibi pravis adulationibus devinxerant: quin etiam ex consensione multorum inexpugnabiles erant. Nam omnes fere duarum Pannoniarum episcopi, multique Orientalium ac tota Asia in perfidia eorum conjuraverant. Sed principes mali istius habebantur a Singiduno Ursacius, Valens a Mursa, ab Heraclia Theodorus, Stephanus Antiochenus, Acacius a Cæsarea, Menophanes ab Epheso, Georgius a Leodicea, Narcissus a Neropoli. Hi ita palatium occu-paverant, ut nihil sine eorum nutu ageret imperator: obnoxius quidem omnibus, sed præcipue Valenti deditus. Nam eo tempore, quo apud Mursam contra Magnentium armis certatum, Constantius descendere in conspectum pugniæ non ausus, in basilica Martyrum extra oppidum sita, Valente tum ejus loci episcopo in solatium assumpto, diversatus est. Cæterum Valens callide per suos disposuerat, ut quis prælii fuisset eventus, primus cognosceret: vel gratiam regis captans, si prior bonum nuntium detulisset; vel vitæ consulens, ante

(a) Socrat. lib. II, cap. 20; Sozom. lib. IV, cap. 8.

(b) Athan. I. *De synodis*; Hilar. *De synodis*.

capturus fugiendi spatium, si quid contra accidisset. Itaque paucis qui circa regem erant metu trepidis, imperatore anxio, primus nuntiat hostes fugere. Cum ille indicem ipsum intronitti posceret, Valens ut reverentiam sui adderet, angelum sibi fuisse nuntium respondit. Facilis ad credendum imperator, palam postea dicere est solitus, se Valentis meritis, non virtute exercitus, vicisse. Ab hoc initio illecti principis extulere animos Ariani, potestate regis usuri, ubi auctoritate sua parum valuissent. » Hæc Sulpitius Severus, cui in eo haud libenter astipulamur, quod ait Marcellum eo tempore hæretici loco habitum ab Athanasio, quippe cum in *Historia Arianorum* (a) anno 358 ad monachos missa, inter præsules qui rectæ fidei ac pietatis causa ab Arianis exagitati vexatique fuissent, annumeretur Marcellus.

ANNO 352. — 1. *Librum scribit Athanasius de Nicænis decretis, et de sententia Dionysii.* — Elsi vero omnia ad perniciem Athanasio inferendam parata, Arianumque bellum tot presulum hæreticorum opera mox redintegratum iri formido erat, in pace tamen Alexandriae versabatur Athanasius, veræ fidei tuendæ augendæque plurimum intentus. Populus autem Alexandrinus, sancti viri monitis et exemplis institutus, florebat pietate, vera fide morumque probitate ornatus. Quæ res Eusebii sodalium invidiam inflammabat. Quærere illi semper spatium occasiuemque turbarum, nova machinamenta comminisci, quibus tantum pietatis studium inturbarent. Aliquot tamen annis Athanasio licuit in sua ecclesia considerare, donec scilicet Arianorum furor, ope principis, quo erumperet haberet locum. Nec deerant interea quædam ceu velificationes, in diesque controversias agitari videre erat, ut solet fieri cum contraria studia multitudinem in varias distrahant partes. Erat tum quidam ex Athanasii familiaribus, qui de fide frequens cum Arianis disceptabat, litterisque monebat Athanasium quid utrinque dictum allatumque esset, qua quisque ratione sententiam asserere suam satageret (b). In quadam vero disputatione, cui nonnulli intererant Eusebii familiares, cum fracti Ariani planeque ab hujusmodi viro confutati; eo tandem argumentorum inopia confugerent, ut Nicænam synodum, quia vocibus ex Scriptura sacra non mutatis usa fuisset, repudiarent: rein ille Athanasio significat. Quapropter Athanasius hunc circiter, ut putamus, annum epistolam dedit de Nicænis decretis inscriptam; ubi quæ gesta sint in sacra illa synodo, cui ipse præsens interfuerat, recenset, quæve causa fuerit vocis *ὁμοούσιον* usurpandæ, quo pacto Eusebius ipse Pamphili vocem illam censuerit admittendam in sua ad Cæsarienses epistola, neque deesse ex antiquis Patribus qui ea ipsa aut similibus sint vocibus usi. Theognostum dicit, Dionysium

Alexandrinum, et gentilem ejus Romanum, Origenemque. Memorat autem fusiorem epistolam, quam eidem familiari rescripserat, jamque injuria temporum amissam. Vocem etiam *ἀγέννητον*, in cujus usu ludebant Ariani, quoad varias quibus accipi solet significationes erudite explanat. Occasione, utquidem æstimamus, hujus epistolæ, Ariani cum eodem Athanasii amico congressi, Dionysium Alexandrinum sibi suæque sententiæ astipulari contendebant (c). Et sane Basilius non obscure innuit, minus probe de ortu Filii Dei verba fecisse Dionysium. Verum Athanasius, data iterum epistola, sanam sancti viri fuisse fidem comprobat ex aliis ejusdem scriptis et operibus. Quæ res, quia pluribus jam a nobis pertractata est, ne historiæ fines prætergressi extra metam excurramus, non ulterius hic indagabitur.

2. *Julii mors, et Liberii exordium pontificatus.* — Hoc anno, duodecima mensis Aprilis, Julius, invictus ille Athanasii patronus, diem obiit extremum, cum sedem apostolicam rexisset annos quindecim, menses duos, tresque dies. In ejus vero locum die vicesima secunda Maii deligitur Liberius Romanus. Is, si quid fidei vel auctoritatis inesset epistolæ (d), quæ illius nomine inter Hilaril Fragmenta circumfertur, mox ab initio pontificatu Athanasio infestus, virum a societate et communione sua repulit. Eumvero cum litteras, ut fertur ibidem, adversus Athanasium ab Orientalibus Julio missas, ipso interea demortuo, Liberius excepisset, presbyteros Lucium, Paulum et Helianum cum litteris Alexandriam legavit, Athanasio jubens ut maturaret Romanam, ex ecclesiasticæ regulæ præscripto oblatorum criminum redditurus rationem; si non properaret, Ecclesiæ Romanæ communione interdictum iri. Reversis autem legatis, renuntiantibusque Athanasium detrectare iter Romanum, Liberius missa ad Orientales epistola indicavit, cum illis sibi, minimeque cum Athanasio pacem et communionem esse. Verum, ut probe commonstratum a nostris fuit in postrema Hilaril editione, hæc epistola aperte vobisq̄ laborat. Athanasius enim, qui illatam sui damnandi causa Liberio vim variis in locis commemorat, nihil uspiam horum innuit; quodque plurimum urgeat, ipse Liberius, cum patrii soli repetendi desiderio flagrans, Orientalibus rescriberet (e), ait se virum ideo admisisse ad communionem, quia suscepisset eum decessor ejus Julius, ne in quorundam offensionem, despectis defuncti placitis, incurreret: at ubi deprehendisset jure damnatum fuisse, tum ejus abdicationi esse astipulatum. Quibus verbis palam innuit, se tum solum condemnasse Athanasium, cum Bercæam relegatus, tardio diuturnioris exsilii fractus, sedis suæ recipiendæ causa Arianorum, quos penes tunc summa rerum erat, gratiam efflagitaret. Quod ex aliis item Liberii

(a) Sub initium.

(b) Athan. epist. *De Nicænis decretis*, sub initium.

(c) Athan. epist. *De sententia Dionysii*.

(d) Hilar. col. 1527.

(e) Hilar. *Fragm.*, col. 1536.



apud Hilarium locis advertere est. Compertum itaque exploratumque nobis est Liberium, donec in exsilium pulsus ab Athanasio deficeret, ejus semper fuisse partibus addictum.

3. *Livor Arianorum præsulum in Athanasium.* — Hoc circiter tempus Arianorum principes, Leontius Antiochenus, Georgius Laodiceus, Acacius Cæsariensis, Theodorus Heracleotes, et Narcissus Neroniadis, qui omnes, Leontio excepto, abdicati fuerant in synodo Sardicensi (a), invidia juxta atque metu agitati, magnis rursus excitandis tumultibus atque turbis intenti sollicitique erant. Et quidem invidia illi summa flagrabant, quod tantam cernebant episcoporum cum Athanasio concordiam : nam plus quadringentis erant, qui cum illo pacem et societatem foverent. Metu item laborabant, ne episcopi nuper fraude ac insidiis suis circumventi, ad tantam multitudinem paulatim defluerent, neu deserti illi, hæresisque eorum infamata, in triumphum, ait Athanasius, una ducerentur. Tantæ ergo calamitatis declinandæ causa, primum Ursacio et Valenti auctores sunt, ut mutata iterum sententia, ad suas denuo partes deficiant, idque excusationis obtendant, se nimirum Constantis Augusti formidine compulsos fuisse ad pœnitentiam simulandam. Quæ res tamen, ait Athanasius, prorsus commentitia erat. Nullo siquidem compellente, nullo cogente, nullo accersente, ipsi ultro Romam profecti, in cœtu Ecclesiæ, ubi nulla extranea formido erat, facti veniam precati sunt. Id vero, mea quidem sententia, sic intelligatur; non quod illi nullo imperatoris Constantis urgente timore ad simulandam pœnitentiam deducti sint (ad quid enim illa tanta terroris, tanta fracti animi signa pertinerent, nisi imperatoris metus accessisset?), sed quod nulla Constantis jussione, nullis intentatis minis, ipsi ultro ejus mandata prævertentes, factorum se pœnitere simulaverint. Ad hæreticorum itaque catervam reversi Ursacius et Valens, una cum aliis imperatorem adeunt; cui ea commemorarunt, quæ jam prænuntiassent ante Athanasii reditum, nimirum si exsuli foret ad ecclesiam Alexandrinam regressus liber, exitium sectæ suæ parari; omnes ab hujusmodi viro Arianis infestissimo, a suis partibus abductum iri, periculumque fore ne ipsi mox soli, deficientibus omnibus, deserantur, atque cum Manichæis annumerentur hæreticorum nequissimis.

4. *Athanasius Constantium mitigare frustra tentat.* — Constantius autem, qui tum Magnentii debellandi causa properabat (b), conspecta tot tantorumque episcoporum cum Athanasio societate, atque iis et similibus Arianorum verbis inflammatus, cum rem concoquere non posset, exinde viro adversari calamitatesque parare cœpit, juramentorum juxta ac litterarum, fraternique officii immemor : quæ quidem tertio post anno in apertum bel-

lum eruperunt. Athanasius porro cum exacerbatum imperatoris animum esse cognosceret, persuasumque haberet insidias sibi in palatio adornari (c); ipse quidem ad imperatoris comitatum proficisci nec ausus, nec e re fore sua ratus, delectos quinque episcopos, ex quorum erat numero Serapion Thmuitanus, admirabili vir sanctimonia et eloquentia, parque tali negotio gerendo, ad imperatorem in Occidentis partibus tum degentem misit, datis legationis comitibus tribus presbyteris, qui omnes una a se aversum Constantii animum mitigarent, et adversariorum criminationes depellerent, cuncta denique agerent, quæ cum sibi tum Ecclesiæ conducere existimarent : qui, ut ex subsequentibus gestis licet augurari, re infecta reversi sunt.

B Anno 353. — 1. *Magnentii mors.* — Magnentius autem, qui post Mursinam cladem sese Aquileiam receperat, victus in Italia anno 352, cum ad Alpes præsidii causa concessisset, demum accisis rebus anno 353 Lugduni manus intulit sibi, cum tres annos ac dimidium tyrannidem occupasset (d). His prospere gestis, Constantius victoria elatus, superbiæque tumens, eo insanie progressus est, ut æternum se dominumque totius orbis, nec sine risu gentilium, appellari juberet. Tum videre erat assentantium Arianorum impudentiam, qui Filio Dei æternitatem denegare ausi, leviusculi ingenii hominem, æternum compellere non verebantur. In cujus appellationis insolentiam acriter invehuntur Athanasius, Hilarius, et Lucifer Calaritanus.

C 2. *Fraus Arianorum insignis.* — Hoc item anno Ariani episcopi sua contra Athanasium molimina orsi, fictitias litteras Constantio obtulerunt (e), quasi ab Athanasio conscriptas, quibus rogaret, ipsius Augusti adeundi gratia, facultatem sibi in Italiam properandi concedi, ut una de ecclesiasticis instaurandis rebus agere liceret. Eo autem, ut videtur, consilio his insidiis usi sunt Ariani, ut quia sancto præsuli Alexandrini populi amor præsidio erat, facilius esset peregrinanti perniciem machinari. Et fortassis ipse Constantius in partem fabulæ venerat. Vix namque credatur, imprudente imperatore, Athanasii nomine litteras exarare ausos fuisse Arianos; cum mox Athanasio reclamante, fraudemque aperiente, exploratum foret, inscio episcopo, inimicorum dolo datas fuisse. Epistolam porro Constantii, qua quod fraudulentis litteris postulatam fuerat concedebat, Athanasio detulit Montanus Palatinus; atque ut ex Athanasii verbis conjectare licet, publici vehiculi copiam faciebat imperator ad Italicum iter instituendum. His acceptis litteris Athanasius, animadversaque inimicorum conspiratione, scripto verboque significavit se iter minime detrectare, si imperator accerseret : at cum non suo ille nutu, sed dolo Arianorum litteras dedisset, quasi ipse proficiscendi facultatem petiis-

(a) Athan. *Hist. Arian. ad monachos*, v. 28.

(b) Athan. *Hist. Arian. ad monachos*, n. 30.

(c) Sozom. *lib. iv, cap. 9.*

(d) Athan. *lib. De synodis*, sub initium; Ammi-  
anus Marcel. *lib. xv.*

(e) Athan. *Apolog. ad Constantium.*

set, qui ne id cogitaret quidem, nequaquam iter ingressurum, nisi sincera et imperatoris consilio data epistola accederet. Et hoc in capitale crimen Athanasio vertere Ariani sunt conati, ut narratur inferius.

3. Hæc circiter tempora, annum quippe assignare in promptu non est, aliud contigit, ex quo item criminandi Athanasii materiam nacti sunt ejus adversarii. Erant Alexandriae ecclesiae permultæ, sed pro populi frequentia ita angustæ, ut haud sine præfocationis periculo posset Christianorum turba conventus celebrare (a). Quæ causa fuerat, ut Gregorius ὁ ψευδοπίσκοπος, impetrata ab imperatore Constantio facultate, Adrianum, sive templum ab Adriano excitatum, in ecclesiam convertere aggressus, ædificium opibus Constantii extrueret, ita tamen ut nondum confecto opere obtruncatus ille fuerit. In quadagesimæ igitur synaxibus, ob locorum angustiam ingentemque populi frequentiam, multi infantes, mulieres, ancilæ, adolescentes, compressi ac pene exanimati domum delati sunt, ita tamen ut nullus, Deo concedente, exstingueretur. Sed universa multitudo, conqueri, obmurmurare postulareque ut in magna ecclesia, licet nondum absoluto opere, conveniretur. Accedente autem Paschatis solemnitate, ingens Christianorum frequentia cogitur, et grandi edito tumultu rogare omnes ut in eam ecclesiam conventus causa concederetur, ne cæterarum angustia ecclesiarum multos in periculum conjiceret; Athanasius contra hortari, turbamque obsecrare, ut nihil properantius ageretur, remque tantisper differrent, et donec completum opus esset, in aliis ecclesiis collectas celebrarent. At, quod fere fit in populi turba, ut quod semel apprehenderunt, exuere ac repudiare vix possint, nequaquam illi obtemperarunt; imo parati erant ex urbe egredi, et ad deserta loca orandi causa proficisci. Malebant quippe itineris perferre laborem, quam cum mœrore festum peragere. Tum Athanasius populo morem gessit, veritus et ipse ne cum discrimine vitæ conventus ageretur. Qua de re item vir sanctus in capitis crimen vocatus est. Ita nimirum, ut ipse nec semel conqueritur, erat opportunus insidiis atque eriminationibus hæreticorum.

4. *Calumniæ Ariatorum in Athanasium.* — His machinationis Ariani Athanasio exitum parabant, quod videlicet putarent perniciem ejus cum magna catholice rei calamitate esse conjunctam. Næ illi jam inveterata priorum criminum invidia, Arsenii necem, mensam subversam, aliaque id genus missa faciunt: gravioraque commenti, Athanasium reum agunt apud imperatorem (b). Etsi porro quædam crimina jam meminimus ab Ariani Athanasio oblata, non ingratum lectori erit, si cum memorie causa, tum ut liceat hujusmodi eriminationes omnes quo ordine in medium allatæ sunt paucis intel-

ligere, omnia de novo breviter perstringamus. Hæc itaque deferunt illi ad imperatorem. Primo, quod crebris itionibus atque colloquiis Constantem Augustum in Constantium exasperare, odiaque et inimicitias inter fratres movere conatus esset. Secundo, quod Magnentii gratiæ ejus ineundæ causa misisset litteras. Tertio, quod in ecclesia Cæsareæ dicta, necdum absoluto ædificio, conventus habuisset. Quarto, quod jussus a Constantio in Italiam ipsius adeundi causa proficisci, non obtemperasset. Si quid loci æquitati reliquum fuisset, hisce calumniis non nisi post accuratam rerum perquisitionem fidem habiturus erat Constantius. At ille insidiis obsequisque Ariatorum circumventus, eunuchorum agniæ obsessus, quorum audacia ipso imperante nihil non moliebatur, horum consilio et opera nullam æqui bonique rationem habuit, sed exinde Athanasio necem quavis data occasione machinatus est.

5. *Synodus Arelatensis. Lapsus Vincentii Capuani.* — Constantius post debellatum extinctumque Magnentium in Gallias venit (c), Arelateque a die decima Octobris mensis ad annum Inennium 354 conseedit. Eo in loco adversus Athanasium signa canere cœperunt ejus adversarii, cum sancti præsulis abdicandi gratia auctores sunt imperatori convocandæ in ista urbe synodi. Sperabant scilicet, præsentis ac patrocinate Augusto, inimici arbitrio suo utiscendi facultatem fore sibi. Eo missi a Liberio sunt Vincentius Capuanus et Marcellus in Campania episcopus. datis quibusdam aliis viæ legationisque sociis. Quia vero decretum jam fuerat, ut Aquileiæ synodus celebraretur, non autem Arelate, postulatam accedebant, ut in illa prius assignata urbe evocarentur omnes. Detulit item Vincentius Orientalium litteras, nec non alias ab Ægyptiis episcopis octoginta in gratiam Athanasii conscriptas. Rogabat porro per oratores suos Liberius, ut de fide deque Athanasii causa sincera mente ageretur, quo vera nullisque obnoxia fraudibus insidiisve pax posset conciliari. Hanc Liberii postulationem perinique tulit Constantius, ut nullis postea ejus dictis excusationibusque mitigari poterit; tam feroci nimirum ex prosperis fortunæ casibus erat animo. Grandem in Vincentio Capuano spem repositam habebat Liberius, quod is rem quæ tractabatur apprime cognosceret, et index in eadem causa inter episcopos frequens sedisset. Interfuerat quippe Romane synodo ann. 342, Sardicensi ann. 347, et, ut veri quidem simile est, ipse Vincentius tum presbyter Nicæne synodo interfuit cum Vitone item presbytero, legati ambo a Sylvestro pontifice. Verum cessit res contra quam ratus erat. Ardens enim furore ac scelere in Athanasium Constantius (d), terrore omnia et formidine complet, exsilium interminatur episcopis, qui bene multi ex Italia eo concurrerant, nisi Athanasium ment.; Hilar. contra Arianos, (d) Sulpicius Severus.

(a) Athan. Apol. ad Constantium, n. 14.

(b) Athan., ibid.

(c) Ammian. Marcellin., lib. xiv; Hilar. in Frag-

proscriberent. Minis hujusmodi fractus perterritusque Vincentius, eo appulit animum, ut quem insontem toties declarasset, jam reum ageret atque damnaret. Et principio quidem ille integris rebus postulabat agi de fide. Id negabant Ariani episcopi, veriti ne si in medium afferretur hæresis Ariana, Occidentalibus stomachum faceret, ac deinde peroptatam ipsi Athanasii damnationem impetrare non possent. Rem paulo secus narrat Liberius (a), legatos videlicet, ubi urgeri se ad Athanasium damnandum conspexere, spondidisse virum se damnaturos, dum damnarentur item Ariani. Illi vero re secum deliberata respondent, non præsentis esse instituti Arii doctrinam proscribere, sed de sola Athanasii damnatione agi. Tum denique Vincentius tanta imperatoris formidine percussus est, ut contra quam vere sentiebat, simularet Athanasium se damnare, ejusque communionem respuere. Eam tamen postea maculam diluit Vincentius, ubi strenue Arianorum conatibus obstitit, abnuictque actis Ariminensibus suffragari.

6. *Paulini Trevirensis constantia et exsilium.* — Eadem in synodo Arelatensi fortitudine atque constantia emicuit Paulinus episcopus Trevirensis (b), qui Maximino successerat Athanasii necessario. Is, cum pari violentia, intentatis minis, episcopi Ariani instarent, juberentque ut cum Arianis anticitiam communionisque societatem iniret (c), Athanasiumque damnaret, maluit sceleratorum vindictæ subjacere, quam ad indecoram simulationem deduci, se Photinum aieni et Marcellum damnaturum, non adduci tamen posse ut Athanasium, quem insontem æstimaret. Cum autem e re fore sua putarent iniqui homines, si a tanto viro Athanasii damnatio extorqueretur, blandimentis atque promissis, quando vi nil impetrarent, id obtinere nisi sunt. Sed cum frustra se invictum Paulini animum tentare animadverterent (d), ut Ecclesia indignum atque nefarium in exsilium deportari curant. Sic autem vir ille fortissimus exsulavit, ut non diu eodem loco consistere liceret, sed ex alia in aliam urbem raptatus, varias peragraret regiones: eo nimirum consilio, ut fractus tædio diuturnioris itineris animo concideret, moremque generet Arianis. Dum vi compulsus sedes subinde commutat, in ea demum loca appulit, ubi Jesu Christi nomen non colebatur, in Phrygiam scilicet Montanistarum erroribus refertam. Erat siquidem impia mens nefariumque consilium Arianorum, ut vel fame istic interiret, vel pollutos execrandis Montani et Maximilla ritibus cibos, penuria cogente, comederet; qui demum, non fractus animo, sed inedia ærumnisque debilitatus, confessor et exsul occubuit anno 358.

ANNO 354. — 1. *Liberii gesta Athanasii causa.* — Post Arelatensem synodum, pacis conciliandæ

A specie, mandatum per Italiam totam prodiit, ut episcopi omnes Orientalium sententiis astipularentur, gravibus in eos qui non obtemperarent jactatis interminationibus. Liberius autem, cui tum cordi erat æquitatis veræque fidei causa (e), accepto legatorum suorum lapsu, tanto punctus est dolore, ut præoptandam sibi fuisse mortem testaretur Hosio rescribens, quam ut in legatis suis novissimus omnium Athanasii delator videretur esse, aut sententiis Evangelio adversantibus astipulari. Ac ne permultis Vincentii lapsus exemplo vel offendiculo foret, litteras mittit ad Cæcilianum Spoletanum episcopum, hominem cohortans, ut ne a probe consilio Vincentii transgressione evocaretur; firmusque persisteret in æquitatis veræque doctrinæ sollicitudine ac studio. Et vero ad magnum item Hosium dat litteras, deplorans legatorum lapsum. Quem Hosium, ceu quamdam Ecclesiæ columnam suspiciebant tum universi. Præter hæc autem de integro oratores ad Constantium mittendos censuit (f), Luciferum nempe Calaritanum, qui Liberium adiens, sese ultro legationi ad Constantium obeundæ obtulerat, Paneratum (Eutropium vocat Athanasius) presbyterum, et Hilarium diaconum cum epistola ad Augustum, datis item litteris, Eusebio Vercellensi eodem itinere, antequam Constantium adirent, tradendis: cujus hoc erat argumentum, solatio esse sibi invictam ejus fidem (g), quod sane commodum opportunumque accedebat. Nam post Vincentii casum, Orientalibus obtemperaturos fuisse reliquos per Italiam episcopos, nisi superveniens Lucifer ex Sardinia, qui probe norat eorum in Athanasium invidiam atque implacibilem iram, sese obtulisset ad legationem apud Augustum obeundam, postulaturus celebrandæ synodi facultatem. Rogat sua suorumve opera Lucifero ad id impetrandum ferat opem; rem pluribus legatos ipsi narraturos. Constantio autem Augusto litteris significabat, spem fuisse sibi a Christiano imperatore et Constantini filio postulata concedenda fore, nisi exasperatum ejus erga se animum arguerent, quæ ad se lacerandum populo misisset. Miraculo esse sibi a tam clemente principe profectam rem ejusmodi. Veram se cum imperatore pacem requirere, non fletam et simulatam. Non Athanasii modo causa haberi synodum oportere; sed alia quoque multa instare negotia, atque in primis de vera fide esse agendum. Rem ejus imperio dignam esse, ut tot disceptationes finem inveniant. Multos esse discidorum percupidos, qui se litteras quasdam occultasse mentirentur, quo possent latere crimina damnati viri, nempe Athanasii. Se illas quidem evulgasse litteras, legisse ecclesiæ, legisse concilio; minime tamen iis habuisse fidem, quod putaret octogiata episcoporum de Athanasio sententiam iis

(a) Hilar. Fragm., col. 1332.

(b) Marcellin. et Faustini., in *Libello*.

(c) *Historia ad monachos*.

(d) Hilar., col. 1282.

(e) Hilarii Fragment., col. 1334.

(f) Athan. *Hist. Arian. ad monachos*, n. 41.

(g) Baron., ann. 353, u. 2.

esse anteferendam. Ea scripta detulisse Eusebium A quemdam, qui iter in Africam haberet, eadem Arelatem pertulisse Vincentium Capuanum. Exinde vero, ut crimina propulset apud Constantium sibi oblata, se testificatur nihil ex temerario quodam furore, nihil per jactantiam aut gloriæ cupiditatem hactenus admisisse. Invitum se ad delatam sedem pontificiumque munus accessisse, suum jam esse cum timore Dei omnia peragere, ac curare non sua, sed apostolica statuta servari; se nihil jura Romani episcopatus minui, nihil augeri esse passum, fidemque veram illibatam custodiri se semper exoptare. Significare quidem Orientales, pacem se cum Liberio et cum Occidentalibus habere velle; sed nullam esse posse cum hominibus, quorum oratores ante annos octo Mediolani abnissent Arii sententiam proscribere. Erantque ii legati quatuor episcopi Ariani Demophilus, Macedonius, Eudoxius, et Martyrius. Non esse novum quod jam occasione nominis Athanasii moliebantur Ariani. Exstare quippe litteras Alexandri Alexandriae episcopi ad Sylvestrum olim conscriptas, quibus significabat undecim tam presbyteros quam diaconos, quod essent Arii erroribus conspersi, a se Ecclesia ejectos fuisse; ex quorum numero quidam superessent qui privata extra ecclesiam conciliabula haberent, quibus erat societas ac communione junctus Georgius episcopus, ut videtur Laodicensis. Nullam esse pacem posse, si talibus hominibus cogantur obsequi Itali episcopi. Ex Vincentii et sociorum litteris propalam esse, terrore ipsos animique perturbatione, non proprio consilio descivisse ad sententiam Orientalium: proposuisse tamen ut alii episcopi Arianam hæresim proscriberent, sed repulsam tulisse. Obsecrat denum Liberius imperatorem, ut isthæc negotia curet provideatque in synodo agitari: legatos suos Luciferum, Pancratium et Hilarium perbenigne recipiat, concedatque celebrandæ synodi facultatem.

2. Profectis autem legatis, litteras Liberius, Calepodio quodam deferente, ad Eusebium misit: rogatusque tabellarius, ut Eusebio auctor esset cum legatis ad Constantium proficiscendi. Legatos autem Eusebius Vercellis honorifice comiterque excipit, viæ juxta atque legationis comitem offert sese. Liberio significat, libentissime se huic negotio dare operam, nec defuturum officio, Ecclesiæ, Lucifero. Cui mox rescribit Liberius, gaudere se ex animo quod ejus negotii curam susciperet, sperare multum rem ejus sollicitudine feliciter gerendam: scripsisse Fortunatiano Aquileiensi, ex cujus item consilio atque opera impetrandæ synodi spes accederet.

3. *Synodus Mediolanensis indicitur.* — Neque tamen tantæ fuit operæ synodum impetrare, quantæ rebatur Liberius: nam eo Arianorum quoque præ-

sulum vota concurrerant; qui Constantii ope et auctoritate freti, se nihil non in synodo pro libidine et arbitrio suo consecuturos sperabant. Resque sane contigit ut peroptabant ipsi. In annum itaque proxime sequentem imperator synodum indicit Mediolani celebrandam.

4. *Galli mors.* — Hoc anno Gallus Cæsar de cædibus aliisque maleficiis delatus ad Constantium, jussu ejus capite truncatus pœnas luit. Julianus vero frater ejus in summum capitis discrimen venit, vix impetrata a Constantio incolumitate. Is ipse Julianus est, qui ad imperium postea evectus, a Christiana religione ad gentilitios ritus deficiens, ingentes intulit Ecclesiæ calamitates.

5. *Missus qui Athanasium deturbaret, pellitur a plebe.* — Si fides est Sozomeno (a), anno post delatas a Montano Alexandriam litteras subsequente, scilicet hoc anno 354, ætate, alter ab imperatore eadem de causa missus Alexandriam, una cum magistratibus urbis, Athanasium urgebat ut civitate decederet, gravissimumque clericis ejus bellum indixerat. At cum populares ejus impulsu atque impetu perterriti respirassent a metu pristino, adversique et ad pugnam instructi consisterent, imperatoris legatus metuens seditionem ac cædem, re infecta discessit. Eo loci apud Sozomenum perspicuo vitio laborat Valesii interpretatio. Hæc quippe verba, τῷ δὲ ἐπιγενομένῳ θέρει παραγενόμενος ἕτερος ἐκ βασιλέως, σὺν τοῖς ἐν τῷ ἔθνει ἀρχοῦσι, κατήπειγεν αὐτὸν ἐξίνααι τῆς πολέως, ita interpretatur ille: *Sequente ætate alter ab imperatore missus cum provinciæ rectoribus Alexandriam veniens, eum ex urbe discedere compulit.* In qua versione duplicem nævum statim advertas. Illud enim, σὺν τοῖς ἐν τῷ ἔθνει ἀρχοῦσι, nequaquam copulandum cum præcedente voce παραγενόμενος; neque enim putandum magistratus Ægypti vel civitatis Alexandrinæ, ex comitatu imperatoris, qui tum in Galliis versabatur, in Ægyptum venisse; sed jungas velim cum voce κατήπειγεν, ut sententia sit: cum magistratibus Ægypti legatus ille compellebat Athanasium urbe excedere. Illud enim Valesii compulit vitiosum item est; neque enim Alexandria tunc decessit Athanasius, et sane verbum κατήπειγεν in imperfecto jacet.

ANNO 355. — 1. *Synodus Mediolanensis.* — Annus 355 rei catholicæ exitiosus fuit; in quo vi et tyrannica Constantii potestate religionis jura violata, hæreticis summa rei ecclesiasticæ administrandæ permissa, catholicis præsulibus vis illata, oblata exsillii capitisque pericula, nisi Athanasium ferirent anathemate (b). Mediolanum igitur, ut statutum anno proximo fuerat, convenerunt episcopi, ex Oriente quidem pauci, reliquis aut morbi, aut senectutis, aut longinqui itineris causa eo concedere detrectantibus: Occidentales autem ingenti numero, ad trecentos enim adfuerunt. Et, uti supra tetigimus, suspi-

(a) Sozom. lib. iv, cap. 9.

(b) Sociat. lib. i, cap. 36; Sozom. lib. iv, cap. 9; Sulpitius Severus; Baron. ann. 355, n.

rari quidem erat, ex Constantii animo diuturnis Arianorum fallacis circumvento, exque rebus Arelate gestis, Arianorum præsulum arbitratu gerenda omnia fore. Quamobrem quibus cordi erat ecclesiasticæ doctrinæ integritas, cujus strenuus vindex a multis annis audiebat Athanasius, vix induci poterant ut Mediolanum concederent, ubi damnandum prospiciebant insontem virum. Eusebius in primis, qui proximo anno orator Mediolanum venerat, in istam urbem, etsi propinquam, accedere abnebat. Verum Ariani e re fore sua arbitratu si vir ille tantussynodi actis astipularetur, curarunt litteris synodi nomine conscriptis evocari. Et sane litteræ maximum pacis charitatisque studium præferbant; missique duo sunt qui inter Arianorum principes computabantur, Eustomius scilicet, seu, ut putatur, Eudoxius, et Germinius, qui litteras adferrent, et Mediolanum accedendi auctores essent. Se aiebant sequitatis concordiaque amore adventum ejus expectere, rogare legatis gereret inorem, nec cunctaretur contra Marcellum et Photium hæreticos, Athanasiumque sacrilegum definire, quæ jam prope totus definiisset orbis; plura dñcturos legatos. Si non obtemperaret, ea se præstituros quæ postulare ecclesiastica regula, nec ipsi querelarum locum superfore, quando missis legatis rogatus fuerat. Cui epistolæ permulti episcopi subscripserunt. Exstant hodieque in subscriptionibus triginta præsulum nomina; ex quorum numero Valens, Leontius, Acacius, Germinius, Arianorum primipilares. Eusebio rescripsit etiam imperator, urgens profectum, ac commoneus ut cum cæteris episcopis paci Ecclesiæ conciliandæ navaret operam. Accesserunt item litteræ Luciferi, Pancratii et Hilarii legatorum, vehementiore ac mordaci, ut solebat Lucifer, stylo conscriptæ, quibus auctores Eusebio sunt (a), ut quam maturissime proficiscatur, spem esse ut ejus adventu propellenti Valens profligetur, Arianorumque machinæ obruantur: se summopere ejus præsentiam et operam expectere. His amicorum inimicorumque litteris inductus Eusebius, missa ad Constantium adventus sui prænuntia epistola, Mediolanum se contulit. Quo vixdum pervenerat, cum ecclesiæ aditu intercluditur: ac deinde totum decem dierum extrahitur spatium, antequam miscendo colloqui facultas esset. Quo toto tempore conspirationis adornandæ rationem iniban: Ariani. Cum porro essent omnia ad fraudem composita, et machinamenta in Athanasii perniciem comparata, tum evocatur Eusebius cum comitibus legatis, a quibus coram constitutis postulatum ut Athanasii damnationi astipularentur. At Eusebius contra primum de fide tractandum contendebat, adesse quippe viros hæretica labe pollutos; oblatoque Nicæno symbolo, scilicet, si vellent ipsi ejusmodi fidei formulæ subscribere, damnaturum hominem pollicetur. Quam ille conditionem, iniquam licet, tuto offerebat: nunquam enim Arianorum

principes Nicænæ fidei, cui ab annis triginta implacabile bellum indixerant, astipulaturi erant. Tum accepta charta Dionysius Mediolanensis, veræ fidei propugnator, prior suffragium Nicænæ formulæ ascribere cœpit. Valens autem calamum et chartam violenter extorsit, vociferatus id nihil ad rem quæ tum agebatur pertinere, nec quidpiam ea ratione perfectum iri. Suborto exinde clamore, res in vulgus emanat, gravisque omnium animos dolor occupavit, quod ab ipsis sacerdotibus impugnari fidem cernebant. Valens autem, Ursacius, et reliqui Ariani, iudicium populi reformidantes, ex dominico seu ecclesia ad palatium transeunt, quasi scilicet aulicorum comitia, non episcoporum, convocarentur.

2. *Edictum Constantii offertur subscribendum.* —

**B** *Intra palatium congregati, ait Sulpitius Severus, illinc epistolam sub imperatoris nomine mittunt, omni pravitare refertam: eo nimirum consilio, ut si eam æquis auribus populus recepisset, publica auctoritate cupita proferrent. Sin aliter fuisset excepta, omnis invidia esset in rege, et ipsa venialis: quia etiam tum catechumenus sacramentum fidei merito videretur potuisse nescire.* Erat quidem edictum magnificis eruditionis et eloquentiæ famam. Ariani auctoribus et magistris hæreseos vestigia in ejusmodi litteris videre erat; et quod fuit male feriatu capitis argumentum, se per somnum Constantius quæ diceret a Deo accepisse mentiebatur. Primo igitur episcopis edictum subscribendum offertur per aulicos et palatinos, omnibus in eodem quo imperator conclavi consistentibus, sed velo intermedio, qui mos erat ea tempestate, ut perfacile Constantius colloquium audiret (b). Commemorabant aulici imperatoris sollicitudinem in concilianda Ecclesiæ pace, ejus esse votum ac in eo totum versari, ut Dei voluntatem impleteret; etsi vero Lucifer Arianæ illum doctrinæ addictum criminaretur, sanam ejus esse fidem ex collatis ipsi a Deo beneficiis ac victoriis comprobari. Ad hæc Lucifer, vehementi de more studio incensus, reclamat, Nicænam fidem Arianæ oppositam solam piam, solam sanam, nec si adessent universæ Constantii copiarum militaresque turmæ, posse se edictum sacrilegum non despiciere, et maledicta in Deum non execrari. Tum Constantius ea legatorum loquendi fiducia offensus, homines esse petulantes exclamare, nec ipsorum munus esse imperatorem ab Arii doctrina revocare; ac repente, mutato consilio, precibus viros, quando interminatione nihil conficiebat, tentare cœpit. Sed frustra eorum animos cum minis, tum blanditiis impetebat. In petra namque fundati, ut decumanos fluctus imperterriti exciperant, ita neque blandimentis a proposito dimoventur.

3. *Dionysii suffragium astu delet Eusebius. Constantius frustra tentat episcopos. Episcopi multi in exilium ablegati.* — Populus autem lectam in cœtu Ecclesiæ Constantii epistolam perindigne tulit. Plebs

(a) Hilari., col. 1222.

(b) Lucifer. lib. *Mor. pro Dei Filio.*

namque Mediolanensis veræ fidei studiosissima, quidquid peregrinam Arii doctrinam oleret, præsulis sui vestigiis insistens, summe aversabatur. De Dionysio tamen fertur, in sermone Maximi Taurinensis de natali die sancti Eusebii, hujusmodi historia: Cum Arianorum dolis circumventus Dionysius, suffragium suum adversus Athanasium scripto dedisset, superveniens Eusebius, rogatus ut pari modo et ipse subscriberet, se velle quidem idipsum præstare simulavit, sed quod sibi filium suum (sic nuncupabat Dionysium) in subscriptione anteposuisset, perindigne ferre. Vos enim, inquit, qui dicitis Filium Dei Patri Deo æqualem esse non posse, cur mihi filium præposuistis? Quibus illi dictis permoti, confestim Dionysii chirographum deleverunt, primas Eusebio deferentes. Quos ille objurgans atque irridens ait: Neque ego me vestris sceleribus polluo, neque filium meum vobiscum participare concedo. Unde cum dicat Evangelium in hac generatione prudentiores filios tenebrarum esse quam lucis, tum ipsis tenebrarum filiis prudentior lucis filius compertus est. Sic delusa Arianorum expectatio fuit. Jam quod colloquium invicti confessores cum Constantio habuerint, Athanasio narrante ediscimus (a): « Accitis, inquit ille, episcopis, nempe Lucifero, Eusebio et Dionysio, jussit imperator ut contra Athanasium suffragia darent. Ipsi vero id cum fiducia negare, commemorare Ursacii et Valentis penitentiam, quæ Athanasii adversarios falsi argueret. Non ultra fidem Valenti socioque habendam, qui jamdiu ea ejurassent quæ nunc contra Athanasium afferrent. Ille confestim exurgens: Ego, ego, inquit, Athanasii accusator adsum, vel mei gratia eorum dictis habete fidem. Illi contra: Qui accusator esse potes absente reo? nam etsi tute sis accusator, de absente sane judicari nequit. Non judicium quippe Romanum instituitur, ut tibi, quamvis imperator sis, fides habeatur; sed cum de episcopo sit controversia, pari jure cum accusatore et cum reo agere oportet. Qui autem accusare potes hominem, eo tempore procul versantem et tanto itineris intervallo dissitum? Quod si illis narrantibus fidem habes, quid est quod Athanasio non æque habeas? Sin illis, non huic habes, sane hinc propagam est ipso ad tui gratiam ineundam Athanasium accusare. » Alio autem loco hæc habet Athanasius (b): « Cum juberet imperator viros contra Athanasium suffragia scribere, ac cum hæreticis communicare; illis rei insolentia stupentibus, pugnantibusque id ecclesiastici non esse juris, statim ille: At quod mihi libitum est, id ecclesiastici juris loco habeatur: mihi quippe ita loquenti annunt Syri episcopi: aut igitur obtemperate, aut ipsi quoque extorres futuri estis. His auditis episcopi, remque summopere mirati, supplices ad Deum manus tendere, cum fiducia compellere virum, docereque

A non suum esse imperium, sed Dei qui tradidisset: rogare ut eum timeret, ne derepente datum alimeret; interminari judicii diem, suadereque ne ecclesiasticas res pessum daret, neu Romanum imperium cum ecclesiasticis statutis commisceret, nec Arianam hæresim introduceret in Ecclesiam Dei. Verum ille neque aurem præbuit, neque plura dicere concessit; quin et acrius stricto adversum illos gladio comminabatur: imo nonnullos ad supplicium rapi abducique jusserat; sed postea mutato consilio vitam nec rogantibus concessit. » Iis Lucifer adjicit, eam episcopos obtulisse conditionem, præsto esse se suis sumptibus Alexandriam properare, ut auditis duntaxat catholicis accusatoribus, si qui forent, æquum de Athanasii causa ferre possent judicium. Hac vero repudiata conditione, habitisque ut supra colloquitis, (quæ tamen omnia ordine uti gesta sunt non in promptu est enarrare: nam hinc et inde ex variis collecta scriptoribus consequenter recensere facultas non est.) très episcopos Constantius in exilium misit, Paneratum item presbyterum (quem Eutropium vocat Athanasius), una cum Lucifero a Liberio legatum pariter extorrem fecit. Hilarium autem diaconum, ejusdem legationis comitem, Ursacius et Valens una cum spadonum caterva ubi nudassent, atque dorso flagellis cæcidissent, in exilium item deportari curarunt. Inter flagellandum autem hæc scelerati homines vociferabantur (c): Quare Liberio non obstitisti? cur ejus detulisti litteras? Diaconus vero inter verbera gratias Domino rependere atque dicere: *Dorsum meum flagellis obtuli*. Illi autem irridere ac cachinnos effundere, nec erubescere quod levitam contumeliis et plagis onerarent. In exilium itaque acti sancti confessores, excusso pulvere pelum, erectisque ad Deum oculis, cujus amore neque imperatoris iras reformidaverant, neque stricti gladii metu veritatem prodiderant, exilium pro ministerii sui officio habuerunt. Dum enim loca civitatesque peragrarent, etsi vinculis constricti, sanæ fidei prædicationem nihil intermittebant, Arianam hæresim impiam ubique renuntiabant, traducebantque Ursacii et Valentis penitentiam. Quod contra quam rati erant, cessit insidiatoribus. Nam quanto longiore spatio et intercapedine distabat exilii locus, tanto gravior in impios homines concitabatur odium, latiusque serpebat invidia facti. Sanctorum itaque præsulum demigratio, vere prædicatio fuit, qua eorum impietatis fama ubique manaret. Quis enim dum peragrantes cerneret, non laudibus ut confessores exornavit? quis non Arianos maledictis et probris insectatus est ut impios, carnifices et homicidas, et non quovis potius quam Christianorum nomine compellavit? Cæterum exsules, ait Sulpitius Severus, satis constat totius orbis studiis celebratos, pecuniasque eis in sumptum affatim congestas, legationibus quoque

(a) Athan. *Hist. Arian. ad monachos*, n. 76.

(b) *Ibid.* n. 33, 34.

(c) Athan. *ibid.* 41.

eos plebis catholicæ ex omnibus fere provinciis frequentatos.

4. *Liberii litteræ ad confessores.* — Accepto Liberii rerum Mediolani gestarum nuntio, gratulatorias exsulibus misit litteras, quamvis, aïens, malis affici videantur, ipsos tamen singularis suæ fidei causa acceptissimos esse Deo, et jam ad-futuram martyrii gloriam designatos. Optasse ut sibi priori id boni contingeret; sed quia illi prævertissent, rogare ut se studio amoreque præsentem æstimarent: et cum per huiusmodi ærumnas atque calamitates propius ad Deum accessissent, precibus jam suis ipsi optularentur. Postulat demum, missis litteris sibi quid gestum sit accurate significent, ne ipse inter incertos vulgi rumores animi pendeat.

5. Quo autem acerbiorē exsilii pœnam sancti præsules experirentur, (quod erat hæreticorum consilium studiumque,) non unum in locum relegati sunt, sed in varias et multo intervallo dissitas transmissi regiones; ne mutui conspectus solatio supplicii dolor levaretur. Verum, ut cæca res est malitia, non advertēbant scelerati, in grave rerum suarum detrimentum veritatis præcones ac hæreseos hostes varia loca peragrarē, quo latius manarent illa perfidiæ Arianae argumenta. Nemo enim conspectis sanctis viris tantam pro veritate calamitatem ferentibus, sceleratorum iniquitatem non est execratus. Eusebius igitur Scythopolin exsilii locum pervenit; cujus urbis episcopus erat Patrophilus Arianus, qui tanta cura, Epiphānio teste, Catholicos a sua parœcia exegerat, ut non nisi unus Joseph comes isthic superesset, qui Ariānum non sectaretur errorem. Erit fortasse narrandi locus quid ejus cura et opera peressus sit Eusebius. Fuit autem Eusebio peregrinationis laborumque socius Exuperantius, qui postea fuit in Tortonensem episcopum cooptatus. Lucifer Germaniciam mittitur; cujus tum episcopus erat Eudoxius Ariānus. Quo in loco quibus sit ærumnis affectus, describit ipse in sua ad Constantium epistola. In carcere quippe reclusus ac luce privatus, in tenebris asservabatur, ut ne cuiquam ejus invisendi copia esset. Dionysius autem Mediolanensis in Cappadociam deportatus, illic exsilii juxta ac vitæ finem invenit; Dominum precatus scilicet, ut ex hac vita demigrare liceret, ne reversus, parœciam suam Ariana labe infectam deprehenderet. Et sane res ut augurabatur accidisset, si diutius protraxisset vitam. In ejus quippe locum successit Aurentius Ariānorum deterrimus, a Gregorio Alexandrino presbyter ordinatus, qui Arianae rei augendæ atque promovendæ strenue operam dedit.

6. Præter memoratos autem episcopos, alii perpanci exsilii pœnam subire maluerunt, quam vel Athanasium damnare, vel cum Ariānis inire societatem. Maxima pars minis, terrori ac fraudibus Constantii concessere; ex quorum nu-

A mero Fortunatianus Aquileiensis, et Eremius Thessalonicensis, quorum lapsum deplorat Athanasius.

7. *Maximus sede pellitur.* — Eminuit autem inter veritatis confessores Maximus Neapolitanus; qui cum ægritudine stomachi laboraret, ab Ariānis subscriptionem suam extorquere conantibus multis est afflictus malis. At cum ille in ægro corpore invictum gereret animum, nullis cedens cruciatibus, in exilium tandem pulsus est. In cujus locum cooptatur Zosimus quidam. Is cum hactenus catholicam fidem constanter propugnasset, tum Ariānis rebus emolumentum causa studere cœpit. Quo audito Maximus dira homini imprecatus, prænuntiat eum non diu episcopali in sede permansurum. Accidit res ut præfatus ille fuerat. Cum enim Zosimus episcopali munere in populi cœtu fungeretur, ðerepente lingua horrendum in modum foras erupit, ut neque reducendi facultas esset. Quod cum repetitis vicibus accidisset, sensit ille divinitus immissum malum, novitque non frustra vaticinatum fuisse Maximum, ac sponte dignitatem exiit episcopalem. Maximus autem in exsilii loco postremum obiit diem, confessionis exinde gloria clarus.

8. *Martyrium Rufiniani.* — Iisdem annumeratur item Rufinianus quidam vitæ sanctimonia conspicuus; qui fidei causa ab impiissimo Epicteto Centum-cellarum episcopo immanem in modum vexatus, ante currum ejus concitato cursu procedere compulsus est: quo factum, ut erumpentem sanguinem ore evomens, exstinctus sit.

9. *Vexatio Catholicis per orbem illata.* — Nec solum autem Mediolani ac per Italiam Ariana lues grassabatur; sed per totum Romanum imperium horrore omnia plena: minæ, multæ, exsilia, quodvis ærumnarum genus iis qui nollent Athanasii damnationi subscribere. Qua de re Athanasium libet audire loquentem. Statim litteræ ad præfectum missæ, jussumque est Athanasium solita frumenti annonæ privari, totamque in usum Arianorum sectatorum conferri. Data cuique volenti facultas est, contumeliam iis inferendi qui Athanasii conventibus interessent. Hinc minæ quoque iudicibus intentatæ, nisi cum Ariānis communionis societatem inirent. Paria in aliis regionibus jussa prodire: videreque erat per urbes singulas missos notarios et palatinos, qui iudices concitarent in Athanasium, et episcopos vel ad ferendum suffragium inducerent, vel pellerent in exilium, populisque graves interminerentur calamitates. Legatis dabantur itineris comites Ursacii et Valentis clerici: qui si iudices viderent non strenue rem agere, deferrent ad imperatorem. Et quod stupendum plane erat, cum cæteras hæreses intactas sinerent, solis Catholicis bellum inferebant. Tum episcopi, ut scriptum est, ad reges et præsides ducti, a iudicibusque hæc audiebant: Aut subscribe, aut decedite ab Ecclesiis; nam jus-

sit imperator ut abdicemini. Alii a præfectis exturbati; quod tamen primarii viri non odio quodam infensaque animo præstabant, sed ut ne ipsi inter episcoporum amicos computarentur, atque hinc foret sui criminandi occasio. Nam ipsis magistratibus missæ litteræ sunt, minisque adhibitis, multa pecuniaria indicta, nisi singuli suæ civitatis episcopum compelleret ad subscribendum. Omnis denique locus, omnis civitas terrore erat ac tumultu plena, dum raptati episcopi pellerentur, populi omnia luctu gentilibusque comple-

10. Hæc erant missorum palatinorum gesta. Admirandi autem homines iis quæ nacti sunt patrociniis freti, in eo toti erant ut alios episcopos accirent ad imperatorem, alios litteris fictisque criminationibus circumvenirent, ut illi Constantii vultum conspectumque, hi legatos, minas, confecta crimina pertimescentes, pariter a recto pioque consilio evocarentur. Iis artibus imperator tam multos episcopos compulit ad hæc proferenda verba: *Non ultra cum Athanasio communicamus*. Nam eos qui se adirent non ante ad conspectum admittebat suum, neque domo egredi facultatem dabat, quam vel subscriberent, vel abnuentes pellerentur in exilium. Id agebat autem, gnarus invisam omnibus hæresim esse: quæ potissima causa fuit quod tam multos vi compelleret, ut paucis annumerarentur. Cura summa atque sollicitudo ipsi erat vim nominum una cogere, cum ut invidiam Athanasio confaret, tum ut Arianæ hæresi, cujus fervens ipse vindex erat, aliquam afferret dignitatis speciem, ratus veritatem se perinde atque homines circumvenire posse:

11. *Sylvani defectio*. — Inter hæc in Galliis contigit Sylvani defectio, qui ab exercitu imperator est inauguratus. Ea res Constantium in summam consilii inopiam perturbationemque coniecit. At cum ille interpositis viginti octo post defectionem diebus ab Ursicino obruncatus esset, ingenti Constantius metu liberatus est.

12. Dum hi per totum orbem motus, hæ turbæ dantur, Athanasius Alexandriæ haud sine metu impendentis periculi versabatur, populi præsidio et amore tutus ab insidiis Arianorum: qui semper machinis erant et calumniis struendis intenti, quo virum urbe pellerent et exterminarent.

13. *Dracontius in episcopum allectus fugit. Revocatur ab Athanasio*. — Accidit autem paucis ante Paschalem solemnitate diebus hujus, ut optinamur, anni, ut vacante sede Hermopolis parvæ, quæ parœcia maximam Alexandrini agri partem complectebatur, Dracontius quidam monachus et monachorum ἡγούμενος in episcopum ejus loci promoveretur. Et quidem tantis erat ille populorum votis expetitus, ut gentiles etiam se Christianos fore pollicerentur, dum Dracontius esset episcopus. Is vero sive imminentis Christiano populo calamitatis declinandæ causa, sive quod monachali instituto ad-

dictus animus episcopalem adire dignitatem pertimesceret, cum de eligendo antistite agebatur, ubi advertit inclinatas in se omnium voluntates, juramento edixit se, si deligeretur, nequaquam obtemperaturum. Cum autem communi calculo electus fuisset, auctoribus et consuasoribus monachis quibusdam fugam fecit, seseque occultavit. Re compertha Athanasius de fuga summe doluit, elegantemque ad Dracontium misit epistolam per tabelarios Hieracem presbyterum et Maximum lectorem, jussos ut et ipsi cohortarentur ad remigrandum. Multis aiebat Athanasius, sibi in primis offensum esse, quod propter impendentes Ecclesiæ calamitates fugam fecisset; hinc futurum ut episcopalis sedes a multis iisque improbis hominibus invaderetur, utque ethnici, qui se Christianos fore spondissent, in idolorum cultu perseverarent. Minabatur judicii diem, nisi vocanti Domino obsequeretur. Si enim, inquit, eadem omnes semper venissent, qua ratione Christianus tu esses, non exstantibus episcopis? Et si qui post futuri sunt, eodem animo fuerint, qua ratione constare valebunt Ecclesiæ? Deinde exemplo Moysis, Eliæ, Elisæi, et apostolorum, qui gravissima olim pro populo Dei subire certamina, et capitis periculum adire non recusaverant, Dracontium ille ad delatum munus revocare nititur, et ad calamitates Christi gregisque sui causa perferendas cohortatur. Monachos item recenset, qui ad episcopatum promoti, id oneris cum laude populorumque emolumento perferrent. Erant ii Apollos, Agathon, Ariston, Ammonius, Muis, Paulus. Non tam conditionem ipsam, quam institutum veri monachi amplexandum esse; quod præstare etiam episcopo liceret. Carpit autem monachos, qui Dracontio ejusmodi fugæ auctores fuissent. Hortatur ut maturet parœciam adire suam, cum maxime instet Paschalis solemnitas; ne populi in lætissimo resurrectionis festo absentem doleant pastorem suum. His Athanasii hortamentis cessit Dracontius, nec diu postea pro catholica fide in exilium ab Arianis pulsus est.

14. *Constantius Liberium a proposito dimovere tentat*. — Constantius, tot pulsus episcopis, Arianorum consilio Liberium aggreditur. Cum advertent enim eum sanæ doctrinæ cultorem esse, Athanasio patrocinari, erroribus adversari suis, seque ut hæreticos ubique locorum traducere; rati impii homines se, si Liberium subornare possent, omnes illico superaturos, virum apud imperatorem criminantur. Ille vero sperans se Liberii opera quamprimum omnes sibi conciliaturum, cum litteris spandem quemdam Romam mittit Eusebium nomine, qui principem inter eunuchos obtinebat locum; dona ferentem, ut Liberium muneribus tentaret, ac si minus dona possent, additis litterarum minis optatum finem assequeretur. Prefectus Romani spado, principio auctor erat pontifici ut adversus Athanasium suffragium scriberet cum Arianisque commu-



ncaret : id exoptare, id jobere Imperatorem. Hinc A oblati muneribus hortabatur, manusque Liberii contrectans aiebat : « Imperatori obtempera, et hæc accipe. » Episcopus contra compellere hominem, et hæc adversum dicere : Non posse damnari Athanasium, quem non una duntaxat, sed et altera synodus purum innoxiumque promulgasset; quem Romana synodus cum pace dimisisset, æquum non esse a se Romano pontifice condemnari. Si imperatori tamen placeret abrogari quæ fuerant pro Athanasio conscripta, irrita quoque forent quæ adversus eum gesta, atque litteris mandata essent, ac de integro res in synodo ageretur, procul palatio, ubi non imperator, non forensis iudex, non comes, nulla demum extranea formido adesset, sed ex solo Dei timore ederentur omnia : ac primo exigentur Ariani, utpote a Nicæna synodo anathemate percussi, aditus omnis ad hujusmodi synodum esset hæreticis interclusus, postea de reis ageretur, ut santes penas luerent, insontes liberi dimissi tuto consisterent in sedibus suis. Hæc imperatori renuntiaret, moneretque ut ne aurem ultra præberet Ursacio et Valenti, qui cum de rebus ante gestis pœnitentiam egissent, jam nulla essent fide digni.

15. Hæc Liberii dicta indigne ferens spado, non tam quod in Athanasium subscribere detrectaret (a), quam quod illum hæresi adversarium comperisset, nihil reveritus episcopum, acriter interminatus, cum donis abscedit; nefariamque rem aggreditur, C Christiano homine indignam, et majoris audaciz quam quæ spadonem deceat. Profectus enim ad martyrium Petri apostoli, dona illic apposuit. Re comperta Liberius in loci custodem graviter succenset quod non prohibuisset hominem : ipsaque dona, quasi illicitum sacrificium, abjicit. Quæ res castratum vehementius ad iram concitavit. Quare profectus ad imperatorem de Liberii in Arianam hæresim odio conquestus, juvantibus cæteris eunuchis, penes quos tum summa rerum erat, quorum vis et audecia multa in Arianorum gratiam moliebatur, hominem impotentem in furorem agit. Litteras igitur Romam quamprimum mittit : rursusque palatini, notarii et comites ad id negotii iter suscipiunt. Litteris præfectus urbis jubetur, aut Liberium dolo Roma subductum in castra transmittat, aut vi aperta comprehensum ad se pertrahat. Ejusmodi missis litteris exorta formido est, insidiæ per totam urbem paratæ, promissa dona iis qui strenue adversus Liberium rem gererent. Tum episcopi his perspectis rebus sese abdere, matronæ calumniarum metu per pagos secedere, ascetæ insidiis appeti, homines Romæ commorantes expelli, portus exitusque portarum intercludi, ut ne quis ingressus Orthodoxorum Liberium inviseret. Tunc

<sup>1</sup> Act. ix, 5.

(a) Athan. *Hist. Arian. ad monachos*, n. 57.

(b) Athan. *ibid.*, n. 39; Amnian. *Marc. lib.* xv.

Roma quoque Christi hostium immanitatem experta, re ipsa novit quæ vix ante crediderat, cum rumore nuntio audiret quantam cæteris Ecclesiis singulisque urbibus impii illi intulissent vastitatem.

16. *Liberius ad imperatorem trahitur.* — Cum itaque Constantius litteris, interminationibus, jussis instaret urgeretque profectum, Liberius tandem (b) curante Leontio Romæ præfecto ad imperatorem trahitur; multa quoque usus loquendi fiducia, « Desine, inquit, Christianos vexare, ne nostra opera cures impietatem introducere in Ecclesiam. Sumus sane ad omnia toleranda parati potius quam cum Ariomanitis annumeremur. Ne nos Christianos cogas christomachos evadere. Auctores tibi sumus, ne bellum moveas in eum qui hoc tibi imperium tradidit, neu gratiarum actionis loco impietatem ipsi referas. Ne calamitatem iis inferas qui in Christum credunt, ne ipse quoque audias : *Durum est tibi contra stimulum calcitrare* <sup>1</sup>. Sed utinam aurem præbeas, ac tu quoque quemadmodum beatus Paulus morem geras! Ecce adsumus, accessimus, vel antequam crimen illi comminiscantur. Ideo properavimus, gnari licet a te nobis expectandum exsilium esse, ut ante confictam criminatorem damnemur, cunctisque propalam sit pari ratione cum aliis actum esse, oblataque ipsis criminis similiter conficta ab inimicis fuisse; quorum omnia dicta nihil nisi calumniæ, nihil nisi mendacia fuere.

17. *Colloquium Liberii cum Constantio. Exsilium Liberii.* — Hæc de colloquio Liberii cum Constantio Athanasius. Rem pluribus affert Theodoretus (c), cujus dialogum ascribere ne pigeat; ex eo quippe cum Liberii constantia et fortitudo, tum imperatoris in Athanasium infensus animus palam perspicitur. Constantius imperator dixit : « Nos, quoniam et Christianus es et nostræ urbis episcopus, te evocandum duximus, ac monemus ut nefariæ dementiæ impii Athanasii communionem abjicias. Id enim æquum esse orbis terrarum censuit, eumque ab ecclesiastica communione alienum fore synodali sententia decretum est. Respondit Liberius : *Judicia ecclesiastica, o imperator, summa cum æquitate ferri oportet : quare si pietatæ libeat, iudicium institui jubeto; et si quidem Athanasius damnatione dignus videatur, tum juxta ecclesiasticæ regulæ formam sententia in illum feretur. Neque enim vir a nobis condemnari potest de quo non judicavimus. Cui Constantius : Totus terrarum orbis de ejus impietate tulit sententiam, eo quod jam inde ab initio deludendo tempus trahat. Ad hæc Liberius episcopus : Quotquot subscriperunt, res gestas ipsi non viderant; sed ex inani gloria, tui metu, ignominia a te inurendæ formi-*

(c) Lib. II, cap. 16.

dine subscripserunt. Tum imperator : Quæ gloria, qui metus, quæ ignominia ? Infit Liberius : Quotquot Dei gloriam non amant, ii tua munera antepontes, eum quem non viderant, de quo ne judicarent quidem, damnaverunt : quod alienum a Christianis est. Hic imperator : Atqui de præsentem iudicatum est in synodo Tyria, universique orbis episcopi in ea synodo hominem damnare. Cui Liberius : Nunquam ille præsens iudicio fuit. Quotquot enim eo tempore coacti in eum sententiam tulere, post Athanasii discessum inique de absente judicaverunt. Tum Eusebius eunuchus : In synodo Nicæna alienus a catholica fide demonstratus est. Liberius imperatori (despecta eunuchi futilitate) : Ex iis qui cum Ischyra navi in Mareoten transmisissent quique solum fuere iudices, quos illi quidem miserant ut adversus reum acta conficerent. Ex iis qui tunc eo legati sunt, duo ex hac vita migrarunt, Theognius scilicet et Theodorus, reliqui tres adhuc superstites sunt, Maris, Valens, et Ursacius. Contra hosce in Mareoten missos Sardiæ ea ipsa de causa lata sententia est. Qui postea veniam peccati libellos obtulerunt, ob acta scilicet quæ per calumniam, altera duntaxat præsentem parte, in Mareote consecerant. Quos quidem libellos nunc in manibus habemus. Utris horum assentiri et communicare debemus, imperator; hisne qui cum Athanasium ante damnasset, veniam postea rogaverunt, an illis qui nuper istos condemnarunt ? Tum Epictetus episcopus : Non fidei causa, nec pro defensione iudiciorum ecclesiasticorum Liberius jam verba facit, o imperator; sed ut apud Romanæ civitatis senatores gloriatur imperatorem a se fuisse superatum. Imperator Liberio : Quota pars es orbis terrarum, ut tu solus impio homini suffragari velis, et orbis Romani totiusque mundi pacem perturbes ? Cui Liberius : Etiam si solus sim, fidei ratio non ideo minuitur. Nam et olim tres tantum reperti sunt qui regis mandato obisterent. Eusebius eunuchus ait : Imperatorem nostrum Nabuchodonosori confers ? Tum Liberius : Nequaquam. Sed tu inique hominem damnas, de quo non iudicavimus. Ego vero postulo, ut primum quidem omnium præcedat subscriptio, quæ fidem Nicææ editam confirmet, deinde ut revocatis ab exilio fratribus nostris et in sedes suas restitutis, si ii, qui jam tumultus in Ecclesiis auctores sunt, apostolicæ fidei consentire visi fuerint, tunc universi Alexandriam convenientes, ubi et accusatus et accusatores sunt, necnon eorum patronus, eorum examinata causa sententiam proferamus. Tum Epictetus episcopus : Verum cursus publicus vehendis episcopis nequaquam erit satis. Cui Liberius : Ecclesiastica negotia non egent cursu publico : Ecclesiæ enim singulæ episcopos suos ad mare usque perducere suis sumptibus facile possunt. Imperator dixit : Quæ jam rite statuta sunt, non ultra abrogari possunt : valere

A debet plurimorum episcoporum sententia. Tunc solus es qui impii hominis amicitiam foveas ? Liberius : Nunquam audivimus, imperator, absenti reo iudicem impietatis notam inurere, quasi privatas cum eo inimicitias gerat. Imperator autem : Universos quidem ille affectu injuria, sed nullum perinde atque me. Qui non contentus exitio fratris mei majoris natu, felicitis memoriæ Constantem ad suscipiendas mecum inimicitias nunquam destitit; et id sane contigisset, nisi nos majore mansuetudine et incitantis et incitati impetum pertulisset. Nullam itaque victoriam tanti facio, ne illam quidem quam de Magnentio retuli ac de Sylvano, quanti ut hunc sceleratam ab Ecclesiæ administratione submoveam. Cui Liberius : Noli, imperator, inimicitias tuas per episcopos vindicare. Ecclesiasticorum enim manus ad sanctificandum vacare debent. Jube igitur, si placet, ut episcopi ad proprias sedes revocentur : ac si quidem videantur cum illo consentire, qui rectam fidem Nicææ editam jam tuetur, in unum coacti paci orbis terrarum prospiciant, ne insontem virum infamia notatum esse comprobetur. Tum imperator : Unum est quod quaeritur. Te namque, ubi ecclesiarum communionem fueris amplexatus, Romam remittere volo. Assentire igitur paci, et suffragium scribe, atque ita Romam revertere. Ad hæc Liberius : Fratribus qui Romæ sunt jam vale dixi. Romano quippe domicilio antefrendæ ecclesiasticæ leges. Imperator autem : Triduum ergo tibi ad deliberandum conceditur, utrum postquam suffragium dederis Romam velis commigrare, aut ad deligendum quem in locum cupias deportari. Cui Liberius : Trium dierum aut trium mensium interposita mora non mutabit sententiam. Itaque mitte quo libet. Biduo post imperator, cum Liberium accivisset, atque is de sententia non decederet, eum Beroeam in Thraciam relegari jussit. Egresso Liberio, imperator quingentos solidos offerri jubet ad viaticum. Defertenti Liberius ait : Abscede, et hæc redde imperatori, qui iis sane in stipendium militum opus habet. Similiter Augusta tantumdem ipsi pecuniæ misit. Remisitque Liberius : Redde, aïens, isthæc imperatori; iis enim habet opus in militum annonam. Quod si his non egeat, dentur Auxentio et Epicteto, qui opus habent. His rejectis, aliam pecuniæ summam attulit Eusebius eunuchus. Cui Liberius : Ecclesias orbis terrarum expilasti, et mihi tanquam reo eleemosynam offers ? Abscede, et prius Christianum efficere. Elapso autem triduo relegatus Beroeam est Liberius. Felix sane, si tanta invictæ mentis argumenta fœdis exinde fracti et emolliti animi notis non labefactasset.

18. Nec prætermittenda quæ de Liberii exilio habet Ammianus Marcellinus (a) : « Hoc administrante Leontio, ait, Liberius Christianæ legis antistes, a Constantio ad comitatum mitti præcepit

(a) Lib. xv, p. 91.

est, tanquam imperatoris jussis et plurimorum sui consortium decretis obsistens in re quam brevi textu percurram. Athanasium episcopum eo tempore apud Alexandriam, ultra professionem altius se efferentem, sciscitarique conatum externa, ut prodidere rumores assidui, cœtus in unum quæsitus ejusdem loci multorum (synodus ut appellant) renovit a sacramento quod obtinebat. Dicebatur enim fatidicarum sortium fidem, quæve augurales portenderent alites scientissime callens, aliquoties prædixisse futura. Super his intendebantur ei alia quoque a proposito legis abhorrentia cui præsedebat. Hunc per subscriptionem abjicere sede sacerdotali paria sentiens cæteris, jubente principe, Liberius monitus perseveranter renitebatur : nec visum hominem, nec auditum damnare nefas ultimum sæpè exclamans, aperte scilicet recalcitrans imperatoris arbitrio. Id enim ille, Athanasio semper infestus, licet sciret impletum, tamen auctoritate quoque qua potiores æternæ Urbis episcopi firmari, desiderio nitebatur ardenti. Quo non impetrato Liberius ægre, populi metu, qui ejus amore flagrabat, cum magna difficultate, noctis medio potuit asportari. Quod ethnici hominis testimonium, Romanæ sedis auctoritate comprobandæ peridoneum, iniquum sane Athanasio est, quod augurali arti tribuat eam divinitus inditam Athanasio facultatem futura prospiciendi, quam sancto viro ascribit Sozomenus (a), ubi illum a Deo monitum pericula sæpè prævidisse declinasseque commemorat. Illam futura prospiciendi vim in crimen vocabant gentiles et hæretici, quasi scilicet id ille magicis artibus consequeretur. Ut fertur autem, quodam tempore, Athanasio per urbem incedente, forte supervolitans cornix crocitavit. Turba vero gentilium, quæ tum aderat, quasi præstigiatores deridens, rogabat quidnam cornix illa prænuntiaret. At ille suaviter ridens : Cras, inquit, clamat. Id autem vociferans, injucundam vobis fore crastinam diem denuntiat. Significat enim vobis ab imperatore prohibitum iri, ne cras festum diem de more celebretis. Quæ Athanasii prædictio, etsi ridicula visa illis est, vera tamen fuit. Insequente enim die magistratibus redditæ sunt imperatoris litteræ, vetantes ne paganis templa adire sua, neve solennes sacrorum ritus ac publicos conventus celebrare liceret.

19. *Felix in Liberii locum adlegitur.* — Pulso Liberio, de successore deligendo actum fuit. Quod quam indignè, quam contra ecclesiasticum morem peractum sit, ita narrat Athanasius (b) : Imperator Epictetum quemdam, audacem adolescentem, qui etsi neophytus in episcopum adlectus fuerat, quod ad nulla non scelera paratum promptumque cognosceret in amicis habebat, ejusque opera invisibilibi episcopis arbitrato suo parabat insidias. Hujusmodi itaque usus administro rem plane stupendam

A Romæ aggreditur, quæ Antichristi malignitatem præ se ferat. Adornato namque in ecclesiæ vieem palatio, populi Christianique cœtus loco tres sibi spationes adesse jubet. Demumque improbos tres catascopos, id est exploratores (haud enim episcopi nuncupandi), compulit ut Felicem quemdam moribus sibi consimilem virum in ipso palatio ordinarent episcopum. Populi namque, animadversa hæreticorum prævaricatione, aditus illis ad ecclesias intercluserunt, et procul abscessero. Qui Felix Catholicismæ postea, an Arianis rebus studuerit, jam quæstio est inter scriptores.

20. *Constantius hortatu Arianorum Hosium tentat. Hosii epistola ad Constantium.*—Unum restabat Arianis quod maxime cordi erat, ut scilicet Hosium illum venerandum et nobilem senem in suam sententiam perducerent. Qua de re Constantium conveniunt (c), monent nihil actum esse, nisi sibi suisque factis magnus ille Hosius confessionis gloria conspicuus astipuletur. Rogant ut virum perinde atque cæteros vi compellat, ut secum communicet Athanasiumque damnet. His inductus imperator senem accivit, qui centenario major annos jam plus sexaginta episcopalem occupabat sedem. Accedentem Hosium rogabat Constantius, lenibusque dictis hortabatur ut contra Athanasium sententiam daret, Arianisque communionem jungeretur atque amicitia. Senex, qui rei hujusmodi vel auditum ægre ferret, indignatus, quod talem imperator obtulisset conditionem, virum acriter compellat, monet ut finem faciat hujusmodi verba proferendi, clamare ait facti insolentiam : demum dictis suis persuasum ac perterritum deducit e sententia ; atque ita integris rebus redit in patriam et in ecclesiam suam. Sed cum absente eo hæretici haud sine querimoniis et lamentis denuo insistarent, urgerent, et sua eunuchorumque opera nullis non machinis levissimum Constantium animum tentarent ; acquievit demum ille postulatis assentantium, litterasque minarum plenas ad Hosium misit. Hinc Hosius contumeliis, periculorum denuntiatione exagitatur : neque tamen insidiarum metu de sententia dimovetur, sed fidenter hæresim ut impiam noxiamque traducit ubique locorum. His auditis Constantius cœpit senis animum iteratis litteris sollicitare, modo adulari quasi patrem, mox interminari exsillium. Necdum tamen ille vel minarum et impendentium malorum formidine, vel blandimentorum illecebris, cessit e sententia. Imo epistolam constantiæ et firmitatis plenissimam rescripsit imperatori, significans se jam pridem sub Maximiano pro Christi nomine passum, paratum esse ad ærumnas quaslibet, si sit opus, pro veritate perferendas. Monet, Arianorum doctrinam ne tueatur, neu Ursacio et Valenti habeat fidem. Non tam illos Athanasii perniciem machinari, quam impietati Arianae augendæ atque promovendæ studere. Commemorat quæ in Sardicensi synodo gesta essent, Arianorum

(a) Lib. iv, cap. 5.

(b) Athan. *Hist. Arian. ad monachos*, n. 75.

(c) Athan. *ibid.*, n. 43, 44.

metum, conscientiam scelerum, turpem in conspectu synodi fugam. In mentem revocat Ursacii atque Valentis pœnitentiam, qua palam esset insonti Athanasio fuisse crimina oblata. Hortatur ne se rebus immisceat ecclesiasticis : « Tibi, inquit, Deus imperium, nobis ecclesiastica concedidit. Ac quemadmodum qui tibi imperium eriperet, Deo providenti repugnaret; Ita metue ne si tibi ecclesiastica vindicea, magni criminis reus evadas. » Se nedum cum Arianis consentiat, eorum hæresim anatheinate ferire; Athanasium vero minime damnare, quem Romana Ecclesia, universalis synodus, ipseque imperator pro insonte habuisset. Hæc tum Hosius, qui haud diu, ut infra memoratur, in probo hujusmodi proposito perseveravit. Namque Constantius nec insidiarum finem fecit, neque desit occasiones aucupari, minasque in senem intentare. Accesserunt Arianorum criminationes, querimonie, maledicta. Atiebant eum, sedum Athanasium damnaret, hæresim Arianam diris vovete atque proscribere, omnibusque auctorem esse ut fidem catholicam integram intactamque servent. Insuper movent Constantium, plurimos in Hispania eadem esse atque Hosium sententia, quorum imperator suffragia adversus Athanasium postulabat. Hi cum non metu imperatoris, non minis, non pollicitationibus eo adduci possent, in Hosium ducem vertitur Constantii furor. Accitus itaque senex anno integro Sirmii detinetur. Res quorsum evaserit, infra memoratur.

21. *Profligatis aliis Constantius Athanasium aggredditur.* — Constantius igitur, postquam terrore, minis, exsilio, malis artibus episcopos pene omnes aut profligasset, aut ad simulationem compulsisset, jam in Athanasium machinas intendit (a); promissorum scilicet oblitus, immemor juramenti. Nam qui semel a veritate deflexit, hic non majore religione ad perjurium quam ad mendacium perducere consuevit. Hoc autem callide Arianis auctoribus, postquam præsulum turbam in suas allexisset partes, aggressus est, eo nimirum consilio, ut multorum antistitium suffragia ostentare posset, Athanasioque non modo retinendæ dignitatis, sed etiam deplorandæ calamitatis adimeret potestatem. Itaque concitatus imperator ab Arianis, primum litteras mittit ad ducem et ad milites, interminatus iram suam, nisi probe contra Athanasium rem gererent. Legantur item notarii Diogenes et Hilarius, et una cum illis palatini quidam. Horum consilium erat ut Athanasium dolo Alexandria extraherent, et quidem, ut ex imperatoris litteris postea memorandis liquidum est, nullis non malis, imo et morte multandum. Si namque palam et intra urbis mœnia manus in Athanasium violentas intulissent, non deerat turbarum tumultuumque formido. Quare astu providerant virum pellere, populique præsidio subducere. Inter hæc, imminente Arianorum furore, obiit magnus ille de-

Aserti incola Antonius (b), annos quinque supra centum natus, qui instante morte, discipulos hortatus multis ad veræ fidei virtutisque cultum, demum perorans his commonet dictis : « Mea inter vos vestimenta dividite : Athanasioque episcopo melotem date unam, palliumque quo utebar olim : ab eo novum acceperam, jam detritum usu est. Melotem alteram Sarapioni episcopo tradite; vos habete ciliicinum indumentum. Et quod reliquum est, salvete, filii : Antonius quippe hinc migrat, nec ultra vobiscum erit. » His ille dictis, placido vultu, lætusque animam efflavit. Qui autem, subsequitur Athanasius, melotes et pallium acceperunt, perinde asservant ac si magni res pretii essent; iisque conspectis Antonium se videre putant, iis amici Antonii monita gestare se arbitrantur. Ita nimirum Athanasius dum insidiis eunuchorum Arianorumque impeteretur, viris Dei percharus erat et in amicis. Interea notarii adventantes Alexandriam jussa Constantii nec impigre exsequi conantur.

ANNO 356. 1. *Diogenes, Hilarius et Syrianus contra Athanasium rem gerunt.* — Diogenes porro nullas ab imperatore datas litteras tradidit Athanasio, nec in ejus unquam conspectum venit. Syrianus autem dux Ægypti, vel sub idem quo Diogenes tempus, vel paucis post diebus, Alexandriam ingressus, instare jubereque ut Athanasius Alexandria decederet (c). Ariani autem ubique spargere, id litteris, id jussis imperatoris ferri. Sciscitabatur porro ex Syriano Athanasium, num eas quas jactitabant Ariani litteras penes se haberet. Cum autem non habere se dixisset, rogare Athanasium, ut vel ipse Syrianus, vel præfectus Ægypti Maximus hoc sibi jussum scripto traderent. Nam, uti supra memoratum, Athanasium Constantius jusserat nullis inimicorum fraude sparsis rumoribus moveri, sed cum pace populum edocere veram religionem; velle namque se ut tranquille degeret in sua parœcia. Hæc causa erat, ut nonnisi Constantii jussu civitate decedere vellet. Id ipsum ad Syrianum adeuntes populares, presbyteri, clerici, parsque maxima civitatis postulabant, præsentem Maximo Ægypti præfecto: nimirum vel litteras tradi, si quæ tandem essent; vel Ecclesiam non turbari, donec ea de remissis oratoribus cum imperatore ageretur. Populo acriter instante, Syrianus, sive quod perspectum haberet quam æqua postulatio esset, sive quod motum seditioemque, concitata plebe, metueret, præsentem tunc Hilario, inspectantibusque multis, per salutem Constantii pollicetur se nihil mali Athanasio vel ecclesiæ illaturum, antequam rem detulisset ad Constantium. Cujus rei testes erant cohortes ducis, præfectique Maximi, qui ejusmodi rescriptum penes se retinuit. Quæ porro causa esset, quod cum Athanasium, tum plebs Alexandrina, dueis fidem interponi curarent, ipse aperit Athanasius. Aderat

(a) Athan. *Hist. Arian. ad monach.*, n. 47, 48, 50.  
(b) Athan. in *Vita Antonii*, n. 91, 92.

(c) Athan. *Apol. ad Constant.*, n. 19 et seqq., et *Hist. Arian. ad monachos*, n. 52.

scilicet ingens suspicio insidiarum, non tantum quia nullo oblato imperatoris rescripto jussum esse jactitarent ut Athanasius Alexandria excederet, sed etiam quia permulti cum Syriano essent Ariani comites quibuscum ille quotidie epulabatur ac consilia iuibat, ut nisi eorum arbitratu nihil ageret. Quæ omnia certam male suspicandi causam Athanasio afferrent. Cum Syrianus itaque decima septima Januarii fidem ita dedisset, populus lætus, ac bene secum actum esse putans, conventibus ecclesiasticis vacabat, omni posito metu ac suspicione. Sed insidiosa promissa fuisse exitus comprobavit.

2. *Syrianus noctu ecclesiam invadit. Cædes perpetrata. Athanasius se subducit.* — Nam elapsis viginti tribus a data fide diebus, ineunte nona Februarii, dum pervigilium agit subsequenti in Parasceve synaxeos, media circiter nocte, dux exercitus Syrianus repente cum militibus irrupit plus quinque milibus, qui armis, strictis gladiis, arcubus, telis, fustibus, galeis instructi erant (a). Atque concitantibus comitibusque Arianis, ecclesiam densis collocatis militibus, ceu arcem quamdam hostiumve castra circumscedit, ne quis posset evadere. Tum Athanasius, ratus non probi pastoris esse gregem in tanto tumultu deserere, ac se solum subducere periculo, in throno sedens diacono jussit ut Psalmum legeret, populoque ut responderet, *Quoniam in æternum misericordia ejus*, ac omnes deinceps se reciprent, abirentque domum. Verum peracta lectione, populoque precante, a militibus janua confractæ sunt. Foribus autem vi multitudinis patefactis, Syriani jussu alii sagittas emittere, alii bellicum canere; hinc armorum strepitus insonare, enses ad lampadum fulgorem micare. Post hæc virgines occisæ, multi irrupentibus militibus corruere, alii sagittis confossi cadere. Militum pars ad prædam versi virgines nudabant, quibus vel minime virorum contactus ipsa morte acerbior erat. Tum episcopus qui in throno sedebat, conspecta clade et calamitate, surgit et ad preces cohortatur. Dux autem, qui loci sanctitatem tantidem quanti fidem suam fecit, agmen agebat comite Hilario notario, qui ea machinabatur quæ rerum exitus palam fecit. Nam Arianorum, quorum furoris administer fuit ille, hoc consilium erat, ut Athanasium nec opinantem confoderent, rati non posse diu se, vero episcopo incolumi, alienam ecclesiam obtinere. Milites porro sacrario circumfusi, corona facta, locum obsident, ut Athanasio adimant evadendi facultatem. Tunc quotquot e clero et populo istic aderant, clamare et obsecrare ut se subduceret. Ille contra negare recessurum se, nisi singulis egressis; satius esse periclitari se, quam lædi quempiam e plebe. Excedentibus ergo quamplurimis, cæterisque subsequentibus, qui cum Athanasio intus erant monachi et ex clericis quidam, in thronum ascendentes sanctum præsullem per-

traxere. Raptatus autem ille, ac Deo duce monachorumque et clericorum ope via facta inter strictos gladios et carnifices, qui ei necem parabant, pene exanimatus vi trahentium et compressione turbæ, clam militibus numine providente discessit; licet pars sacrarium circumsciderent, pars ecclesiam obsiderent. Ac in tuto cum fuit, dignas divinæ misericordiæ gratias retulit, quod, nec populo deserto, inimicorum manus evadere licuisset. Exinde vero Syrianus et Hilarius ubi stragem conspexere, militibus imperarunt ut defunctorum corpora amolirentur, in abditisque locis deponerent. Sanctissimæ porro virgines, quæ cæsæ relictæ fuerant, in monumentis sepultæ sunt, martyrii gloriam ipsis Constantii qui se Christianum profitebatur, temporibus adeptæ. Diaconi autem in ipsa ecclesia plagis concisi ac reclusi sunt.

3. *Contestatio Alexandrinorum.* — Neque tamen hic constitit scelus. Nam post ea gesta (b), quivis arbitratu suo quam posset janua confringebat, ut obviam quæque diriperet. Imo ad ea loca penetrarunt, quo ne Christianis quidem omnibus liceat ingredi. His locis tam sanctis manus impias ac sacrilegas afferre ausi sunt scelerati homines, a quibus etiam oculos cohibere religionis jura cogebant. Hæc autem præsertim ipso Alexandria duce Gorgonio gesta sunt. Abscedentibus porro re adeo præclare gesta militibus, arma, tela, enses in ecclesia relictæ sunt, quæ populus ibidem suspendit in facti memoriam. Nam postquam fracti ac perterriti improvisa irruptione animi confirmati sunt, tum catholicorum multitudo coacta rescriptum edidit, quo rerum indignè gestarum ferrent testimonium, commemorarentque confractas fores, invasionem in ecclesiam, cædes, expilationem, aliaque id genus. Quod ubi comperit dux Syrianus, obvios vi compellebat ad testificandum, nullum exstitisse tumultum, nullam cædem factam. Quod sane argumentum erat, injussum illum id facinoris perpetrasse. Alexandrini autem, conspecta ducis iniquitate, hominem adeunt, rogant nulli vim inferat, neu gesta neget. Ille plebem fustibus cædi ac profligari jubet, nihil reveritus Christianorum cœtum. Ac cum edidicisset, arma et tela a militibus relictæ in templo fuisse suspensa in rei gestæ memoriam, exercitus ut vocabant Dynamium cum tribuno misit, qui asportarent. At Catholicorum cœtus id minime concessit, nec sivit auferri tam conspicua violatæ ecclesiæ vestigia. Exinde vero plebs catholica aliud edunt rescriptum ad imperatorem transmittendum (c), quo testificantur, cum ex priore rescripto occasionem arripuerit Syrianus contraria gestis rebus testimonia extorquendi, rogare et obtestari se Maximum Ægypti præfectum et curiosos, ut facti veritatem Constantio deferant; obtestari item et obsecrare nautas omnes, ut imperatori isthæc omnibusque

(a) Athan. *Apol. ad Constant.*, n. 25, et *Apol. de fuga sua*, n. 21, et *Hist. Arian. ad monachos*, n. 81.

(b) Athan. *Hist. Arian. ad monachos*, n. 81.

(c) Athan. *ib.*

per diversa loca præfectis ac iudicibus renuntient. A Exinde narrant ordine quæ ad v Idus Februarii gesta essent, uti nos supra recensuimus. Si sit illud ab imperatore edictum, paratos esse se ad martyrium subeundum; sin hoc Augusti placitum non sit, rogare Maximum reliquosque magistratus id apud Constantium agant, ut ne in posterum ejusmodi res eveniat. Obsecrare item, ut rescriptum a se editum imperatori offeratur, nec quis alius episcopus intrudatur in locum Athanasii, quem sibi Deus ab initio dedisset secundum successionem Patrum suorum, quem ipse Constantius juratus cum litteris transmisisset Alexandriam. Datum fuit hujusmodi rescriptum post consulatum Arbethionis et Lolliani, Mechir xvii, quæ est xii Februarii.

4. *Georgius Antiochiæ deligitur.* — Interea de B successore in vicem Athanasii deligendo agebant Ariani. Et sane veri satis simile est quod habet Sozomenus (a), ordinatum scilicet Georgium fuisse in synodo Antiochiæ coacta; cujus principes erant Arianorum ea tempestate antesignani. In mensem Februarium hujusce anni opportune potest Georgii ordinatio conferri. Cætera porro, quæ ibidem narrat Sozomenus, ἀσύντατα sunt, potissimumque quod ait, superstite adhuc Constante cooptatum fuisse Georgium. De ejus moribus et ingressu Alexandriam pluribus inferius.

5. *Constantius nefaria Syriani gesta probat, et alia adjicit.* — Accepta imperator Alexandrina clade a Syriano gesta, ut erat feroci in Athanasium ejusque sequaces animo, factum probavit (b). Non ille C funestam cædibus ecclesiam, non sacrorum expiationem, non denudatas virgines, non omnia sacra profanaque violata graviter tulit. Tanto nimirum Arianismi studio tenebatur, ut quantumvis atrox immaneque facinus, in rem modo illius cederet, probe factum optimeque consultum existimaret. Neque hic tamen fuit calamitatum finis. Litteris quippe ad senatum et populum Alexandrinum missis juvenes cohortabatur, ut una coacti Athanasium insequerentur, ac ubi loeorum esset pervestigarent, interminatus indignationem suam si non gererent morem. Litteras ejusmodi detulit Heraclius quidam comes, præcursor Georgii mox Alexandrinam sedem invasuri. Litteræ autem publice D lectæ sunt. Aiebatque Constantius se in gratiam fratris sui Constantis, non suo motu vel consilio, dedisse Athanasio Alexandriam revertendi facultatem. Comes jussu imperatoris denunciavit Alexandrinis, maximeque gentilibus, si non obtemperarent, auferendum panem, evertenda idola, ac plurimis optimatibus popularibusque expectandam fore captivitatem. Deinde his denunciatis minis, non puduit hominem, hæc palam altaque voce proferre: Athanasium imperator non vult episcopum esse, ecclesias Ariani tradit jubet. Hinc mirari omnes,

mutus dare ac dicere: Num Constantius hæreticus effectus est? Ille autem nullo turpissimæ rei pudore, nullo rubore affectus, contra instare, urgere, postulare a senatoribus ethnicorum optimatibus, ædituis idolorum, ut imperatorio rescripto nomen et suffragium darent, profiterenturque illum se recipere episcopum, quem mitteret Constantius. In hoc certe agendo, ait Athanasius, Constantius Ecclesiæ canones egregie vindicabat, namque pro Ecclesiæ litteris, fori litteras; pro Christiani populi suffragiis, ædituorum suffragia reposcebat; gnarus scilicet se non episcopum Christianis, sed iis qui talia scriberent litigatorem mittere. Ethnicici itaque, qui tali subscriptione redimebant idolis suis immunitatem, et nonnulli ex agricolis, ac si de duce aut de alio quopiam misso iudice ageretur, licet inviti, minas tamen pertimescentes, suffragium dederunt. Nam ethnici cum essent, quid acturi erant, quam quod imperatori placeret?

6. *Alia Christianorum calamitas.* — Heraclius porro comes cum comperisset Christianum populum quarta Sabbati coactum in ecclesia esse (c); insequente die, assumpto secum Cataphronio Ægypti præfecto, Faustino catholico sive rationali, Bithynoque hæretico homine, juniores quosdam forenses idolorum cultores concitat, et ab imperatore jussum denuntiat, ut in ecclesiam irruant, populumque lapidibus obruant. Cum itaque jam plurimi post dimissionem Catholici digressi essent, remanentibus paucis mulieribus, tum uti jussum fuerat gesta res est. Eratque miserabile spectaculum. Nam cum paucæ completa oratione mulieres sederent, repente petulans caterva cum lapidibus et fustibus nudi irruentes alias cædere, alias lapidare, sacra virginum corpora plagis concidere, detractis velaminibus earum capita nudare, ex adverso trahentes illas pedibus impetere. Virginum vero modestiam, auriumque castimoniam cum perspectam haberent, gnari graviores obscenis dictis, quam gladiis et lapidibus, injuriam inferri, turpia quæque vociferari, instigantibus Ariani, qui ad ejusmodi sermones erumpebant in cachinnos. Jubentibus autem et cohortantibus comite atque catholico, subsellia, thronum, mensam, quæ lignea erat, vela ecclesiæ et cætera quæcunque potuere, direpta et asportata in magna platea ante ostium combusserunt, thusque injecerunt in ignem. Heu! quis hæc audiens, inquit Athanasius, temperet a lacrymis? imo aures non obstruat, ne alium narrantem ferat. ratus ejusmodi rerum vel auditum damno sibi fore? Tum ethnici in idolorum deorumque suorum laudes erumpunt, palamque clamant ad suam Constantium accessisse religionem, Arianosque suum nec horrere nec improbare cultum, imo vero sese ethnicos simulare, ut sua stabiliatur et confirmetur hæresis. Exinde buculam irrigandis hortis deputatam immo-

(a) Lib. iv, cap. .

(b) Athan. Hist. Arian. ad monachos, n. 48

et seqq.

(c) Athan. ibid., n. 55.

lare aggressi sunt; et sane immolassent, nisi femina ea fuisset, quas in sacrificium offerre religio ipsis erat.

7. *Ultio divina in petulantes ethnicos.* — Ejusmodi facinora impii Ariani cum ethnicis admisere, rati ea in Catholicorum vertere contumeliæ. At divinum Numen inultum scelus non prætermisit (a), gravesque facinorosis immisit pœnas, quibus sese læsum injuriaque affectum ostenderet. Nam ut juvenis quidam ex petulantioribus in sacrarium irruens ausus esset in episcopali throne sedere, sedensque temerarius ille meretricium nescio quid naribus personaret, inde cum surrexisset, thronum convellere ad seque trahere conatus, ignorans se sibi divinam attrahere vindictam, avulso ligno ventrem ipse suum percussit, atque ictu intestina foras emisit. Collapsus itaque asportatus est, et postridie interit. Ingressus item alius, qui thallos manu gestabat, cum more ethnicorum manu illos agitaret, cachinnosque profunderet, repente tenebris offusus oculisque captus, non ultra sciebat ubi terrarum esset: qui jamjam collapsurus, a comitibus suis manu adductus et sustentatus exivit, vixque postridie mentis compos effectus est, facinoris juxta ac casus sui immemor.

8. His conspectis ethnici perterriti sunt, nihilque ultra aggredi sunt ausi: Arianos vero ne tum quidem gestorum puduit, sed ejusmodi facinora a petulantibus hominibus admissa libentes ac læti conspiciabant. Aderat ipsis, opemque ferebat Faustinus quidam rationalis sive thesaurarius, circumforaneus et arrogans homo. Neque sane spectatores illi scelerum tantum fuerunt, sed nefariis ipsi manibus graviora perpetrarunt. « Quam enim, ait Athanasius (b), non diripere domum? quas aedes perversigandi causa non expilarunt? Quein hortum nimis concursationibus non devastarunt? Quod sepulcrum non aperuere, specie quidem Athanasii perquirendi, cum nihil tamen aliud curarent, quam diripere et obvios quosque spoliare? Quam multorum domus obsignatæ sunt! Quam multa, quæ in hospitalibus erant, administris suis militibus tradiderunt! Quis eorum improbitatem expertus non est? Quis illis obviis non sese in foro occultavit? Quis non, relicta domo, in deserto pernoctavit? Quis, dum sua intacta servare curat, non multorum jacturam fecit? Quis maris imperitus non maluit adire periculum navigandi, quam minitantes illos conspiceret? Multi sane in discrimen ne vocarentur, domicilia permutarunt, et a vico in vicum, ab urbe in suburbia transmearunt. Quam multi, cum insidiis Ariatorum multa sibi esset irrogata, cum nihil suppeteret, ab aliis mutuari coacti sunt, gravioris scilicet jacturæ vitandæ causa! » Nemo scilicet Ariatorum manus effugere poterat in calamitatibus indigendis exercitatus. Hæc autem variis

A acta temporibus acervatim uno loco recenset Athanasius.

9. Præfectorum itaque et comitum patrociniō freti Ariani omnibus terrori erant, imperatorisque formidinem opponentes, apud omnes venditabant sese, comminantes illius iram. Virginibus autem Christi implacabile bellum indixerant impuri homines (c), quia eas impietatem detestari comperebant. Quamobrem alias ex ædibus dejecerunt, alias affecere contumeliis; earumque capita, quæ potissima tunc erat ignominia nota, nudari jusserunt a petulanti illa juvenum caterva. Mulieribus quoque suis facultatem dederunt contumelias arbitrio suo cuivis illarum inferendi. Honestæ igitur ac fideles matronæ, his conspectis, declinabant occursum hujusmodi. Illæ autem quasi bacchæ et furæ circumcursantes, detrimentum putabant, si quam non offenderent cui inferrent injuriam.

10. *Quo se proripuit Athanasius.* — Jam ad Athanasium redeamus, a quo nos paulum adduxit illa tanta ab Arianis concitata tempestas. Postquam ergo furori Syriani militumque se proripuisse, hoc unum curavit, ut vitam suam sicariorum manibus ereptam fugæ solitudinique mandaret. Nec tamen in promptu est dicere quo statim loco se receperit. Nam vulgata illa Palladii de Athanasii recessu historia (d) multis nominibus suspecta nobis est. Apud virginem quamdam, inquit Palladius, speciosissimam, viginti annos natam aufugit, stichario tantum seu tunica et birro instructus. Obstupuit virgo rei insolentia. Cui episcopus: Me Ariani nefariis sceleribus accusatum perquirunt: ne ergo in malam incidam famam, neve peccati causa sita iis qui me volunt supplicio afficere, fuga mihi consulere decrevi; mihi que Dominus revelavit hæc nocte nounisi apud te posse me salutem consequi. Illa vero ex animo gaudens, totos sex annos, donec scilicet superstes fuit imperator Constantius, sanctissimum episcopum occultavit, pedes abluens, necessaria suppeditans, librosque mutuata legendos ipsi tradens. Accepta porro Constantii morte, solus noctu in ecclesiam concedit, honesto indutus habitu. Mirantibus autem amicis, quod quem virum defunctum putarent, vivum conspicerent, rogantibusque qui sibi fuisset latebrarum locus, respondit Athanasius: Ea de causa ad vos non confugi, cum ut sciscitantibus jurare vobis licitum esset, tum ut nemini suspectum locum nemo mei quærendi causa adiret. Scribit porro Palladius, eam se vidisse virginem septuaginta tum annos natam. Verum in hujusmodi historia nonnulla aperte falsa, reliqua suspecta videntur. Quod narratur enim divinitus præmonitum, vix dato ad vestimenta induenda spatio, aufugisse; toto sexennio delituisse apud virginem; amicos ejus virum per tantumdem temporis pro mortuo habuisse; hæc, inquam, plane repugnant

(a) Athan. *Hist. Arian. ad monachos*, n. 57.

(b) *Ibid.*, n. 55 et seqq.

(c) Athan. *ibid.* n. 59.

(d) Pallad. *lib. viii*, cap. 130.

sexcentis Athanasii et aliorum testimoniis. Unde nec immerito historia isthæc tota ingenti suspicione laborare videtur. Vel si omnino ad virginem profugerit, paucis sane diebus isthæc commoratus est; cum ante ipsum Georgii ingressum, ex deserto, ut testatur ipse, litteras quasdam dederit, quæ hodieque supersunt.

11. *Athanasius in deserto litteras ad plebem Alexandrinam mittit.* — In remotiora igitur Ægypti loca concessit; nec unquam tamen ab eo, licet absente, debitum Ecclesiæ suæ officium requisitum est. Accepto namque rerum post discessum suum gestarum nuntio, consolatoriam plebi catholicæ Alexandrinæ epistolam misit; qua deplorabat inflictam calamitatem, cædem, expilationem. Hortabatur ne conciderent animo, sed in Deo spem reponerent res ipsorum prospiciente. Et quia de ablatis Arianorumque cœtui traditis ecclesiis dolebant maxime Catholici: « Illi, inquit, loca; vos fidem apostolicam habetis. Illi in locis existentes a vera fide sunt foris; vos vero a locis quidem foris estis, sed fides intus est. Discutiamus quid sit majus, locus, an fides? clarum est utique quia vera fides. Quis ergo plus amisit, vel quis plus habet, qui locum tenet, an qui flem? Bonus quidem locus est quando illic apostolica fides prædicatur; sanctus est, si ibi sanctus habitat. » Exinde vero se didicisse ait, Arianos ecclesiam convertisse in speluncam latronum, in domum negotiationis, et in domum veli. Quid sit autem domus veli, vide in *Onomastico* ad vocem βῆλον. Hanc porro epistolam ex numero earum arbitramur esse, quæ ἐορταστικὰ seu festales vocantur, et ab Athanasio dum, inimicorum furorē declinans, in desertis Ægypti et Thebaidos subinde mutans locum versaretur, ad gregem ipsius missæ sunt, ut in cœtu Catholicorum legerentur. Alterius item numero xxxix fragmentum exstat Græcè, nec non aliud ejusdem epistolæ ex *Festaliis* numero infra commemoratur ex Theodoretis.

12. *Martyrium Eutychii.* — Inter hæc Ariani Alexandriae ecclesiarum rerumque omnium potiti, nihil semel initam intermittebant Catholicorum vexationem, cædem, vastitatem (a). Enimvero Scytharum barbarorumque more, Eutychium subdiaconum, virum probe Ecclesiæ ministrantem, ubi taurinis scuticis dorso ad necem ferine cædi curassent, rogarunt ad metalla transmitti; ad metalla sane omnium asperissima, Phæno appellata, ubi reus vix paucis diebus vitam agere posset. Et quod erat prorsus inhumânium, ac ferini odii indicium, ne paucis quidem horis ejus curari vulnera concesserunt; sed continuo lacerum viæ commiserunt. Tum superbe impii homines hæc effutire: Si ita res agatur, reformidabunt omnes, ac deinceps nostris erunt partibus addicti. At ille non multum progressus, cum ex vulnerum dolore iter ad metalla conficere non posset, inter eundem extinctus est.

Ac lætus quidem ille obiit, martyrii gloriam adeptus. Impii autem homines, qui sensum omnem humanitatis amiserant, atrociora statim admisere scelera. Nam cum supplices populi pro Eutychii salute precarentur, jusserunt illi ut quatuor ex turba probi liberique viri, interque eos Hermias, qui mendicorum pedes abluerat, mox corripierentur, quos gravibus ante plagis concisos dux conjecit in carcerem. Hos ubi Ariani plagarum vi non interire perspexerunt, efferatis animis in ducem fremere, expostulare, comminari: Eunuchis, niebant, renuntiabimus ducem non arbitrio nostro verbera infligere. Dux autem non ignarus summam rerum penes eunuchos tuncesse, perterritus homines denuo comprehensos concidi verberibus mandat. Illi vero cum probe nossent quid causæ esset quod ita vapularent, hæc inter verbera effari: « Propter veritatem vapulamus, nec tamen communicamus cum hæreticis. Verbera pro libidine, a Deo hæc de re in iudicium vocandus es. » Impii vero Ariani summopere optabant, ut illi in carcere vi vulnerum interirent. Sed catholica plebs nacta opportunitatem, septem interpositis diebus, impetrarunt probis viris libertatem.

13. *Eleemosynam erogare Ariani vetant.* — Ariani autem, quasi rem indigne ferrent, immane facinus aggrediuntur. Cum enim egenos conspicerent et viduas sedere in assignato sibi loco a clericis, quibus viduarum cura concredita fuerat (b); (namque cum dux Arianis ecclesiam tradidisset, interclusus Catholicis erat earum aditus;) cum cernerent item prompto et alacri animo viduis victum necessariaque præberi, tum cœperunt calcibus eas impetere, fugare, territare; eos autem qui victum eis erogarent deferebant ad ducem, ministro usi Dynamio quodam milite. Eratque illud Sebastiano Manichæo pergratum perque jucundum. Apud Manichæos namque nulla commiseratio: perosa sane res ipsis erat pauperem miserari. Insolens itaque accusationis genus, novum tribunal ab illis jam primum excogitatum est. Ob beneficium namque collatum in jus ambulabant homines. Qui beneficium tribuerent, deferebantur, qui reciperent, vapulabant. Neque tamen scelesti Ariani bis præclare actis ea nacti sunt, quæ assequi peroptabant: imo vero in gravissimum incurrerunt universorum odium. In spem venerant, terrore, insidiis, periculorum denuntiatione, multos ad hæresim amplectendam abductum-iri, atque ita magnam conventibus suis parari frequentiam: verum cessit res contra quam rati erant. Ærumnas enim et vastitatem Catholicis fortiter ferebant; ac nedum veritatem proderent et negarent, fortiore in dies animo pericula et calamitates adibant, rati ea sibi martyrii loco esse. Amentes autem Ariani grandem sibi vel apud gentiles parabant invidiam; qui conspecta barbarorum hominum carnificina, nullis non maledictis, nullis non conviciis scelestos

(a) Athan. *Hist. Arian. ad monachos*, n. 60.

(b) Athan. *ibid.*, n. 61.



incessabant. Est quippe ab ortu insita hominibus **A** *de fuga* (d), inter ea quæ post Georgii adventum gesta commemorat, nihil ex supra recensitis compareat. Et vero ex epistola ejus encyclica ad episcopos Ægypti (e) palam est, jam multa ante Georgii ingressum, Alexandriæ et per totam Ægyptum in catholicæ rei perniciem machinatos fuisse Arianos, imo episcopos et presbyteros quamplurimos misisse in exilium. Nam ad omnia quæ jam admitterant facinora, novum hoc insidiarum genus adiecere: coacti scilicet Ariani formulam fidei edunt ad episcopos Ægypti transmittendam, ab ipsisque subscribendam, denuntiantes exilium iis qui nolent suffragium dare. Quo comperto Athanasius epistolam misit encyclicam ad universos Ægypti et Libyæ episcopos; in qua, præmissis multis de diaboli versutia, insidiis, machinationibus, de inani hæreticorum sollicitudine ut testimoniis ex Scriptura mutuatis errores suos confirmet, ait accepisse se illos multam in eo navare operam, ut episcopos Ægypti et Libyæ cogant suæ sententiæ astipulari; si abnuant, pellant sedibus; eo scilicet consilio, ut sua confirmata sententia, Nicænam abrogent fidem. Nec mirum, non esse illis Nicænam doctrinam satis, quando ne suis quidem contenti formula, novas singulis annis edunt, priores obliterant: quod sane perspicuum sit Arianae impietatis atque instabilitatis argumentum. Queritur viros ad episcopale munus, tanto gradu indignos, ac ne Catholicos quidem, promoveri ab impiis hominibus. Adjectis exinde multis, narrat Arii interitum, ut commonstret Deo invisum fuisse hominem tam insolenti mortis genere sublatum. Meletianos ait cum Arianis non primitus et ab origine consentire, sed cum ante mutuo odio conflagrasset, jam in unum veritatis opprimendæ consilium concurrisse. Utrosque autem ab Ecclesiæ communione jamdiu proscriptos fuisse, Meletianos nempe ut schismaticos ante quinquaginta quinque annos, Arianos vero ut hæreticos ab annis triginta sex, in Alexandrina nempe synodo anno 320, et in Nicæna anno 325. Jam multa molitos et machinatos esse Arianos, ecclesias invasisse, episcopos misisse in exilium; sed spem esse sibi, fore ut imperator, si quando hæc comperiat, eorum consilia disturbet ac prævertat. Hortatur denum fortiter impiis obstant, nec veritatis causa mortis adire periculum reformident.

14. *Presbyteri et diaconi fugati*. — Sub hæc autem in presbyteros et diaconos grassatur Ariana rabies (a); qui ducum et judicum auctoritate profligati, fuga sibi salutem providere coacti sunt. Tum in affines eorum sævitum est; qui statim pulsii domibus ac sedibus suis, fugatique sunt. Si qui vero in ducis manus incidissent, hi plagis et verberibus ad necem ferme lacinati sunt. Quodque indignissimum juxta ac fœdissimum erat, cum vivorum, tum mortuorum panes petulanter diripiebant. Neque vero audiendi, qui vocem *ἄρτους*, *artus*, non *panes*, verti volunt. Res est sane apertissima, panes hic ab Athanasio, ut et alias similibus in locis, intelligi. Neque exemplo quopiam nititur prior interpretatio.

15. *Martyrium Secundi*. Ariani formulam fidei edunt. Epistola Athanasii. — Ea porro erant animi vafrities Ariani et calliditate, ut patrocinii sui pollicitatione ac pecuniarum largitione, multos sibi allicere tentarent; ut quandoquidem non ex æquo et bono in pretio erant, vel hinc saltem apud rudiores aliquam præferrent speciem dignitatis. Si quos recte frugi homines infensos sibi nossent, apud quos nullus ad pecuniam, ad blandimenta, ad munera aditus esset, hos nullis non malis, nullis non calumniis onerabant. Videre erat homines per urbem, perque varia Ægypti loca circumcursare, ut si quos offenderent hujusmodi, flagris, verberibus, exsilio, imo morte, si possent, afflicerent. Non illis nocturnæ invasio, non cædes atque expilatio, non ab Heraclio illata vexatio erant satis; sed levissimum suisque consiliis addictum Constantii animum ad graviora inferenda compellebant, necemque piorum hominum omni arte et studio moliebantur. Nam summæ viri audaciæ, Secundus Pentapolitanus strenuus rei Arianae propugnator, et Stephanus scelerum socius, gnari se hæreseos gratia et patrocinio nulla non crimina impune admissuros, cum in Barca presbyterum sibi non obsequentem deprehenderent, Secundum nomine, ita calcibus virum impetierunt, ut ictuum vi et frequentia interiret. Ille dum vocaretur has emisit voces (b): Nemo me apud judices ulciscatur, ultor aderit Dominus, cujus causa hæc patior. Illi vero nulla ejus miseratione commoti, nulla ducti sanctæ Quadragesimæ, qua hæc agebantur, reverentia, eum calcitrando interemerunt.

15. Hæc porro quæ superius enarrata sunt ante Georgii ingressum Alexandriam gesta opinamur: tum quod ea ipsa Athanasius post Syriani et Heraclii gesta consequenter enarrat in *Historia Arianoꝝ ad monachos* (c), antequam ad ingressum Georgii Alexandriam veniat; tum quod in *Apologia*

16. *Ingressus Georgii Alexandriam. Nova in Catholicos irruptio*. — Erant ea quæ supra memoravimus mala, præludia ingressus Georgii Alexandriam. Is denum magna militum manu stipatus, qui mos erat Arianoꝝ præsulum, sedem invasit Alexandrinam (f). Erat Georgius genere Cappadox, Tharbastenites dictus a vico, ut putatur, unde traxit originem (alii Cilicem dicunt), homo illiberalis et ine-

(a) Athan. *Hist. Arianoꝝ ad monachos*, n. 65.

(b) Athan. *ibid.*, n. 65.

(c) N. 58 et seqq.

(d) N. 6 et seqq.

(e) N. 22.

(f) Athan. *Ep. ad episc. Ægypti et Libyæ*, n. 7, et *Apol. de fuga sua*, n. 6, et *Hist. Arianoꝝ ad monachos*, n. 75. Greg. Naz. *orat.* 21; Amman. *Marcell.* l. XII; Sozom. *lib.* IV, cap. 10.

ruditus, nulla mentis dote commendatus. Fullonis A filium fuisse ait Ammianus Marcellinus; qui parasi statim et gnathonis conditionem sectatus, nihil non ventris glazque causa agere paratus erat. Postmodum autem auctus in damnum complurium, penuriarum exceptor effectus, Constantinopoli suillis carnibus recipiendis ac distribuendis operam dabat; cumque pecunias omnes depeculatus esset, repetundarum reus aufugerat. His vir præclarus gradibus ad episcopi dignitatem ascendit. Ne quidem Christianum fuisse, quando fuit ad sacerdotale ministerium vocatus, testatur Athanasius. Hujusmodi hominem quærebant Ariani, venalem scilicet, cujus vita omnibus flagitiis inquinata esset, sumptus effusi cum probro atque dedecore, prorupta audacia, tantaque avaritia, ut nihil non ipsi quæstui B esset opportunum. Ut talem igitur hominem decebat, adfuit ingredienti militare satellitium, quasi scilicet arceam ille non Ecclesiam regendam susciperet. Quadragesimæ tempus erat cum ille advenit (a). Neque ita multo post, quid ab hujusmodi pastore Dominico gregi expectandum esset palam fuit. Etenim post hebdomadam Paschatis videre erat virgines in carcerem conjici, episcopos a militibus vinctos abduci, orphanorum viduarumque domos et panes diripi, irruptiones in domos fieri, multa nocte Christianos ædibus deturbari, domicilia obsignari, fratres clericorum pro fratribus periclitari. Hæc quidem atrocitas, sed atrociora deinde consecuta sunt facinora. Nam hebdomade sacram Pentecosten subsequente (b), cum populus expleto jejuniis orandi causa ad cœmeterium, vel ut alio loco ait Athanasius, ad desertum locum prope cœmeterium egressus esset (nam quod omnes a Georgii societate et communione abhorrerent, ecclesias Arianis traditas frequentare volebant), re comperta sceleratissimus ille Sebastianum ducem concitat, auctorque est ut populum infestus adoriatur. Qui nec mora, cum manu militum plus trium millium, armis, strictis gladiis, arcubus et telis instructorum ipsa die Dominica in populum irruit. Tum perstreperere et horrere omnia, tumultu, clamore, plagis, gemitu dolentium, quod solet in hujusmodi incursionibus evenire. Commodum tamen accidit, ut cum adveniente hora turba populi digressa domum se recepisset, pauci eo in loco residui essent, qui nullis non malis contumeliisque sunt affecti. Non mulieres, non parvuli intacti fuere; qui tamen mali nihil admiserant, precibusque vacabant. Exinde vero in virgines sævitum est. Accenso quippe rogo, admotas igni dux compellebat ad Arianam lidem amplectendam. Ubi autem eas vim tormenti superare ignemque nihil curare animadvertit, nudas tot plagis in vultum impactis dehonestavit, ut per aliquantum temporis spatium ne a familiaribus quidem internosci possent. Dum autem illæ inter verbera

Christi Domini auxilium implorant, dentibus illi stridere ceu læsi et injuria affecti. Viros quadraginta comprehensos, dux insolenti ac inmani supplicii genere multavit. Nam virgis palmarum recens amputatis, quibus adhuc aculei hærebant, sic eorum terga laceravit, ut nonnulli ob infixos aculeos medicorum subinde manu opus haberent, imo quidam vim plagarum non ferentes interirent (c). Reliquos autem omnes apprehensos una cum virginibus in magnam Oasin deportari curarunt.

17. *Consolatoria Athanasii epistola.* — Corpora porro eorum, qui vi plagarum extincti sunt, non continuo ad funeris justa solvenda tradiderunt; sed ipsa abjecerunt insepulta, cænisque discerpenda, donec cum ingenti periculo cognati suorum corpora clam subducerent; qui haud sine magno labore curarunt, ut ne cuiquam res nota esset. Ariani hisce offerati animi indicibus summæ sibi crudelitatis famam conciliarunt, ut nemo non eos quasi facinorosos et execrandos ubique traduceret. Hac de re porro consolatoriam epistolam misit Athanasius, cujus fragmentum affert Theodoretus. « Horum, inquit, causa nemo vestrum dolore crucietur, licet impii sepulturam invident, et funeralia prohibeant. Eo enim usque progressa est Arianorum impietas. Portas occludunt, ad sepulcra sedent quasi dæmones, ne quis defunctus eo inferatur. » Ad virgines missam epistolam ait Theodoretus. Viros tamen una cum virginibus alloqui videtur Athanasius, cum ait, καὶ θαπτομένοις ὑμῶν φθονούσιν. Unde conjectare liceat ad cœterum Catholicorum missam epistolam fuisse, et aliquam esse ex iis quæ ἱστορικῶς sive in cœtu Christianorum legendæ dicuntur.

18. In sacras autem virgines hæc etiam gesta fuisse commemorat Athanasius (d). Admirandi, inquit, Ariani, iudicibus ipsis sibi hæc in re minuantibus obtemperantibusque, nudatas virgines in hermetariis, ut vocant, suspendi jusserunt, et sic illarum latera ternis usque vicibus lancinarunt, ut ne viri quidem scelestissimi talia unquam sint experti. Sed jam ad ista omnia Ariani obdurerant, et humanitatem omnem auiserant.

19. *Ecclesiæ jussu Constantii Arianis traduntur. Episcopi vexati et pulsati.* — Eo ipso tempore edicto mandavit Constantius, ut omnes episcopi catholici Ægypti et Libyæ sedibus pellerentur, ecclesiæque traderentur Arianis (e). Qua data jussione, confestim una omnes episcopi vexati, profligati, pulsati, vel ad simulandam cum Arianis communionem coacti sunt. Ad nonaginta numero erant qui cum Athanasio communionem et societatem colerent, in quos omnes Arianus furor grassatus est. Nam misit Sebastianus dux litteras ad omnes ubique locorum præpositos militaresque tribunos; quorum

(a) Athan. *De fuga sua*, n. 6.

(b) Athan. *Apol. ad Const.*, n. 27.

(c) Athan. *De fuga sua*, n. 7.

(d) *Apol. ad Constant.*, n. 33.

(e) Athan. *ibid.* n. 27, et *Apol. de fuga sua*, n. 7, et *Hist. Arian. ad monachos*, n. 72.

opera veri ac probi episcopi exacti; ii vero, qui impie sentirent, in eorum sedes intrusi sunt. Grandævus igitur episcopos, qui ab Alexandro ordinati in sacerdotio consenuerant, in exsilium deportari curarunt, Ammonium scilicet, Hermem, Anagampum et Marcum in superiorem Oasin; Muim, Psenosirim, Nilanmonem, Plenem, Marcum et Athenodorum in Ammoniacam, non alia mente, quam ut per deserta loca peragrantes interirent. Nam ne infirmos quidem miserati, dum ægre illi conficerent iter, compellere tamen illi, urgere; et si qui non possent incedere, ne puncto quidem temporis intermissa via sellis deferebantur. Tam ardui itineris laborem non ferens unus eorum præsul, cujus tacetur nomen, extinctus est. Illius cadaver suis asportandum non concesserunt. Tam feroci nimirum erant animo, ut ne morte quidem adversariorum mitigari possent. Eadem de causa Dracontium episcopum ad deserta loca circa Clysma in Arabia relegarunt: Philonem, Babylonem, Adelphium in Psinabla Thebaidis, Hieracem et Dioscorum presbyteros Syenem exsules miserunt. Alios ad fugam eapessendam compulerunt, nempe Ammonium, Agathum, Agathodæmonem, Apollonium, Eulogium, Apollon, Paphnutium, Gajum et Flaviium antiquos episcopos: Dioscorum, Ammonium, Heraclidem et Psaim item episcopos profligarunt; quorum alios ad lapicidinas, rem prorsus indignam, abduxerunt, alios ad necem insecuti sunt, aliorum multorum facultates diripuerunt. Demum ad triginta numero, ut fertur apud Athanasium, vexati et in fugam versi sunt, præter exsules, qui ad sedecim erant, Eratque miserabile spectaculum, episcopos vinculis constringi, presbyteros et monachos ferreis catenis ligari, ad necemque lanatos mitti in exsilium. Tum mista ubique omnia, atque in periculo versabatur Ægyptus tota. Dum enim populi edictum hujusmodi perindigne ferrent, viderentque bona sua et fortunas devastari et in Arianam rem converti, in motuum seditionumque discrimen respublica vocabatur.

20. *Monasteria eversa.* — Tum monachi cum primis Arianorum furorem experti sunt. Enimvero non erat improbis hominibus satis quod monasteria evertent et solæquarent (a); sed etiam monachos in ignem conjicere, vivosque concremare conabantur. Dum Catholicorum domos devastarent, deposita etiam ab Athanasio in honestorum civium ædibus collocata irrumpentes abstulerunt. Interea tamen clerus plebsque catholica tot ærumnis, tot calamitatibus afflicti (b), de constantia ac de veræ fidei studio nihil intermittebant. Duo certe tantum presbyteri, Machetes et Didymus, vexationis declinandæ causa ad Arianorum se partes proripuerunt. Nec defuere inter episcopos Ægypti, qui fracti

A terróre atque impendentium periculorum metu ad Arianos descenderent; inter quos adnumeratur Theodorus Oxyrinchi; qui postquam inter Arianos computatus est, denuo ordinatus a Georgio fuit (c).

21. *Qui fuerint episcopi ab Arianis constituti.* — Periniqua perque indigna res populis visa fuit, cum tot tamque gravibus ac grandævus episcopis profugatis (d), ethnici nondum initiati, catechumeni, senatores, juniores petulantesque homines, idololatæ, bigami, magnisque criminibus obnoxii viri ad eorum implendas vices delecti sunt, postquam ab Arianis Christianam fidem didicissent, qui Ariani ad suos quæstus Ecclesiæ dignitatibus abusi, venalia cuncta proponebant. Hoc sane cæteris eorum sceleribus velut cumulus accessit. Non quærebatur ex apostolico præcepto, inculpatusne quis ac integris moribus esset; sed qui plus auri penderet, is episcopus renuntiabatur. Nihil curabant impii quod vel gentilis esset qui accederet, aurum modo daret. Hinc populis gravior emerit calamitas: eum enim mercenarios illos alienosque sibi viros aversarentur, tunc verberati, proscripti, carcerique a duce mancipati sunt. Quod ille, utpote Manichæus et Catholicis infensus, libenter exsequabatur. Qui porro ejusmodi episcopos ordinarent, Meletiani erant: qui plerique omnes non religiosa institutione educati, non sanam fidem, non quid Christianismus, non quibus Christiani Scripturis uterentur noverant. Nam quidam eorum ex gentilitate, alii ex senatu et ex supremis magistratibus ad Christianos accesserant, ut miseram immunitatem ac patrocinium nanciscerentur; antiquioribusque Meletianis pecunia corruptis, ad eam pervenere dignitatem, priusquam catechumeni essent. At etiamsi fuissent, qualis, quæso, institutio apud Meletianos? Nullatenus ergo instituti derepente accedunt, statimque accepto quasi infantis nomine, episcopi sunt appellati: ignari sane homines quid esset pietatem inter et impietatem discriminis. Hi igitur, jubente imperatore, ne minimum quidem cunctati, ex Meletianis Ariani sunt effecti, parati certe ad quemvis Constantii nutum religionem mutare. Næ illi, cum ita moribus et cultu versatiles essent, rati Ecclesiam civilem esse senatum, cum adhuc idolorum impietatem utpote ethnici saperent, usurpato tamen præclaro Christi nomine, Ariana peste totam infecerunt Ægyptum; Ægyptum scilicet, in qua sola Orientis regione libera hactenus ubique fuerat sanæ fidei prædicatio (e).

De violatis Ecclesiæ sacerdotibus gravissime conqueritur Athanasius (f): tantæque auctorem calamitatis Sauli et Achabo, Pharaoni cæterisque hujusmodi tyrannis comparat. Ino Achabum in ea re Constantio antefendum, quod viso Elia pœnitens

(a) Athan. *Hist. Arian. ad monachos*, n. 70, 72.

(b) Lucifer *pro Athanasio*, 11.

(c) Marcellin. et Faustin. in *Libello*.

(d) Athan. *ibid.* n. 73, 78.

(e) Athan. *Apolog. ad Constant.*, n. 10.

(f) *Hist. Arian. ad monachos*, n. 67, 68.

perthesusque sceleris aliquando fuerit : verum Constantius in malis inferendis exercitatus, calamitatibus calamitates adjiciebat, atque pulsus graviore ærumnas parabat, ἀθάνατον κακὸν γινόμενος εἰς αὐτοῦς, ait Athanasius (a), alludens ad Homeri carmen de Scylla :

Ἡ δὲ τοι οὐ θρητή, ἀλλ' ἀθάνατον κακὸν ἐστὶ.

Non mirum autem, subsequitur ille, si ita in episcopos sæviat, qui ne cognatis quidem suis pepercit. Patruos enim occidit, patruales sustulit, socerum cognatosque nihil miseratus est. Omnibus perjurus : erga fratrem, cujus sepulcrum excitare se simulat, impius et inhumanus : nam desponsam ejus Olympiadem barbaris tradidit, quam ille ad obitum usque apud se servavit, educavitque quasi propriam sibi uxorem. Eam Constantius scilicet Arsaci Armeniæ regi locavit conjugem, neque multo elapso tempore post Constantis mortem.

22. *Pia populi Christiani studia.* — Inter innumeras istiusmodi calamitates, verbera, exsilia, cædes, eminebat Christiani populi alacritas ad martyrium subeundum (b), graviorique in impiam hæresim odio conflagrabant Catholici. Hinc luctus, lacrymæ, gemitus, universis uno ore ad Dominum elinantibus : *Parce, Domine, populo tuo, et ne des hæreditatem tuam in opprobrium inimicis tuis : sed festina ut eripias nos de manu iniquorum. Num famulis ecce tuis non pepercerunt, sed viam præmuniunt Antichristo.*

23. *Oxyrinchi laus.* — Sensit sancta Oxyrinchi civitas hæreticorum furorem. Erat ea urbs perampla et populosissima, in qua tum uno tempore viginti millia virginum, et monachi ad decem millia degabant (c). Ejus, uti diximus, episcopus Theodorus, cum ad Arianas partes descivisset, denuo ordinatus a Georgio fuit. Quam rem indigne ferentes populi, ab ejus communione recesserunt, quemadmodum et monachi; quorum tum antesignanus erat Paulus quidam, vir sanctitate conspicuus. Ecclesiam vero deinde interposito quodam temporis spatio regebant presbyteri et diaconi. Si Faustino et Marcellino sit fides, in Theodori locum cooptatus est Heraclides, qui postea ad Luciferianos defecit. Erat item, ut in aliis permultis Ægypti Ecclesiis, episcopus quidam Oxyrinchi Meletianus, nomine Apollonius, qui Seleuciensi postea synodo interfuit. Ita tres in partes distracta tum erat civitas. Tantam scilicet hæreticorum furor Constantiique levitas reipublicæ Christianæ intulerant perturbationem atque perniciem.

24. *Athanasius Apologiam ad Constantium edit. Ut Constantium adeat iter ingreditur. Remigrat in solitudinem.* — Inter hæc Athanasius in secretioribus eremi locis per summa corporis incommoda delitescebat, ac cum feris, ut ipse ait (d), latendi

causa versabatur. Cum autem Constantii imperatoris animum non probe perspectum haberet, ratus imprudente illo tanta admitti facinora, orationem in ejus conspectu ad propulsanda crimina habendam adornabat. Et primo quidem ille imperatorem, utpote Christianum ac religiosum, cum fiducia se adire significabat. Statimque a principio ex visceribus causæ orsus, grande se ait afferre in sycophantas argumentum, quia scilicet Ursacius et Valens, qui a multis retro annis ficta sibi crimina obtulerant, libellum postea pœnitentiæ dedissent, quo se mentitos esse et calumnias protulisse aperte fateantur. Magnam hujusmodi argumento accessionem esse, quod se absente, arbitrato suo ipsi rem gessissent; cujusmodi acta non valere nemini comperit non esset. Ex hisce palam esse nullam fidem mendacibus habendam, si quas post hæc criminationes offerrent. Et primo quidem quod jaectabat illi, Athanasium Constanti Augusto in malam partem de Constantio fratre verba fecisse, id nedum verisimile esset, ne fieri quidem potuisse, quando nunquam ille Constantem solum solus esset allocutus, sed semper comitibus permultis, qui geste rei testimonium ferre possent. Rogat ut ne patiantur istam manere suspicionem, sed reminiscatur seipsum Augustum Constantium ter convenisse, ac inter alloquendum ne verbum quidem fecisse contra Eusebium et socios tantarum sibi calamitatum auctores. Quod si ne illos quidem accusaverit, quos

criminandi causa aderat, qua ductus insania imperatorem apud imperatorem accusasset, fratremque concitasset in fratrem? Aliam exinde adversariorum calumniam depellere aggreditur. Aiebant enim eum litteras gratiæ conciliandæ causa misisse ad Magnentium, cujus exemplar in suas incidisse manus jaectabant. Gemit quidem Athanasius sibi tanti atrocis rei vel suspicionem fuisse injectam, cum ignotus plane sibi fuerit parricida Magnentius, qui Constanti sibi patrono aliisque permultis de se bene meritis necem intulerit. Sibi multum ab hujusmodi viro amicorum Constantis interfectore pertinescendum fuisse, cum nemini ipse hac in parte secundus esset. Aliis vero permultis ad eum levandam suspicionem allatis, ad tertiam criminationem progreditur. In crimen quippe vertebant, quod in magna ecclesia, nondum absoluto ædificio, nec expectato Constantii jussu, synaxin habuisset. Ille vero non negat quidem factum, verum ait se non dedicationem ecclesiæ celebrasse, quod injussu Constantii nefas fuisset, sed cum ob ingentem populi frequentiam non possent Catholici omnes in aliis ecclesiis absque periculosa compressione convenire, rogantibus, imo obmurmurantibus populis, ac in desertum locum angustię vitandæ causa proficisci parantibus, compulsus se fuisse eorum optatui gerere morem, atque in ecclesia in

(a) *Hist. Arian. ad monachos*, n. 68.

(b) *Athan. ibid.*, n. 79.

(c) *Marcellin. et Faust. in Libello.*

(d) *Apol. ad Constantium.*

Cæsareo dicta conventum habere, quam rem et ex aliorum usu, et ex recta ratione licitam esse commonstrat. Quartam exinde criminationem ut propulset Athanasius, qua mentiebantur eum imperatori, iubenti ut se adiret, non obtemperasse: negat litteris Constantium suis Athanasio iussisse ut se conveniret, sed quasi rogatum concessisse facultatem se adeundi, quam tamen ipse nunquam postulasset; hincque palam esse eas litteras ex adversariorum suorum conspiratione fuisse datas. Deinde vero cætera sanctus præsul prosequitur quæ nos superius enarravimus. Hac postrema confutata criminatione apologiam clauserat Athanasius, ejusque coram imperatore recitandæ gratia ad eum properabat. At iter ingressus, rumore vulgi edidit quas sui causa Occidentis episcopis Constantius intulisset calamitates. Quo comperto, cum obstupesceret Athanasius ac secum hæsitaret, altera ecce fama vagatur, ecclesias Ægypti Arianis traditas, episcopos pulsos, viros Christianos, virginesque ad necem lancinatos, ethnicos in episcoporum sedes intrusos fuisse. Hæc quamvis accepisset Athanasius, pergebat tamen ad imperatorem, ratus imprudente illo ista peragi; cum tertium ecce nuntium accipit, epistolam a Constantio missam Alexandrinis fuisse, qua Athanasium scelestum, nefarium, omni supplicio dignum significaret, Georgium vero præstantissimum virum in rebus ecclesiasticis exercitissimum. Epistolam item datam ad tyrannos Auxumenos Æzanam et Sazanam, qua jubebat ut Frumentium Auxumeos episcopum transmitterent Alexandriam, ut a Georgio veram fidem sanamque religionem edisceret. Hæc profecto litteræ, quas ad verbum refert Athanasius, animum præferunt maledicorum criminationibus vehementer exasperatum. His acceptis, Athanasius intellexit quanto in discrimine versaretur. Cumque omnes aditus arduos seu potius interclusos videret, in eremum pedem retulit, atque *Apologiæ* suæ ea quæ posterius enarravimus adjecit, ubi et legitimam sibi adfuisse fugæ causam, nec se officio suo defuisse commonstrat. De virginum in Ecclesia dignitate et sanctimonia multa commemorat, et quantum sit criminis Christi sponsas a Christianis tam indigne exceptas, quas ipsi gentiles summo honori et admirationi haberent. Cæterum Constantius ea feritate erat, ut juberet aut adduci Athanasium, aut afferri caput ejus, magna promissa ei qui id ageret mercede (a).

25. *Georgii avaritia et immanitas. A plebe pulsus in sedem restituitur.* — Interea Georgius fretus Constantii gratia, cum sine injuria potestatem levem atque inopem arbitraretur, exactoris ac tyranni magis quam episcopi munus agebat, vimque toti civitati ac populo inferebat ut etiam civibus, erepta

A paterna bona in rem suam converteret (b). Ad hæc nitrum sibi omnem attribuit, cujus magna vis quotannis colligebatur ad lacum Mariam, atque una papyri calamique paludes, necnon salinaria stagna. Imo tam sordida avaritia laborabat, ut quantumvis vilissimæ res essent ipsi quæstui opportunæ. Nulla turpitude, nulla infamia hujus unquam cupiditatem retardabat. Nam inter cætera, lecticarum ad efferenda mortuorum corpora certum numerum assignavit; nec cuiquam, præter eos, quos ipse constituisset, mortuorum, maximeque peregrinorum, corpora efferre licitum erat. Quod non ille hospitalitatis amore, sed lucri pecuniæque causa faciebat. Nemo impune et citra periculum corpus humabat, quia ex singulis cadaveribus nonnihil ipsi quæstus obveniret. Si quis autem sibi indigna molienti obsisteret, eum quamprimum ad Constantium deferebat, professionis suæ oblitus, ait Ammianus Marcellinus, quæ nihil nisi justum suadet et lenè. Memoratur a Juliano Apostata (c) quidam Zeno medicus, Georgii opera in exilium pulsus: qui postea revocatus, ac cum honore restitutus ab eodem Juliano fuit. « Et inter cætera (hæc Ammianus) dicebatur id quoque maligne docuisse Constantium, quod in urbe prædicta, ædificia cuncta solo cohærentia, a conditore Alexandro magnitudine publicarum impensarum extracta, emolumentis ærarii proficere debent ex jure. » Non cogitabat scilicet homo pecuniæ semper quam officii cupidior, quam turpia illa, quam aliena a pastoris munere. Non secum reputabat in civitate versari se, quæ suoapte motu, et ubi causæ non suppetere, seditionibus crebris agitabatur. Quæ sane inconsiderantia virum tandem conjecit in perniciem.

26. Cum itaque his de causis in Catholicorum juxta et gentilium odium incurrisset, concitata plebs, ardensque furore, eum in ecclesia agentem adorta est, parumque absuit quin hominem trucidaret. Vix itaque elapsus, ad imperatorem profugus adiit (d). Ilinc autem data Athanasianis occasione, ecclesias ipsi, exactis Arianis, denuo obtinuerunt; quibus tamen non diu licitum fuit conventus in illis celebrare. Alexandriam enim concedens dux Ægypti, Catholicis ereptas iterum tradit Arianis. Post hæc missus ab imperatore Notarius, qui de seditionis poenas exposceret, multos Alexandrinorum excrucianos verberibusque cædendos tradidit. Pulsus Georgium memorat cum Sozomeno Athanasius in libro *De synodis*. Neque ita multo post ipse Georgius regressus Alexandriam, memor ejus quo perfunctus erat periculi, ardens vindictæ cupiditate, multo plura quam ante mala infert populis. Quibus ipsi calamitatibus magis magisque ad iram accensi, hominem ceu pestem quamdam pero-

(a) Theod. lib. II, cap. 14.

(b) Rufin. lib. I, cap. 23; Greg. Naz. orat. 21; Ammian. Marcellin., lib. XXII.

(c) Epist. 45.

(d) Athan. *De synodis*, n. 37; Sozom. lib. VI, cap. 10.

sum et execrabilem habuere. Præterea perfidiæ et arrogantiae incusabatur a monachis, quorum genus tunc erat per Ægyptum numerus. Hoc autem genus hominum multitudini erat pietatis virtutisque causa acceptissimum. Ut autem narrat Gregorius Nazianzenus, et inferius dicitur in colloquiis Joviani, non in Ægypto duntaxat, sed et in Syria et per totum Orientem, parem quoad facultas fuit intulit vastitatem. « Exque proceribus, ait Gregorius, eos sibi pecunia concillabat, qui auri amorem Christi amori anteferrent; ac potissimum mulieres homines (id est eunuchos) inter viros minime viros, sexu quidem dubios, impietate autem perspicuos: quibus cum seminarum cura committatur, haud scio qui fiat ut eos Romani imperatores virorum officiis muneribusque præficiant. Tantum valuit ille diaboli administrator, ille sator zizaniorum, ille Antichristi præcursor, qui tum episcopum quodam ea tempestate omnium disertissimo linguæ vice utebatur (si cui tamen disertum eum appellare lubeat, qui non tam impius sectarius fuerit, quam inimicus et contentionis studio flagrans: nomen ejus consulto præteribo): ipse manus sibi officium apud suæ factionis turbam retinuit, qui veritatem auro evertere conabatur, quod quidem ad pios usus corrogatum, impietatis instrumentum improbis curantibus evasit. » Quis autem esset episcopus ille, quo vice linguæ uteretur Georgius, haud facile dictu est. Augurantur nonnulli Acacium fuisse Cæsariensem. Sed qui potuit, tanto intercedente inter utrumque spatio, ejus hac in re ministerio uti? Annon potius Meletianum quempiam Arianumve episcopum hic subindicari putandum? Res esto penes eruditi lectoris arbitrium.

27. Georgium porro Alexandriæ sedentem convenit Aetius, τοῦ Ἀθῆου nomine infamatus apud sui ævi et sequentium temporum homines. Si Epiphonio creditur, a Georgio Aetius diaconi gradum accepit; verum alii a Leontio dicunt. Aetii vero adeundi causa Alexandriam item concessit Euno- mius ejus discipulus æmulusque impietatis. Cujusmodi homines Georgius amice comiterque excipiebat, dum Catholicis piisque viris asperrimum bellum indiceret.

ANNO 357. — 1. *Episcopi pulsi alii animo fracti cedunt, alii manent invicti.* — Inter hæc, ex episcoporum numero, qui veræ fidei et Athanasii causa exsulabant, alii invicto semper animo ærumnas, solitudinem inediaque ferebant; alii vero diuturnitate calamitatum fracti cessere demum, atque ad simulandam cum Arianis concordiam deducti sunt. Eminuit quidem Eusebii Vercellensis fortitudo animique firmitas: qui Scythopolin relegatus, principio quidem blande perhumaniterque exceptus fuit, a Patrophilo autem deinceps et ab Ariano, nullis non malis et contumeliis est affectus.

Quæ quidem minutatim enarrare prolixius esset, quam instituti nostri ratio ferat. Adeatur Ferrerius (a), qui rem fuse describit. Scythopoli postea in Cappadociam, inde in Ægyptum deportatus, synodo demum Alexandrinæ anni 362 interfuit, ut narramus inferius. Emicabat item inter confessores lumen Galliæ Hilarius episcopus Pictaviensis de cujus vita, certaminibus operibusque fuse nostri in postrema Hilarii operum editione.

2. *Liberii reditum Romanæ senatoriæ impetrant.* — Verum inter ea firmitatis et constantiæ exempla, quibus Christiani quique ad veram fidem tuendam et propugnandam concitabantur, summus ex Liberii Hosiique lapsu mœror piis hominibus coortus est. Nam ad Liberium quod spectat, dum Berceæ ille versaretur, Romam Constantius venit, atque triumphantis more urbem ingressus est 28 Aprilis anno 357. Tum matronæ Romanæ honorabiliores et senatoriæ, detrectantibus officium viris, Constantium supplices adeunt, reditumque Liberii præsulis sui obnixè postulant. Ille respondet adesse Felicem urbis episcopum, virum tanto munere dignum. Cui illæ, invisum omnibus Felicem esse, nec unquam se posse eo deduci, ut cum ejusmodi viro societatis vel communions quidpiam habeant. Constantius autem, ut rem pergratam Romanis eliceret, jubet revocari Liberium, et una cum Felice ecclesiam moderari. Qua conditione cum risu excepta, et contra clamante populo, unus Deus, unus Christus, unus episcopus, postulatum ille plebi concessit. Ut autem habet Sozomenus, non nisi recum episcopis deliberata evocandum statuit Liberium, et quidem ea lege et conditione, ut Orientium ante sententiam amplexaretur. Cui non statim fuit Romam commigrandi facultas, ut infra narramus.

3. *Blasphemia fidei formula Sirmii edita.* — Hoc anno Sirmii coacti Ariani factionis præsules eam edidere fidei formulam, quæ septima numero recensetur ab Athanasio, tanta refertam impietate, ut blasphemiam nomine insignita fuerit. Nam in lib. *De synodis* apud Hilarium hæc inscriptio legitur: « Exemplum blasphemiam apud Sirmium per Hosium et Potanium conscriptæ. » Sed, ut conjectare licitum est, dolo Arianorum Hosius hic præmittitur, quo major formulæ auctoritas tam præclari viri nomine accederet; quia scilicet Hosius, uti mox narrabitur, eidem formulæ vi et plagarum dolore compulsus, suffragium aseripsit. In ea tacetur nomen substantiæ et consubstantialis, Filius minor Patre prædicatur, honore, dignitate, claritate, majestate, Patrique subditus. Dicitur Pater solus initio carere, immortalis, invisibilis, impenetrabilis esse. Quamobrem jure ab Hilario hæc fidei confessio, blasphemiam et hæresis Sirmiana nuncupatur. Potamius vero illius, ut vulgo existimatur, artifex, Ulyssiponensis episcopus, qui olim catholice fidei

(a) Joan. Stephan. Ferrerius, *De vita S. Eusebii Vercell.* ♦

strenuus vindex fuerat, imperatoris gratiæ aucupandæ causa istam prodidit, Arianisque sese societate junxit. In cujus prævaricationis præmium fundo fiscali, cui cupiditatis oculos adjecerat, donatus est. Quo factum, ut Hosius Potamium ut impium et hæreticum traduceret ubique. Neque bonis tanta impietate partis frui Potamio licuit. Dum enim fundi recipiendi causa properat, divinâ percussus ultione, ulcere linguam corroden- te, necdum conspecto prædio, diem obiit extremum.

4. *Hosii lapsus.* — Tot prostratis subornatisque veritatis vindicibus Constantius, ad Hosium a privato consilio deturbandum semper intentus, senem anno integro Sirmii patria extorrem detinuit. Non ille viri canitiem, non dignitatem, neque paternum erga Hosium amorem est reveritus vir inhumanus; sed majorem centenario, non exsilio tantum, sed contumeliis, verberibus, plagis afficere est ausus. In cognatos autem ejus crinina fingunt Ariani, strenni calumniarum artifices, ut suis suorumque malis jam senio confectus homo frangeretur, ad suasque partes desciceret. Quibus tandem calamitatibus oppressus Hosius eo adductus est, ut cum Ursacio et Valente iniret communionis societatem, Sirmiensi fidei subscriberet, nec tamen unquam calculum ferret in Athanasium, quod peroptabant Ariani. De cujus lapsu a multis hoc sæculo disputatum est. Sunt qui dicant, virum id ætatis non sat mentis competem tum fuisse, sed calamitate et senio debilitatum ad imperatoris conditiones venisse. Ait porro Athanasius Hosium, instante morte, vim sibi illatam quasi testamento declarasse, Arianam hæresim feruisse anathemate, vetuisseque ne quis illam reciperet. Non desunt tamen qui de Hosii penitentia controversias moveant. Nos a re multum implicata consulto brevitatis causa abstinemus. Adeantur ii quibus rei fusius tractandæ otium fuit.

5. *Liberii lapsus.* — Hosii prævaricationem haud ita multo post subsecutus est Liberii lapsus: qui cum priorem vexationis tempestatem fortiter tulisset, fractus demum diuturnitate ac tædio exsiliis, minis Arianorum, suis suorumque ærumnis, remotione familiarium, æmuli item sui felicitate stomachatus, jam ad simulandum declinabat, cum accedens Fortunatianus Aquileiensis dubium Liberii animum, ad ineundam cum Arianis societatem et denegandam Athanasio communionem deduxit. Moxque ille a Demophilo Berœnsi oblatam Sirmiacensem fidem, sive potius perfidiam, suffragio suo munivit, pollicitus nullam se cum Athanasio societatem communionemve admissurum. Exinde litteras dat ad Constantium mittendas, cui testatur se jam dicto audientem esse, damnare Athanasium, precari legatis suis, sibi, aliis exsulis episcopis renigrandi ab exsilio facultatem. Nec tamen ille tantis animi emolliti significationibus postulatam statim est assecutus. Quare diuturnioris moræ impatiens, litteras Orientalibus episcopis rescripsit,

Itemque Ursacio, Valenti ac Germinio Arianorum in Occidente antesignanis: cum probro atque dedecore fractum abjectumque sese indicans, damna- toque Athanasio, supplex postulans eis amicitia et communione adjungi. Usque eo plus apud illum potuit amor patriæ et sedis recuperandæ libido, quam officii ac præteritæ laudis et existimationis recordatio. Ursacio autem et sociis pro Liberio imperatorem rogantibus, demum ipsi in Ecclesiam revertendi copia facta est.

ANNO 358. — 1. *Athanasii Apologia de fuga sua.* — Inter hæc Athanasius in secretioribus Ægypti locis degens, monachorumque tantum cœtus frequentans, comperit Leontium Antiochenum, Narcissum Neroniadis, Georgium Laodicenum, cæterosque Arianos probra et convitia multa spargere in fugam ipsius, ac limiditatis ipsum accusare, quod formidine mortis percussus se proripisset. Quorum ille maledicta ut propulsaret, elegantem edidit apologiam; ubi salse ab exordio irridet hominum amentiam, qui eo consilio, ea spe sibi fugam formidinemque exprobrarent, ut pudore ejusmodi convitii, ultro ipsis occurreret. Narrat vero quantis eos malis affecerint, quos secum non consentire deprehendissent, Liberium scilicet, Hosium, aliosque permultos. Contendit per evangelicam regulam cuique licere capiti et salutis suæ prospicere. Exemplum affert veterum Patrum, prophetarum, apostolorum, imo ipsius Christi, qui non solum docuit esse persecutionis tempore fugiendum ab alia in aliam civitatem, sed et ipse ad necem conquisitus, haud semel se proripuit insidiantibus. Demum, apologiam claudens, enarrat quo pacto obsessa a Syriano duce ecclesia, in qua ille tum versabatur, portentis ac prodigii simile fuerit quod Deo opitulante tantum declinaret periculum.

2. *Epistola item et Historia ad monachos.* — A monachis autem frequenter rogatus Athanasius ut rerum sibi ab Arianis gestarum Ecclesiæque historiam transmitteret, necnon Arianorum dogmatum confutationem, eorum ille optatis obsecutus, Arianismi ad illud usque tempus historiam acrypto mandavit, unde nos eorum quæ hactenus enarrata sunt maximam partem hausimus. Misit item librum, quo paucis impugnabat hæreseos Arianae commenta. Et rogabat, qua erat animi temperantia, ut postquam legissent opusculum, sibi remitterent, nec cuiquam legendum commodarent. Non enim, inquit, tutum est nostrum balbutientium et indoctorum litteras ad posteros pervenire. Eam vero Arianismi confutationem penitus interlisse arbitramur. Diversa enim prorsus erat ab orationibus contra Arianos et ab epistola secunda ad Serapionem, ut pluribus alibi commonstratur.

3. *Epistola ad Serapionem de morte Arii.* — Neque ita multo post accidit, ut cum Serapion et alii quidam disputationem inissent, ibi controversiæ finem facerent, an Ecclesiæ communi junctio obisset Arius, quæ res in proximo congressu per-

tenda erat. Interpositis ad quæstionem diebus, Athanasium Serapion rogavit, Arianorum historiam et Arianismi confutationem mitteret sibi, ac una percontatus est, quæ ratio mortis Arii, quid ea de re ipse comperisset. Duo quidem postulata libenter exsequitur Athanasius, transmissis iis quæ ad monachos ante conscripsisset. Tertium vero ægre se atque ingrato animo concedere fatetur, veritus ne mortuo insultare ac in pernicie hominis enarranda gestire videatur. Vetat similiter ullum libelli contra Arianos apographum edi. Tutum non est, inquit, imperiti scripta edere; ne si quid per imbecillitatem obscuritatemque sermonis minus perfecte dictum sit, noxam id lectoribus afferat. Quæ animi temperantia elucet item in toto operum ejus decursu.

4. *Libri contra Arianos.* — Idem circiter tempus, ut putamus, quatuor edidit libros contra Arianos, famosos quidem illos et nullis non sæculis postea celebratos; ex quibus cœni fontibus argumenta deinceps mutuati sunt quotquot pro divinitate Verbi asserenda scripserunt. Non uno quidem et eodem tempore illos evulgavit; sed ubi priorem ediderat, gnarus Arianos contra insurgere, et adversus veritatem eo libro vindicatam dimicare, alterum edidit. Nec quiescentibus Arianis, tertium et postea quartum exaravit. Libros autem hujusmodi, amicorum nescio cui mittit. Et fortassis quia innuit se eadem scripta viro nuncupare, qui controversiis adversus Arianos operam dare solitus erat, hinc suspicio oritur esse Serapionem Thmuitanum, qui multus erat in confutandis coarguendisque Arianis, et subinde controversias coram inibat. In prima vero ait Athanasius (a), Arianos circumcirca concursare solitos pueris in foro occurrere, atque ut argutiis a fide dimoverent interrogare: Qui est, eumne qui nondum esset fecit ex nihilo, an qui jam esset? Et rursus: Unumne est ἀγέννητον an duo? Num Filius libero præditus est arbitrio, propriaque voluntate non mutatur, cum naturæ sit mutabilis? Non enim instar lapidis immobilis est. Mulierculas itidem sciscitatos esse: Num filium, aiebant, habuisti priusquam pareres? Atqui quemadmodum non prius habuisti, ita nec Dei Filius fuit antequam nasceretur. Hæc Arianorum sophismata invictus Verbi defensor, nec sine Arianorum convictio confutat, et vanissima ostendit.

5. *Epistolæ ad Serapionem de Spiritu sancto.* — In deserto item, cum ardentibus instantibusque adversariis suis ad necem ubique locorum perquireretur, quatuor illas ad Serapionem epistolas etiamnum superstites conscripsit; quarum hujusmodi data occasio est. Litteris Athanasio significabat Serapion, nonnullos esse qui Arianam quidem hæresim proscriberent, sed de Spiritu sancto ita

præpostere sentirent, ut non modo rem creatam esse pugnarent, sed etiam unum ex administris spiritibus esse, soloque gradu ab angelis differre. Re comperta Athanasius impios homines prolixa illa priore ad Serapionem missa epistola, innumeris pene ex Scriptura sacra mutuatis testimoniis confutavit. Quam epistolam cum Serapion familiaribus necessariisque suis obtulisset, rogabant illi ut rem fusius istic agitatam in compendium redigeret ipse Athanasius; quo facilius ipsi possent veræ fidei hostes paucis coercere. Id quoque libenter Athanasius, Catholicorum semper commodis intentus, præstitit; alteraque missa ad Serapionem epistola de divinitate Filii, tertiam rescripsit, quæ erat prioris epitome. In quarta quoque idipsum argumentum persequitur, atque cœni appendicis loco explanat illud: *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis*<sup>1</sup>, etc. Qui plura de epistolis ad Serapionem desiderarit, consulat monitum in earum fronte adornatum.

6. *Liberius Romam redit.* — Hoc ipso anno Romam cum pervenisset Liberius, jussus, contra quam concessum fuisset, una cum Felice Romanæ Ecclesiæ gubernacula tenere, ingenti omnium plausu et lætitia exceptus est (b). Felix vero perosus multitudini, haud ita multo post pulsus profligatusque, procul Urbe postremum clausit diem. Non desunt qui eum quasi martyrem haberi atque celebrari oportere contendunt. Alii vix æstimant hominem in locum viri pro vera fide pulsi constitutum, martyris nomine ornandum esse, cum maxime ab æqualibus ferme omnibus traducatur ut tyrannus et Catholicis invitis ordinatus, nec nisi a viris qui multis postea sæculis scripsere pro vera fide passus tradatur.

7. Quid autem toto septem annorum spatio exsul Athanasius egerit, cum incertis sedibus remotiora deserti loca peragraret, mirum ubique silentium: quo gravior oritur dolor ex illa vel lacrymis deploranda jactura epistolarum festalium, quas magno numero sanctus præsul Alexandrinæ plebi in cœtu Catholicorum legendas transmisit; ubi de malis et calamitatibus Ecclesiæ illatis, deque gestis Arianorum persæpe mentio erat, atque dubio procul de ratione et instituto vitæ suæ apud monachos, quorum cœtus frequens adibat. Cum monachis, ait Gregorius Nazianzenus, consuetudinem habens magnus ille vir, ut aliorum omnium arbiter et conciliator erat, eum scilicet imitatus, qui sanguine suo ea quæ dissidebant in pacem deduxit; ita solitariam quoque vitam cum communi conciliavit: ostendens sacerdotium non esse philosophiæ expers, et philosophiam sacerdotio egere. Sic enim hæc duo copulavit eousociavitque, et tranquillam actionem, et actuosam tranquillitatem: ut persuasum omnibus redderet, monastica vitæ professionem mo-

<sup>1</sup> Matth. xii, 32.

(a) Orat. i contra Arian. n. 22.

(b) Sozom. lib. iv, cap. 15; Theod. lib. ii, cap. 17; Philostorg. lib. iv, cap. 3.



rum potius gravitate et constantia, quam corporis A recessione exprimi atque insigniri. Quo pacto David simul et rerum gerendarum facultate præstabat, et in summâ tamen solitudine debebat; si cui tamen illud: *Singulariter sum ego donec transeam*<sup>3</sup>, ad hujus dicti confirmationem afferri posse videatur. Ita ut qui alios virtute antebant, iidem ab illius consilio et mente longiore intervallo abessent, quam reliquos antecederent: atque ad sacerdotii munus numeris omnibus absolvendum pauca conferentes, nullo plura ad monasticæ vitæ rationem partibus omnibus explendam reciperent. Tantumque ei tribuebant, ut quicquid ipsi visum esset pro lege haberent; ac rursus vetitum sibi et interdictum quicquid ille sententia sua improbasset existimarent, illiusque decreta pro Mosaicis tabulis ducerent, ac B majore quam quæ sanctis viris deberi videatur ipsius veneratione afficerentur. »

8. *Athanasius ad desertum usque perquiritur. Artemius dux ad monasteria venit.* — Tanta porro vesania, tanto furore et odio erant ejus adversarii correpti, ut ne desertum quidem sat tutum illi a perquisitionibus adversariorum esset, sed in quotidianis adhuc insidiis versaretur. « Nam cum quidam, prosequitur Gregorius, eo se contulissent, ut pium virum perinde ac feram quamdam investigarent, nec eum undequaque perquisitum invenirent, ne miscere quidem cum iis qui missi fuerant colloquia volvere: verum cervices gladiis objiciebant, velut pro Christo periclitantes, atque ita animo comparati, ut, si acerbissimi quidpiam pro eo perferrent, id magni ad philosophiam momenti ducerent, diuturnisque jejuniis, chameuniis, cæterisque corporis ærumnis, quas pro perpetuis delictis haberent, multo sublimius ac divinius. » Hæc Gregorius N. zianzenus. Quid autem in ejusmodi perquisitione eadem, ut videtur, quam narrat Gregorius, gestum sit, pluribus recensetur in vita Pachomii (a) ad hunc ferme modum. Post hæc, cum Athanasius ab imperatore Constantio perquireretur, atque ex insidiis Arianorum, ejus vestigandi provincia cuidam duce data esset Artemio nomine, is ubique perscrutatus est. Cum rumor autem esset eum fortasse latere apud Tabennesiotas monachos sibi dilectissimos, solvit dux ut illuc navigaret. Cui D adverso flumine contendenti occurrit Theodorus; qui secundo flumine ferebatur, perlustraturus monasteria circa Hermopolin. Cum autem monasterio cui Cajo nomen erat appropinquaret, vidit retro navigantem ducem. Domino autem revelante quid futurum esset intellexit, ac fratribus renuntiavit. Cum percuperent autem fratres retrogredi ipsunque antevenire, ne forte fratres in Pabau agentes perturbarentur, ait illis: Is cujus gratia tantum itineris spatium servorum ipsius invisendi causa emens sumus, potest eam rem citra tristem casum

<sup>3</sup> Psal. cxi., 10. <sup>4</sup> Isa. lx., 8.

aut eventum dispensare, atque cœptum ad monasteria iter prosecutus est. Posteaquam itaque ad monasterium Pabau propius accessit Artemius, haud secus ac si bellum gereretur, dispositis circumquaque militibus, jussit monasterium observari. Ingressus ibi consistebat. Extrâ locum tamen conventus cum præpositis agebat, constitutis ultro citroque sagittariis. Quo conspecto fratres perterriti sunt. Erat tum istic vir sanctitate conspicuus nomine Pecysius, qui fratrum animos confirmabat. Dux autem interprete usus, Quo, inquit, in loco pater omnium vestrum versatur? Respondit abbas Pecysius: Abscessit ad monasteria. Cui dux: Qui secundum ab eo locum obtinet ubinam est? Tum indicant abbatem Psarphium magnum œconomum. Quem seorsim dux alloquitur. Est penes me, inquit, imperatoris jussum contra Athanasium, quem apud vos delitescere fama est. Cui abbas Psarphius: Ipse quidem omnium nostrum pater est, necdum viri faciem aspexi; ecce monasterium. Diligenter perscrutatus dux, cum Athanasium non invenisset, ad conventum accedens: Orate, inquit, pro me. Reponunt ille: Non licet nobis. Vetitum quippe nobis est a Patre nostro, ne cum aliquo oremus qui cum Arianiis communicet. Cum duce namque Arianum quemdam versari conspexerant episcopi formam præferentem. Abscedentibus autem illis, solus dux precatus est. Ac cum interdiu in synaxi obdormisset, expergefactus sanguinem naribus emittebat. Cumque ignorarent monachi quid accidisset ipsi: perterritus Artemius, Oblata mihi, inquit, visione, ex miseratione divina vix mortem effugi; atque ita discessit. Quæ cum reversus audisset Theodorus, Deo gratias retulit.

9. *Athanasii iter ad monasteria Thebaidis.* — Haud multo post ipse Theodorus, cum accepisset Athanasium in Thebaidem accedere, obviam cum antiquioribus patrum fratrumque monasterii progreditur (b); virumque offendunt ante quam in Hermopoliten nomum pervenisset. Quo procul conspecto, fratres majurantes accurrunt. Ultramque occupabat episcoporum, clericorum, monachorum. Quos ubi primum vidit Athanasius, hæc ex Scripturis vociferatur: *Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbæ cum pullis suis ad me feruntur*<sup>4</sup>? Tantam exinde frequentiam salutavit Athanasius, ignarus quis abbas Theodorus esset. Neque enim ille ita proxime ad pontificem accesserat, sed monachorum seniores ad turmæ frontem incedere jussit. Primo tamen aspectu virum agnovit Athanasius; cujus apprehensa manu: Et quomodo, inquit, fratres se habent? Cui Theodorus: Sanctissimis tuis precibus bene, Pater, valemus. Tum fratres circiter centum numero psalmos canere, in tanta frequentia ut nemo proximum sibi cognosceret.

(a) Acta SS. 16 Maii.

(b) In Vita Pachomii.

Abbas interea Theodorus asinum, quo pontifex ve-  
 lebatur, manu tenens præibat cum fratribus psal-  
 lentibus. Lucernæ et faces ultro citroque micabant.  
 Athanasius autem Theodorum cernens animo fer-  
 ventem, non in promiscua solum turba pelibus  
 incidere, sed ab accensis utrinque facibus ferme  
 comburi, tantamque alacritatem, tantum virtutis  
 studium præferre, alios episcopos sic affatur : Vi-  
 dete quanto nos spatio antecedit ille tantæ mona-  
 chorum frequentiæ Pater. Nobis haud vere Patrum  
 nomen convenit. Illi sane Patres, qui humilitati et  
 obsequentiæ ex Dei amore dant operam. Beati pro-  
 fecto et nulla non laude digni, qui semper crucem  
 Domini gestant : quorum ignominia vere est gloria,  
 quorum labor vere requies. Paucisque diebus Anti-  
 noopoli et Hermopoli commoratus, utilibus eos ac  
 divinis cohortatus sermonibus, ad monasteria pro-  
 fectus est. Conspecta ibi fratrum probitate since-  
 raque mente summe lætus, laudes Domino retulit.  
 Ac cum monasterium circumquaque perlustraret,  
 attenteque dispiceret collectarum locum, mensæ  
 conclave, singularum domorum cellulas, et ipsa  
 usque ædilia, admiratione captus ait : Magnum, o  
 Theodore, opus peregistis, curantes requiem ani-  
 marum. Monachales vestras regulas audivi, præclara  
 omnia. Hinc subjungit : Patris vestri opera vobis  
 inest gratia Dei. Cum te conspiciamus nos, Christum  
 conspiciere putamus. Paucisque ibi diebus commo-  
 ratus, dicit abbati Theodoro : Quoniam prope est  
 Pascha, fratres de more convoca ; ego vero ut Do-  
 minus dispensaverit agam. Ipsoque salutato, istinc  
 profectus est. Litterasque per eum misit ad Orsi-  
 sium ejusque fratres, quibus se ad conspectum  
 Theodori fratrumque ejus summopere lætatum fuisse  
 significabat, nec unquam fore sanctissimi hujusmodi  
 cælus immemorem.

10. Alia item exstat epistola Athanasii ad mona-  
 chos per Ægyptum ; quæ quo tempore scripta sit  
 ignoratur. Cum accepisset nimirum Athanasius non-  
 nullos Arianorum esse, qui monasteria peragrantes  
 sanam et orthodoxam fidem simularent, ut fratrum  
 ex hinc animos, sensim et occulte serpentes, dolo  
 abducerent a recta fide, admonet illos ne cum Aria-  
 nis ullam habeant vel ad precandum societatem, ne  
 quibusdam rudioribus offensionis ac perniciæ hinc  
 occasio orlatur : nec modo ab Arianorum congressu  
 et colloquio abstineant, imo ne iis quidem jungan-  
 tur qui cum Arianis foveant communionis socie-  
 tatem ; potuisse se hujusmodi hortamentum innu-  
 meris ex Scriptura mutuatis locis confirmare, su-  
 persedere tamen, quia cum callentibus Scripturas  
 ageret.

11. *Ariani in varias divisi sectas.* — Ariani ubi  
 omnia ex sententia et arbitratu suo, profligatis iis  
 qui catholicam fidem tuerentur, procedere videban-  
 tur, obortis jam multis factionibus, mutuis discidiis,

A mutuo bello conflagrabant (a). Hinc proseminatæ  
 sunt quasi familiæ dissentientes inter se ac multum  
 disjunctæ et dispares. Macedonius quippe, inter  
 Arianorum principes hucusque computatus, novam  
 de Spiritu sancto sententiam induxit, aperteque  
 docuit esse creaturam et unum ex administris spi-  
 ritibus, licet aliis longe præstantiorem. Alii veri ac  
 puri Ariani erant, duce Aetio, administris vero Eu-  
 doxio, qui Antiochenam hoc circiter tempus invasit  
 sedem, ejusque discipulo Eunomio, qui haud ita  
 multum postea hujusmodi sectæ nomen indidit.  
 Maxima tamen pars Semiariani erant, antesignano  
 et doctore Basilio Ancyrae episcopo. Ii autem hæc  
 una in re a Catholicis dissentiebant, quod consub-  
 stantialitatem repudiarent. Filium namque affir-  
 mabant in omnibus Patri similem. Et vero, ipso  
 fatente Athanasio, non erant ii prorsus ab ecclesia-  
 stica communione abjiciendi, cum ea tantum repu-  
 diata voce, cum Catholicis reipsa concordarent. At  
 non una, ut in similibus secis solet, erat omnium  
 Semiarianorum opinio. Non deerant enim ex illis,  
 qui Filium quidem Patri similem dicerent, sed per  
 gratiam tantum, omni repudiata naturæ similitu-  
 dine. Basilius vero cum gratia et auctoritate apud  
 Constantium multum valeret, Anomæis erat doctrinæ  
 causa infestissimus ; auctorque fuisse Constantio  
 fertur, ut Aetius, Eudoxius, et alii permulti ejusdem  
 sectæ homines, pellerentur in exsilium. In eò sitæ  
 res erant anno 358, cum Anomæi, qui paulum a  
 calamitate respirabant, synodum celebrari rogant ;  
 eaque in re concurrentibus item Semiarianorum  
 votis, amborum optatui ut fieret satis, synodum  
 Constantius Nicomediæ indixit, in qua erat de fide  
 maxime statuendum. Sed jam multis episcopia eo  
 concedendi causa iter ingressis, accidit ut horrendo  
 terræ motu urbs everteretur, quodque intactum ab  
 hujusmodi perniciæ superfuerat, incendio periret.  
 Quæ causa fuit, ut ad cogendam synodum Niceæ,  
 celebris illa ac magna synodo anno 325 nobilitata  
 urbs, iterum deputaretur. Ut autem instabiles erant  
 Ariani, ut sua quisque interesse putabat, mutato  
 consilio, auctores et sautores Constantio sunt, ut  
 divisim episcopis occidentales Ariminum, Orientales  
 Seleuciam in Isauria convenire jubeat.

D ANNO 359. — 1. *Synodus Sirmiensis.* — Anno 359,  
 cum Sirmii Constantius ageret, præsentibus Arianis  
 episcopis haud parvo numero (b), qui aulicorum  
 more principis comitatu hæreere solebant, quos in-  
 ter videre erat Georgium, Alexandriae *κατάσκοπον*  
 et Basilium Semiarianorum antesignanum ; ignita ibi  
 controversia, eo demum ventum est, ut novæ eu-  
 dendæ formulæ fidei Marco Arethusio provincia da-  
 retur ; qui ut erat τῷ ὁμοουσίῳ infestus, diserte  
 nomen substantiæ et consubstantialis proscribendum  
 in ipsa formula statuebat. Cui, nec tamen sine con-  
 troversia, suffragium dederunt quotquot aderant

(a) Sulpicius Severus, lib. 11; Rufin. lib. 1, cap. 23 ;  
 Socrat. lib. 11, cap. 35 ; Sozom. lib. 14, cap. 11.

(b) Socrat. lib. 11, cap. 37.

episcopi. Non nostrum est ea omnia recensere, quæ A  
tum Sirmii ejusdem formulæ occasione designata  
sunt. Sed non silendum, cum magna Catholicorum  
omniumque stungi hominum offensa, fideli professioni  
præmissum hujusmodi titulum fuisse: *Edita est catho-  
lica fides, præsentem domino nostro piissimo et victoriis  
eximio Constantio Augusto, æterno, venerando. Coss.  
Fl. Eusebio, et Fl. Hypatio clarissimis. Sirmii undeci-  
mo Kalendas Junias.*

2. Displicebat iis quibus ecclesiastica disciplina  
et traditio cordi, quod in fronte formulæ temporum  
ascriberetur memoria, quando in his quæ fidem  
spectant nulla temporis ratio conditioque observanda  
sit. Nec minoris erat invidiæ, quod ubi Filii Dei  
æternitas ab impiis hominibus in controversiam vo-  
cabatur, æternus tamen impudentissima assentatione  
Constantius appellaretur. Hæc maxime omnium car-  
pit Athanasius (a). Cui item illud rationi et Chri-  
stianæ religioni absonum videtur, quod nulla ur-  
gente causa, nullo postulante negotio, tantum iter  
capessendum episcopis esset: quasi verò non esset  
Nicæna synodus ad sinceram firmandam fidem satis,  
ut in dies novæ de integro formulæ ac fidei profes-  
siones prodirent in publicum.

3. *Synodus Ariminensis.* — Ariminum itaque  
cum convenissent episcopi circiter quadringenti,  
Ariani, qui octoginta numero accesserant, Sirmiensem  
fidem de qua mox actum, totius synodi calculis  
et suffragiis consignandam offerunt (b). His Patres  
conspicis, statim insidias suspicari, solitasque Ur-  
sacii et Valentis artes et machinas ad Nicænam  
evertendam fidem comparatas subodorari. Quamob-  
rem in hujusmodi conspirationis artifices conversi,  
acriter compehant et alloquuntur, non fidei formulæ  
promulgandæ causa a se tantum iter susceptum  
fuisse, quibus esset Nicæna fides satis; sed eo con-  
silio accessisse, ut quotquot huic adversarentur fe-  
rissent anathemate. Ursacio autem Valente et sociis  
contra obnitentibus, et facta fidemque suam propu-  
gnantibus, nulla interposita mora, Patres Ursacium,  
Valentem, Germinium, Auxentium, Gajum, et De-  
mophilum damnant ut hæreticos: missisque per  
viginti oratores ad Constantium litteris, quid gestum  
sit significant. Jussi sunt autem legati, qui episcopi  
erant, apud principem causam episcoporum agere.  
Obnixè quippe rogabant, ut sibi ad parocias suas  
revertendi copia esset: esse quippe multos pauper-  
tate ac senio laborantes, quibus diuturnior eo loci  
commoratio ærumnæ ac tædio esset. Verum aucto-  
ritus et consuasoribus Ariani Constantius, trahere  
moras, nec legatis sui conspectus copiam facere;  
idque dolo ac versutia, ut rerum imperitos ac ætate  
juniores episcopos tædio moræ, præcisa spe per-  
ficiendi negotii, frangeret demum, et ad ineundam  
cum Ariani societatem adduceret. Nec modico post  
accessum legatorum interposito spatio, Ariminen-

sibus Patribus rescribit Imperator, se negotiorum  
nole obrutum nondum potuisse legatos alloqui. Illi  
contra obsecrare per litteras imperatorem, ut sibi  
ecclesias suas ante ineuntem hiemem repetendi fa-  
cultas esset, nunquam se a proposito recessuros,  
quantumvis moræ diuturnitate ærumnisque pressos.  
Interea Ariani instare, urgere ac sollicitare legatos,  
qui tum Nice in Thracia versabantur, ut latam in  
synodo Ariminensi in Ursacium Valentem et socios  
sententiam abrogarent. Qui demum tædio ac despe-  
ratione bene gerendæ rei fracti ac devicti, optata  
concedunt Ariani, dato ac eorum libidinem res-  
cripto. Quodque maxime deplorandum fuit, contu-  
meliis et calamitatibus Arianorum opera inflictis,  
demum et ipsi Ariminenses episcopi, paucissimis  
exceptis, cesserunt; ac quæ jure ante decreverant,  
irrita ac rescissa fuere, non sine magna proborum  
offensione. Nam ingemiscens, ait Hieronymus (c),  
orbis terrarum se Arianum esse miratus est.

4. *Synodus Seleuciana. Acaciani damnantur.* —  
Dum hæc in Occidente gerantur, Orientales episcopi  
ad 160 numero Seleuciam conveniunt; ibique deci-  
ma septima Septembris de fide agere ceptum  
est (d). Interfuit synodo Hilarius. Athanasium-  
que ipsum opinantur adfuisse quidam recentio-  
res: quia nimirum ipse Athanasius librum de sy-  
nodo orsus, testatur ea se scribere quæ vidit,  
quæque accurate novit, *ἅπερ ἑώραξα καὶ ἔγνων  
ἀκριβῶς*. At vix credatur Athanasium per totam  
Egyptum ea tempestate ad necem perquisitum, ut  
locum ubi consisteret reperire vix posset, Seleu-  
ciam concessisse, ubi nulla subterfugendi via erat  
ab insidiis inimicorum. Itaque quod ait ipse ea se  
scripto tradere quæ vidisset, non ita intelligendum  
putamus, quod præsens ea coram aspexerit; sed  
quod non rumore vulgi ea acceperit, verum litem-  
ras et acta synodorum suis ipse oculis intulit sit.  
Et sane verba isthæc, *ἅπερ ἑώραξα καὶ ἔγνων ἀκρι-  
βῶς*, non unam synodum Seleuciensem spectant,  
sed Ariminensem quoque, cujus historiam priore  
loco enarrat Athanasius, postea vero Seleuciensis  
synodi ad hunc fere modum: Erant istic, inquit (e),  
episcopi circiter centum sexaginta. Cum autem  
multorum nomina de variis criminibus deferrentur,  
accusatoresque edito clamore scelera objicerent,  
Acacius, Patrophilus, Urianus Tyri, Eudoxius, qui  
Antiochenam invasit Ecclesiam, Leontius, Theodo-  
rus, Evagrius, Theodulus et Georgius ille Laodice-  
nus facinorum fama nobilitatus, veteratores homi-  
nes, ac præteritarum fraudum non immemores, futu-  
ram damnationem astu declinare conantur. Veriti qui-  
ppe cum argumenta adversariorum in se comparata,  
tum solitudinem suam, pauci enim admodum erant,  
et ingens illorum frequentia; alios sibi Ariani fa-  
ctionis ascivere, mercenarios homines, a Secundo  
Pentapolitano ordinatos, ex Libya scilicet Step-  
hanus

(a) Lib. *De synodis*, n. 4 et seqq.

(b) Socrat. lib. 11, cap. 37; Sozom. lib. 1v, cap. 17 et sequent.; Theod. lib. 11, cap. 17.

(c) *Dialog. contra Lucif.*

(d) Socrat. lib. 11, cap. 39; Sozom. lib. 1v, cap. 22; Theod. lib. 11, cap. 26; Athan. lib. *De synodis*, sub initium.

(e) Lib. *De synodis*.

num, Seram et Pollucem, scelestos et reos homines, insuperque Pancratium et Ptolemæum quemdam Meletianum. Tum ut accusationes adversariorum subterfugerent, de fide agere velle simulant. Quorum vafritiem conspicati cæteri episcopi eorum exinde gesta observabant. Illi autem non obscure Arianam se hæresim propugnaturus significabant. Quæ causa fuit ut duas in partes propalam synodus abiret. Pars minima, quæ ceu colluvies erat hominum, qui aut rei, aut suspecti, aut sceleribus insigniti erant, hærebant Acacio Cæsariensi; alii longe majori numero ab iis segregati Basilium, Ancyranum ducem sequebantur. Acaciani igitur temerarii homines, quibus nihil inausum, Nicænam synodum aperte criminari, negare fidem ejus sinceram, abroganda ejus decreta contendere, atque de integro statuendum de fide prædicare. Cæteri autem qui magno, ut dictum est, numero erant, summo quidem opere obnitebantur impiis hominibus, unam tamen, cæteris integris, consubstantialis vocem præcidi optabant ex Nicænis decretis, eo scilicet obtentu, quod obscuritatis causa suspecta quamplurimis et formidolosa videretur. Cum igitur longiora istic moræ traherentur, instantibus accusatoribus, reis autem solita calliditate judicium refugentibus, episcoporum cœtus, cum negotii diuturnitatem, tum excogitatas in dies ab impiis hominibus ad subterfugiendum machinas indignissime ferentes, damnatos Acacium, Patrophilum, Uranium, Eudoxium, Georgium olim exactorem, et alios ex Asia, Leontium, Evagrium et Theodulum abdicarunt. Communionem autem sua interdixerunt Asterium, Eusebium, Augarum, Basilicum, Phœbum, Fidelity, Eutychium, Eustathium, et Magnum, quod in jus vocati, ut oblatas criminationes depellerent, comparere detrectassent: decretumque fuit ut ea conditione perstarent, donec se ab hujusmodi criminationibus purgarent. Confessionem autem novam fidei ediderunt, qua voces *ὁμοούσιος* et *ὁμοιούσιος*, quod motuum et querelarum occasio fuissent, abjiciebant; *ἀνόμοιον* autem damnabant anathemate; in reliquis nihil alienum a catholica doctrina. Cæterum, postquam ad singulas ecclesias judicium in Acacianos latum miserant Semiariani, Constantium adeunt Augustum, actaque illi sua renuntiant. Hujusmodi fuit Seleuciensis synodi exitus.

5. *Athanasius epistolam scribit de synodis.* — Hæc maxima pars hausta ex epistola Athanasii de synodis, conscripta post celebratas synodos Ariminensem et Seleuciensem, antequam legatorum et patrum Ariminensium lapsam edidicisset. In cuius Prima parte paucis narrat quid in istiusmodi synodis sit actum. In secunda recenset blasphemias ab Arianorum primipilaribus in Filium Dei prolatas. Ut autem eorum instabilem animum inconstantiamque palam faciat, recenset undecim diversas

A fidei formulas per eos varlis locis et temporibus conscriptas. In tertia, vocum *ὄυστα* et *ὁμοούσιον* sinceritatem propugnat contra Semiarianos, quos tamen non inimicorum habere loco profestetur, in primisque Basilium Ancyranum, cum vocem tantum *ὁμοούσιον*, non rem ipsa significatam, respuant. Quibus autem litteras miserit Athanasius, hand plane constat. Socrates *ἐπιστολὴν πρὸς τοὺς γνωρίμους* nuncupat, Sozomenus vero *πρὸς τοὺς ἐπιτηδέλους*. Sunt qui putent ad monachos missas. Sed crederem potius ad catholicum cœtum Alexandrinum, ne inter incertos vulgi rumores de ejusmodi synodis ubique pervagantes animi penderent: et sane initio et fine epistolæ cœtum, ut videtur, alloquitur.

B ANNO 360. — 1. *Synodus Constantinopolitana.* — Semiariani autem Constantinopolim profecti, cum multa alia peregerunt, quæ nos consulto enarrare supersedemus, tum celebrata ea in urbe synodo, Aetium cum asseclis percusserunt anathemate. Et de more, quasi non essent tot jam pridem editæ fidei formulæ satis, qua erant animi volubilitate mentisque incertitudine, eam quæ numero decima fertur apud Athanasium de integro promulgant; qua similem quidem Patri Filium declarant, sed voces *ὁμοούσιος* et *ὁπίστασις* repudiant: quia scilicet populis offensionem iuxta ac suspicionem essent, nec exstarent in divinis litteris.

2. *Lucifer pro Athanasii defensione libros edit. Epistolæ Athanasii ad Luciferum.* — Hoc, ut putatur, anno, vel fortassis superiore, Lucifer Calaritanus libros pro Athanasio necessitudine sibi aliisque nominibus conjunctissimo, itemque alia quæ adhuc exstant opuscula concinnavit; ubi acerrime in imperatorem invehitur, quod Athanasium bonum virum, æqui ac veri studiosum, de medio rerum tollere, quantum in ipso situm erat, satageret, universorum subscriptiones et suffragia extorqueret in perniciem innoxii. Ideo autem istæc in annum conferimus 360, quia Lucifer ait bellum eo tempore Constantio fuisse cum Soporino sive Sapore Persarum rege. Quod bellum cum anno proximo 359 cœperit, opportune in annum 360 Luciferi scripta conferri posse arbitramur. Cum rumore nuntio hæc a Lucifero conscripta fuisse accepisset Athanasius, misso Eutychete diacono litteris rogat Luciferum, ut sibi hujusmodi scriptorum copiam faciat, quem eximio confessoris nomine compellat. Optatum ei Lucifer quamprimum libens concedit. Id vero consecutus Athanasius, ex animo gaudens, libros accurate perlectos Græce, si fides Marcellino (a), transtulit, *εὐχαριστηρίους* eidem Lucifero litteras remisit Athanasius; ubi deploratis Ecclesiæ calamitatibus, ait Arianos tanto furore in Catholicos agi, ut non modo clericos militum opera verterent in fugam, verum etiam nefarias in monazontas et eremitas inferrent manus; quo factum ut ipse sa-

(a) In libello precum Marcellini et Faustini.

hulis causa in remotiora Ægypti loca secederet. A Grandi labore et periculo ejus accepisse lucubrationes, mirari opus, hortamenta ejus ad subeundum pro Christo martyrium magni facere : auctorem tanti operis suspicere, Eliæque similem habere. Rogat ut Deum supplex oret, tum in sui gratiam, tum eorum qui præ formidine lapsi essent. Queritur ex quo Arianis auctoribus ad fugam compulsus esset, non modo fratres videre sibi non licuisse, sed ne parentes quidem suos. Tanta scilicet Ariani cura urbis aditus observabant. « Naves, ait, quærunt, eremias gyraunt, domos perturbant, concutiunt fratres, singulis negotia concinnant : quibus tamen rebus magis magisque universorum odium incurrerent. » Sed sceleratos tandem facinorum poenas duros. Hæc erat, cum Athanasius hæc scripsit, ecclesiasticarum rerum conditio. Ubi parentes autem meminit, non de patre matreque acceptum velim ; grandævus quippe jam erat Athanasius : verum fortassis interpres vocem συγγενεῖς per parentes expressit. Et sane, in ecclesiasticis maxime, haud infrequens hujus vocabuli *parens* usus ad cognatos designandos.

ANNO 361. — 1. *Meletius in episcopum Antiochenum allectus ab Arianis.* — Anno 361 ineunte, Meletius vir pietate, sanctimonia, eruditione insignis, studio et opera Ariatorum, qui non sat explorato ejus animo inter suos hominem connumerabant, in episcopum Antiochenum, defuncto Eudoxio, delectus est. Verum ut in tanto munere vix latere potest quid quisque sentiat, cum potissimum ille nec obscure τὸ ὁμοούσιον prædicaret propugnaretque, Ariani deprehensa ejus doctrina deturbatum ex episcopatu curarunt in exsilium ablegari, cum vix triginta sedisset dies, in ejusque locum Euzoium cooptarunt, nequaquam suspectum sibi nec dubiæ fidei hominem, sed Ariantum Ariantæque hæreseos vindicem accerrimum. Hinc tres in partes distracta civitas. Prima numero potior Ariatorum, Euzoio episcopo. Secunda Meletianorum, qui in Palæa seu veteri urbe collectas agebant, a Meletio sanam edocti fidem. Tertia Eustathianorum a sancto Eustathio olim episcopo. Hi a reliquis omnibus segregati, Paulini presbyteri conventibus interesse solebant. Hæ factiones, hæc dissidia, etsi levi motu, ac temerario prorsus ausu exorta sunt, ad multum tamen annorum spatium furore et perveracia partium sunt extracta.

2. *Ariani novam edunt fidei formulam. Constantii obitus.* — Porro ut solemne erat Arianis et Semiarianis nunquam in unum coire, quin novam aliquam fidei formulam publicarent, quia scilicet a veritatis tramite deflecti, atque errorum caligine obvoluti, multiplici tentato itinere, nullum sat tutum, nullum pervium reperire poterant, novum jam fidei rescriptum ediderunt, quod cæteras fidei formulas impietate longe superaret. Filium scilicet in omnibus Patri dissimilem prædicabant. Et tanto quidem opere a pristina sententia, quam Constantinopoli

evulgarant, desolvere, ut ipsis Ariantæ doctrinæ vindicibus in communionis societatem admissis ecclesias traderent. Hinc orsæ Anomæorum et Euxontiorum nomenclaturæ. Horum principes Eunomius, Acacius, ac reliqui conscelerati, nullo metu, nulla adversa formidine impetum retardante, blasphema quæque et maledicta in Christum proferre ausi sunt, Constantium nacti impietatis vindicem ; qui cum in hæresi confirmanda ad usque finem perseverasset, diem obiit extremum. Cum properaret enim adversus Julianum, qui ab exercitu in Galliis inauguratus imperator in Orientem agebat iter, morbo correptus, Mopsucrenis in Cilicia defunctus est 4 Octobris, vel, ut alii, 3 Novembris : atque instante obitu ab Euzoio Ariano baptismate tingi voluit. Cujus corpus ingenti pompa in ecclesia Apostolorum Constantinopoli depositum fuit, populis ultro citroque accurventibus ad exsequias cohonestandas.

ANNO 362. — 1. *Julianus inauguratur imperator. Artemii ducis martyrium.* — Etsi vero videbatur Ecclesiæ licitum fore, extincto Constantio, a calamitate ac terrore pristino respirare, occulto divinæ providentiæ consilio secus res cecidit. Julianus enim, repugnante nemine, imperium integrum adeptus, a Christiana fide, quam nomine tenus specieque tantum colebat, aperte descivit, impiisque profanorum ritibus impensè addictus, turbam gentilium deorum invexit in orbem. Christianis porro etsi bellum palam non indiceret, quavis data occasione sæviebat in eos qui eo deferrentur nomine. Unde infami apostatæ titulo appellari cœpit. Attamen, ut philosophiæ humanitatisque famam affectabat, cum imperium iniret, exsules omnes edicto publico revocavit. Quo factum, ut quotquot a Constantio pulsati in exsilium fuerant episcopi, redirent sedes suas. Antiochiam autem profectus Artemium ex duce Ægypti, de quo haud multo ante actum fuit, de templorum expilatione ab Alexandrinis gentilibus delatum, capitali supplicio multavit. Qui exinde Artemius pro martyre cum a Græcis, tum a Latinis est habitus. Et sane quanquam eum paulo ante vidimus imperatoris jussu ad monasteria, Athanasii perquirendi causa, profectum, attamen immissa divinitus castigatione, poenitentem facti fuisse ex ipsius supra memoratis verbis liquidum est. Pius autem eo nomine existimandus, quod monachos obnixè rogaret in suum ad fundendas Deo preces conventum admitti : Deo item charus, quia castigatus, divina tamen miserante providentia mortem effugerit.

2. *Georgii et multorum Christianorum cædes.* — Allato Alexandriam necis Artemii nuntio, gentilium turba insolenti de inaugurato suæ religionis homine gaudio effusi, impetu Georgium et Christianos omnes adoriuntur. Erant quippe tum Georgio offensi pagani omnes ob hujusmodi causam a Secrate me-

moratam (a). Locus erat in urbe jam inde a priscis temporibus vacuus et neglectus, multa sordium colu-  
 luvione refertus, in quo gentiles Mithræ mysteria  
 peragentes immolare homines consueverant. Hunc  
 utpole vacuum ac desertum Constantius ecclesiæ  
 Alexandrinorum jam ante attribuerat. Georgius  
 verò cum Ecclesiam eo loco excitare vellet, repurgari  
 adytum præcepit. In peranplo hujusmodi loco my-  
 steria gentilium erant recondita; complures scilicet  
 hominum calvariarum, juvenum pariter ac seniorum:  
 qui olim mactati ferebantur, quando extorum inspec-  
 tione divinarent, ac magica sacrificia ad incantan-  
 das animas peragerent. Illic in Mithræ adyto reperta  
 Christiani ad gentilium ludibrium foras omnium  
 oculis exposuere, eadem gestantes traduxere per  
 civitatem. Quæ res paganorum turbam inflammavit.  
 Tum furere arma ministrantè, in obvios quosque  
 Christianos impetum faciunt; quorum permultos  
 vario mortis genere enecarunt, ferro, fustibus, lapi-  
 dibus. Nec deerant qui funibus homines strangula-  
 rent, nonnullosque ad ludibrium crucis in crucem  
 agerent, alios vulnerarent. Non familiaribus illi,  
 non cognatis pepercerit; sed amicum amicam, frater  
 fratrem, parentes filios confodere, ac in mutuum  
 ruere cædem. Quæ causa fuit ut Christiani a re-  
 purgando Mithræ adyto absisterent. Gentiles vero  
 Georgium abstractum ab ecclesia, et ad camelum  
 alligatum, per urbem totam raptatum, fustibus  
 percussum, variisque cruciatibus affectum et ene-  
 catum, cum aliis pariter cæsis, qui camelis impo-  
 siti erant, combusserunt; cineresque in mare pro-  
 jecti sunt, ne a Christianis collecti, in honore  
 deinceps ut martyrum reliquæ haberentur. Cum  
 his autem obruncati sunt Dracontius monetæ præ-  
 positus et Diodorus quidam veluti conies; qui fune  
 cruribus alligati, pertracti ultro citroque raptati,  
 eo in supplicio extincti sunt: ille quod aram in  
 moneta cui præerat recens locatam evertisset; alter  
 quod, dum ædificandæ præset ecclesiæ, cirros  
 puerorum, quos ad deorum cultum pertinere æsti-  
 mabat, licentius detonderet. Nec prætermittendum  
 quod adjicit Ammianus, potuisse scilicet homines  
 ad crudele supplicium ductos Christianorum auxilio  
 defendi, nisi Georgii odio omnes indiscrete fla-  
 grassent: qui Georgius facinororum gravitate et fre-  
 quentia sibi omnem misericordiæ aditum præcluse-  
 rat.

3. Præter superius memoratam, aliam enecati  
 Georgii causam affert Ammianus: quod scilicet  
 cum transiret per speciosum genii templum, mul-  
 tudine stipatus ex more, oculis in delubrum ipsum  
 coniectis dixisset: *Quandiu sepulcrum hoc stabit?*  
 Quo audito pagani reformidantes ne illud quoque  
 tentaret evertere, quantum poterant in ejus pèr-  
 niciem insidias parabant, donec, inaugurato Juliano,  
 oblatam illi occasionem arripere. Hic exitus

(a) Socrat. lib. III, cap. 2; Suzom. lib. IV, cap. 3;  
 Ammian. lib. XV, cap. 7.  
 (b) Lib. II, cap. 7.

A Georgii fuit. Felix sane, si fidei causa, et non in  
 scelerum pœnam, homo gentilibus juxta atque  
 Christianis invisus, tam male multatus esset. Ene-  
 cti porro Georgii invidiam in Catholicos conjicere  
 conati sunt Ariani. Verum ex Epiphano et Am-  
 miano Marcellino constat a solis gentilibus id faci-  
 noris perpetratum, et quidem, ut ait mendacissimus  
 Philostorgius (b), concitatis ab Athanasio. Quæ  
 calumnia vel hinc confutatur, quod per id tempus  
 Athanasius in secretioribus eremi locis profugus et  
 occultus versaretur.

4. *Julianus Alexandrinam cædem se indigne ferre  
 simulat.* — Accepto Julianus rerum Alexandriæ  
 gestarum nuntio, se quidem tantum tumultum,  
 tam immanem carnificinam damnare simulat;  
 B quamquam negligentia ulciscendi facinoris, non in-  
 gratam accidisse rem significaret (c). Litteris  
 itaque missis, carpit animum Alexandrinorum tur-  
 bulentum atque seditiosum: parcere tamen ait  
 multitudini, rebus a Georgio scelerate gestis in fu-  
 rorem actæ. Oportuisse Alexandrinos Alexandri  
 conditoris, magni Sarapidis, sui etiam imperatoris  
 reverentia a tanto scelere cohiberi. Et si quidem  
 atrocibus Georgii fugitiis accensi concitatique fue-  
 re, par fuisse iudicibus hominem pro merito ple-  
 ctendum tradi, non ipsi temerariam turbam violentias  
 inferre manus. Præclare cum eis actum esse,  
 quod, se imperante tantum facinus sit admissum;  
 qui partim verecundia in Deum, partim reverentia  
 C avi et avunculi sui veniam concederet civitati. Vet-  
 tat ne in simile crimen prorumpere deinceps au-  
 deant.

5. *Georgii bibliothecam transmitti sibi curat.* —  
 Secundum hæc, Ægypti præfecto Ecdicio jussit, ut  
 Georgii bibliothecam multis philosophiæ, et rhetori-  
 cæ codicibus, necnon aliis Christianam religionem  
 spectantibus instructam, diligenter perquisitam,  
 Antiochiam curaret transmitti sibi. A quo Georgio  
 quosdam se libros olim, cum in Cappadocia degeret,  
 mutatum esse commemorat. Et tamen Georgium  
 illiberalem et ineruditum, præsertim in rebus  
 ecclesiasticis, fuisse tradunt Athanasius aliique Pa-  
 tres.

D 6. *Athanasius Alexandriam regreditur.* — Post  
 publicatum Juliani edictum, quo exsulibus redeundi  
 potestas erat, Athanasius Alexandriam reversus (d),  
 ingenti de more plebs Catholicæ gaudio exceptus  
 est. In hunc reditum Gregorius Nazianzenus ea  
 omnia confert, quæ jam superius commonstratum  
 est ad reditum anni 349 pertinere. Alexandrinus  
 autem populus, Ariani ejectis, ecclesias conventi-  
 bus ecclesiasticis frequentandas tradit Athanasio.  
 Pulsi porro Ariani ab ecclesiis, clam privatisque in  
 ædibus collectas agebant. In defuncti vero Georgii  
 locum Arianos Lucium suæ factionis hominem co-  
 optasse narrat Socrates. Verum reclamare videntur

(c) Socrat. lib. III, cap. 3; Jul., epist. 10.  
 (d) Socrat. lib. III, cap. 4.

acta, Joviano principe, edita. Non dicitur enim eo A loci Arianos episcopum sibi Lucium constituisse, sed constituere voluisse. Et fortasse cum in Georgii sedem Lucium subrogare vellent, coerciti a Catholicis fuerant, quorum ingens erat Alexandriae multitudo.

7. Simul atque ad Ecclesiam pervenit Athanasius, inquit infra Gregorius Nazianzenus, tanta lenitate atque humanitate res eorum a quibus laesus fuisset administravit, ut ne iis quidem ipsis redivis ejus molestus fuerit. Ac templum quidem sacrilegis mundinatoribus, qui Christo ad quæstum abutebantur, repurgat perinde atque ipse Christus; nisi quod non texto flagello, sed argumentis ad persuadendum accommodatis id efficit. Tum eos, qui inter se et cum ipso similitates gerabant, in mutuam B concordiam reducit: et quidem ita, ut nullius pacificatoris opera ad eam rem opus haberet. Ad hæc, injuria affectos tyrannide liberat, nullo posito inter sectatores suos et alienos discrimine. Prolapsam insoper fidei doctrinam erigit: ac libere rursus Trinitas prædicatur, super candelabrum posita, splendidoque unius divinitatis lumine animas omnes collustrans. Leges etiam rursus orbi terrarum præscribit, atque omnium mentes ad se convertit; aliis epistolas mittens, alios accersens, nonnullos etiam ultro accedentes erudiens, omnibusque liberam voluntatem pro lege proponens, quam solam ut iter ad Deum recta instituitur, satis esse putabat. Hæc Nazianzenus.

8. *Alexandrina synodus.* — Neque ita multo post C reditum Athanasius synodum Alexandriae celebravit (a), ad quam convenit Eusebius Vercellensis; qui cum Lucifero in Thebaide exsul, promulgato Juliani de pulsorum revocatione edicto, Alexandriam rogante Athanasio concessit. Rogatus item Lucifer maluit Antiochiam, ad ejus Ecclesiae factionum partibus laborantis negotia componenda, iter habere. Interfuit etiam Alexandriae synodo Asterius Petrarum Arabiæ, qui olim Sardicæ ab Arianis ad Catholicos desciverat. Ex Ægypto autem quamplurimi episcopi ad synodum convenere, quorum septemdecim tantum nomina in synodali epistola comparent, ferme omnes ab Ariano antea pulsati, variisque calamitatibus afflicti. Eo item concesserunt diaconi duo a Lucifero legati, Herennius et Agapetus; a Paulino autem Antiocheno, D Maximus et Calmerus item diaconi. Aderant etiam quidam monachi ab Apollinario episcopo missi.

9. *Acta synodi de lapsis.* — Actum est ea in synodo de iis qui tempore vexationis in hæresim essent delapsi (b). Eratque nonnullorum sententia, ejusmodi homines si episcopi essent aut clerici, officio sacrarumque aditu interdicens atque in laicorum conditionem dejiciendos. At cæteris præsulibus,

quorum mitior sententia, re accuratius expensa, placuit ut lapsis, si quidem erroris aut impietatis culpas artifices auctoresque fuissent, venia quidem rogantibus concederetur, sed ab officiis deturbati, inter laicos computarentur; sin necessitate solum ac vi illata eo deducti essent, ut, cum hæreticis communionem et societatem simularent, et veniam et de integro sedem esse concedendam; cum potissimum si non absurdam causam et excusationem afferrent: se nimirum œconomia quadam et probo consilio id præstitisse, nec in impietatem lapsos esse, sed maluisse aliquantum vi illata concedere, quam ut ab impiissimis hominibus Catholicae plebis perniciem machinantibus occupatas viderent ecclesias. Ea tamen lege atque conditione admittendos censuerunt, ut Arianam hæresim damnarent, Nicænam fidem amplecterentur; damnarent item eos qui dicerent Spiritum sanctum esse creatum, necnon cæteras hæreses, Sabellii videlicet, Pauli Samosatani, Valentini, Basilidis et Manichæi, ac nominatim Euzoii et Eudoxii. Cæterum tabellam Sardicensem, illam in Sardicensi synodo oblatam et propositam (de qua ad annum 347) proscripserunt Alexandrini Patres, quia non fuerat in synodo admissa.

10. *De hypostasibus.* — Actum præterea de hypostasibus, quas jam cœperant nonnulli in controversiam vocare. Erant nimirum qui tres hypostases in Trinitate esse dicerent, aliis unam esse pugnantibus. Re autem quæsitæ et deliberatæ, expensisque singulorum sententiis, utrorumque fidem sanam et orthodoxam esse deprehensum est. Nam qui tres hypostases dicerent, se ita prosteri aiebant, quod Trinitatem non nomine tenus crederent, sed singulas personas verè existentes et subsistentes; ita tamen admessa distinctione, ut neque tres deos, neque totidem principia vellent prædicari, sed Filium Patri consubstantialem, Spiritumque sanctum non creatam rem, sed a substantia Patris et Filii indivisum. Qui autem unam hypostasim esse defendebant, non ea mente ita enuntiabant, ut quemadmodum Sabellius, Filium ac Spiritum sanctum de medio tollerent, sed quia existimarent idem esse hypostasim atque octavam sive substantiam, quam unam eandemque in Patre, Filio ac Spiritu sancto esse propugnabant. Re sic utrinque explanata, eandem omnium sententiam esse exploratum fuit. Atque uno omnium ore, uno consensu, hæretici omnes proscripti, Nicæna fides, ut omnium præstantissima, admissa est. Ea porro in disputatione et controversia, Orientalium Asterius, Occidentalium Eusebius Vercellensis causam et partes egerunt.

11. *De Apollinarii sententia.* — Ventum deinde est ad Apollinarii doctrinam expendendam. Tum monachi ab eo legati doctoris sui opinionem, occul-

(a) Socrat. lib. iii, cap. 5 et 7; Sozom. lib. v, cap. 12.

(b) Athan. tom. ad Antiochenos et Epist. ad Rufinum.

tato tamen hæreseos veneno, apernerunt : nempe, non qua ratione in prophetas advenit Verbum Domini, eadem in sanctum hominem, scilicet Christum, venisse; sed ipsum Verbum carnem esse factum, et cum in forma Dei esset, formam servi accepisse, exque Maria virgine secundum carnem pro nobis hominem esse factum. Proflabantur item, non corpus inanimatum aut sensus expers, aut mente carens Christum habuisse. Neque enim, aiebant, possibile erat, Domino nostri gratia homine factio, corpus ejus sine mente existere : siquidem non corporis duntaxat, sed animæ quoque in ipso Verbo salus facta est. Hæc scilicet illi jubente Apollinario, qui Athanasii gratiam et amicitiam affectabat, professi sunt. Verum vafre ac subdole. Neque enim ea germana erat Apollinarii sententia. In epistola enim sua ad Patres Diocæsariensis synodi, cætera quidem ut a monachis Alexandriæ allata fuerant profitetur, adjicit tamen ipsum Verbum carnem esse factum, non assumpta mente humana, mente mutabili, quæ turpibus cogitationibus captiva ducitur, sed divina mente immutabili et cœlesti. In synodo igitur Alexandrina Apollinarii doctrina, ut a monachis exposita est, utpote Catholica, admissa fuit. Et vero licet Athanasius haud semel postea in Apollinaristarum errores invecutus sit, nunquam tamen Apollinarium ipsum nominatum est adortus : quoniam videlicet, ut quidem opinamur, dum vixit Athanasius, Apollinarius occulte serpens, errores spargebat quidem quantum in ipso situm fuit, apud Athanasium autem Catholicæ et sinceræ fidei studium eminentebatur. Quo defuncto, palam apertisque verbis in ipsa Diocæsariensi synodo virus hæreseos ore impio evomit.

12. *De rebus Antiochenis.* — De rebus item Antiochenæ Ecclesiæ componendis actum Alexandriæ fuit. In ea quippe civitate tanta vis dissidii et contentionis obtinuerat, ut non ab Arianis modo, sed inter sese Catholici disjuncti essent, nec inutua communionis societate fruerentur; alii Meletio præsule ecclesiam in veteri urbe sitam, aliis Paulino presbytero rectore aliam in urbe nova occupantibus. Optatissimum Patribus erat, ut non modo Catholicorum illæ factiones in unum coirent, verum etiam si qui ex Arianis ad veram fidem accedere vellent, his facilis pateret aditus, dum Arianam proscriberent, Nicænam amplexarentur fidem. Quamobrem duos ex episcopis, qui Alexandrinæ synodo intererant, cum tomo seu synodali epistola legarunt Antiochiam, qui pacem inter dissidentes conciliarent. Quodque insolens et fortasse hactenus inauditum, non ad eos tantum, qui tum absentes Antiochiæ versabantur, epistola nuncupata est, sed etiam ad eos qui deferrent, atque inter mittentes adnumerarentur, hac forma : *Eusebio, Lucifero, Asterio, etc.*

(a) Lib. III, cap. 8.

(b) Socrat. lib. III, cap. 9; Sozom. lib. V, cap.

A *Athanasius.... Eusebius, Asterius, etc.* Hisce litteris Alexandrini Patres pacis conciliandæ auctores erant. Rogabant ut liberum facilemque aditum præberent iis qui secum conjungi ac communicare cuperent, dum Arianam damnarent impietatem, maximeque omnium iis, qui in veteri conventus agerent, scilicet Meletianis. Exinde vero res a se in synodo gestas enarrant, quo ferme ordine nos recensuimus. Huic epistolæ subscribere præsules omnes Alexandrini, eorumque subscriptiones etiamnum exstant. Ait porro Socrates (a) Athanasium, quod fugæ ac recessus causa insimulatus fuisset, apologiam de fuga sua in synodo legisse.

13. *Lucifer Paulini promotione res Antiochenas labefactat.* — Cum hujusmodi litteris profecti Eusebius et Asterius, res Antiochenas deprehendunt præpostera Luciferi festinatione labefactas (b). Is enim Paulinum Antiochenum Eustathianis rogantibus ordinat episcopum. Factum improbavit Eusebius Vercellensis, et cæteri quibus pax Ecclesiarum cordi. Qua enim in urbe jam duo episcopi erant, quorum alter hæreticus, Catholicus alter esset, in eadem novum ex Catholicis deligere, quid id erat aliud, quam æterni prope dissidii auctorem esse? Et sane multis post annis discordia hujusmodi perseveravit. At obdurato Lucifer obstinatoque animo, iis insuper qui lapsi fuissent ad communionem Ecclesiæ aditum negabat. Quæ causa fuit ut in proborum præsulum, qui leniore ac moderatiore erant mente, offensam incurreret. Atque hinc ortum schisma Luciferianum. Nec prætermittendum Philonem episcopum Ægyptium, qui ab Arianis veræ fidei causa Babylonem in Ægypto relegatus fuerat, Luciferi sententiam in deneganda lapsis communionem secutum, ad Alexandrinam synodum non convenisse, quod Patrum, ut putatur, erga lapsos lenitatem, quam futuram prospiciebat, improbat. Quæ item causa fuisse videtur, quod Lucifer, rogante licet Eusebio exsilio socio, Alexandriam iter habere noluerit.

14. *Athanasius partem reliquiarum sancti Joannis Baptistæ recipit.* — Dum post reditum Athanasius Alexandriæ consideret, partem reliquiarum sancti Joannis Baptistæ ad se transmissam accepit. Nam Juliani temporibus, ait Rufinus (c), velut relaxatis frenis efferebuit in omnem sævitiam feritas paganorum. Ex quo accidit, ut apud Sebasten, Palæstinæ urbem, sepulcrum Joannis Baptistæ mente turbida et funestis manibus invaderent, ossa dispergerent, atque ea rursus collecta igne cremarent; sanctos cineres pulveri immistos per agros et rura dispergerent. Sed Dei providentiâ factum est, quosdam de Jerosolymis ex monasterio Philippi hominis Dei, orationis illuc causa per idem tempus venisse. Qui cum tantum nefas humanis quidem manibus, sed ferina mente fieri viderent, mori gratius habentes

15; Theod. lib. III, cap. 5.

(c) Lib. II, cap. 28.



quam hujusmodi piaculo funestari, inter eos qui ossa ad exurendum legebant misti, diligentius in quantum res patiebatur, ac religiosius congregantes, furtim se vel stupentibus vel insanientibus pertraxere, et ad religiosum Patrem Philippum venerandas reliquias pertulere. Ille supra se ducens tantum thesaurum propriis servare vigiliis, ad pontificem maximum tunc Athanasium hostiæ immaculatæ reliquias per Julianum diaconum suum, post etiam Palæstinæ urbis episcopum, mittit. Quas ille susceptas, paucis arbitris, sub cavato sacrarii pariete inclusas, prophetico spiritu profuturas generationi posteræ conservavit : quibus nunc, dejectis et postratis idololatriæ vestigiis, in ædibus quondam profanis aurea tecta consurgerent. » Hæc Rufinus.

15. *Ethnici Julianum concitant in Athanasium. Epistolæ Juliani contra Athanasium.* — Haud diu Athanasio licuit Alexandriæ post reditum consistere. Gentiles namque suæ addictum impietati imperatorem nacti (a), metuentesque cultui numinum suorum, qui Athanasii doctrina, sermone, precibus, decrescebat in dies : velut tetros serpentes e cavernis egressos una secum assumpsere magos, aruspices et augures, qui simul contestarentur, nihil e re gentilitatis prospere cessurum, nisi Athanasius pelleretur. Præterea dæmones, ait Theodoretus (b), cum vim sermonum precationumque Athanasii ferre non possent, ministros suos ad maledicta in eum congerenda incitarunt, ac multis exposcebant exturbari Athanasium ; addebantque : Si Athanasius remanserit, nullus supererit deorum cultor, cunctos enim ille ad suas partes alluciet. Litteris ergo ethnici ad imperatorem missis monent, Athanasium conventus in ecclesia agere, libero populum docere, multosque gentiliū illo consuasore Christianæ fidei nomen dedisse, nobiles matronas ejusdem fidei rudimentis imbutas baptismate donatas. Re comperta Julianus factum perindigne tulit, ac hujusmodi litteras dedit ad Alexandrinos (c). « Æquum erat eum, qui imperatoris edictis compluribus ejectus fuerat, unum saltem imperatoris edictum præstolari ad repetendam domum : nec singulari temeritate atque amentia legibus tanquam prorsus extinctis illudere. Enimvero nos haud ita pridem Galiliæ a Constantio ejectis, non reditum ad ecclesias, sed ad patriam cuique suam concessimus. Audio Athanasium hominem audacissimum solita audacia elatum, episcopatus, ut ipsi vocant, sedem usurpare. Quæ res non mediocriter Alexandrino populo displicet. Quare eum jubemus urbe excedere, quo die humanitatis nostræ litteras acceperit. Quod si in urbe remanserit, longe majores gravioresque pœnas ei denuntiamus. » Christianorum vero perampla multitudo, cum litteris Julianum rogasset, ut omnium votis expetitum optatis-

simumque sibi Athanasium in pace Alexandriæ consistere liceret, prolixiorem ille ad eosdem Alexandrinos dedit epistolam, futilibus dictis et factiis plenissimam, qua deorum turbam laudibus celebrans, in Galiliæos invehitur ; pudori esse inquam, si vel unus eorum se Galiliæum esse fateatur. « Vos igitur, ait (d), si monenti mihi obtemperare vultis, majorem lætitiā afferetis : sin illa in superstitione et vaforum hominum institutione perseverare mavultis, at mutuam inter vos concordiam retinete, neque Athanasium desiderate. Sunt enim ex ejus discipulis utique complures, qui prurientibus ac sermonibus impiis expleri cupientibus auribus vestris faciant satis. Utinam enim Athanasio solo sacrilegæ ipsius scholæ circumscripta esset improbitas : sed est in vobis hujusmodi non ignobilis multitudo. Ac nullius sane negotii res est : nam quicumque tandem e populo delectus erit a vobis, quod ad Scripturarum enarrationem pertinet, nihilo est eo qui optatur a vobis deterior. Sin quod vos Athanasii solertiam exoptatis, veteratorem enim esse hominem audio, scitote hac ipsa de causa urbe illum ejectum fuisse. Etenim noxia per se res est, vir populi præfectus, ac rerum novandarum cupidus. Quod si ne vir quidem est ille, sed contemptus homuncio, qualis revera est præclarus ille vir, qui jam in capitis discrimen venit, hoc sane publicæ perturbationis initium est. Quamobrem ne quid simile apud vos contingat, cedere illum pridem urbe jussimus : nunc autem Ægypto etiam universa. » Ut urgeret autem Athanasii exsilium, aliam misit epistolam (e) ad Eclitium Ægypti præfectum, his verbis conscriptam. « Etsi nihil nobis de cæteris rescribis, attamen de illo deorum hoste Athanasio rescribere debuisti ; potissimum quia quod præclare a nobis decretum fuit ante audiveras. Testor magnum Sarapin, nisi ante Kalendas decembres inimicus deorum Athanasius ex ea urbe, vel potius ex universa Ægypto decesserit, centum auri pondo cohortem quæ tibi paret multatum iri. Scis autem quam sim lentus ad condemnandum, et quanto lentior postquam condemnavi ad ignoscendum. Per mihi molestum est ejus opera deos omnes contemni. Equidem nihil a te factum libentius videam audiamque, quam Athanasium illum scelestum ex omnibus Ægypti locis pulsum esse, qui ausus est in meo imperio matronas Græcorum nobiles baptizare. »

16. *Athanasius se subducit. In desertum se recipit.* — Quamobrem cum se denuo in discrimen et periculum vocari animadverteret magnus Athanasius (f), quarto jam solum vertere coactus, cum circum se collacrymantes Christianos videret : Bono, inquit, animo estote ; nebula est, quæ brevi evanescet. Quæ cum dixisset, profectum parat ; et Eccle-

(a) Soerat. lib. II, cap. 13 et 14 ; Sozom. lib. V, cap. 15.

(b) Lib. III, cap. 9.

(c) Julian. epist. 28.

(d) Julian. epist. 15.

(e) Julian. epist. 6.

(f) Sozom. lib. III, cap. 14 ; Theod. lib. III, cap. 9.

sia amicis quibuscum arctiore charitatis vinculo junctus erat commendata, excedit urbe. Litteris porro Juliani secretioribus non pelli modo Athanasium, sed etiam obtruncari jussum erat. Subluxit se tamen Athanasius, inquit Theodoretus, comperto quærentium se accessu; nactusque ad ripam fluminis navigium, ad Thebaidem contendebat. Is vero, cui Athanasium confodere jussum fuerat, audita ejus fuga, quam celerrime virum insequitur. Præcurrens autem quidam Athanasii familiaris, maturare nuntiavit, qui ipsum ad necem perquirent. Tum nonnulli ex comitibus rogabant, ut in solitudinem secederet. Ipse re secum deliberata, gubernatori præcepit ut converso cursu, secundo flumine navigium dirigeret Alexandriam. Cum ergo obvii perquirentibus navigarent, occurrit sicarius, et quantum abesset Athanasius sciscitatur. Ille haud procul abesse respondit; ac prævertens Alexandriam repetiit, ubi latens degebat, reliquo imperii Juliani tempore. Hæc Socrates et Theodoretus. Verum quod postremo aiunt Athanasium ad necem usque Juliani delituisse Alexandriae, aperte repugnat historiæ mox enarrandæ; cui, utpote ab Ammonio Athanasii æquali traditæ, fidem negare nefas. In desertum igitur, teste Ammonio, Juliani furorem declinans, profugit (a). Et ad ejus usque obitum, nec satis tutus ab insidiis inimicorum, incertis sedibus apud monachos diversabatur.

ANNO 363. — 1. *Quid Athanasio contigit qua die cæsus Julianus est.* — Quid autem ipsi, qua die cæsus Julianus est, nempe xxvi Junii, acciderit, ipso apud Ammonium narrante Athanasio comperimus. Cæterum, ait Ammonius, quia beatus papa Athanasius, ne omnium minimo, aliisque Ecclesiæ Alexandriae clericis præsentibus, beata memoriæ viro Ammonio, qui fuit episcopus Elearchiæ, et Hermoui Buhasticorum in magna ecclesia de Theodoro aliquid enarravit, quod tuam existimo sanclitatem tum præsentem audivisse; operæ pretium duxi, ad renovandam tuæ pietati eorum memoriam, ea conscribere quæ ille locutus est. Cum memorati episcopi de beato Antonio nec sine admiratione verba facerent: qui vir sæpe cum Athanasio versabatur, eos sic affatur Athanasius: Vidi etiam ea tempestate magnos Dei viros, Theodorum Tubennesiotarum monachorum præfectum, aliumque monachorum Patrem propter Antinuum, cui nomen abbas Pammo, qui haud ita pridem obdormierunt. Cum enim me illo tempore Julianus ad necem perquireret, exspectaremque in dies interitum, amicis necessariisque meis periculum renuntiantibus; duo memorati viri me quadam die Antinuum convenerunt. Cum mecum ego reputarem, qua ratione apud Theodorum possem latere, ejus naviculam undique operam atque clausam conscendi, abbate Pammonem nos honoris causa comitante. Vento au-

tem minus secundo affante, equidem corde anxius Dominum præcabar: qui vero Theodorum comitabantur monachi, egressi naviculam trahebant. Cumque mœrenti mihi abbas Pammo consolandi gratia verba faceret, respondi: Crede affirmanti mihi, non tanta tempore pacis cordi meo fiducia inest, quanta tempore persecutionis. Confido quippe me pro Christo patientem, atque ejus misericordia roboratum, etiamsi occidar, multo majorem ab eo misericordiam consecuturum. Hæc verba necum compleveram, cum Theodorus abbatem Pammonem intuitus subrisit: et cum pene arrideret abbas Pammo: Quid, inquam, me ista loquentem ridetis? An me timiditatis arguitis? Tum ad Pammonem Theodorus: Dic illi, ait, quæ sit nobis causa ridendi. Cui Pammo: Tuum illud est. Ait Theodorus: Hæc ipsa hora in Perside Julianus occisus est, ut de illo Deus prænuñtiarat: *Arrogans vir, contemptor et superbus, nihil perficiet*. Surget autem Christianus imperator, qui præclarus quidem, sed brevioris vitæ futurus est. Quare ne in Thebaidem ascendas, nec tanti itineris laborem feras: sed in comitatum clam te confer. Quem in itinere offendet, atque ille (Jovianus) citius a Deo ex hac auferetur vita. Hæc apud Ammonium Athanasius; in cujus postremis verbis quædam hæret difficultas alic loco excutienda.

2. Nec tamen Athanasius Theodori consilio obsecutus, ad imperatorem statim, sed interposita quadam mora spatique, adiit. Ad hæc vero narrat Sozomenus (b), cuidam ex Juliani familiaribus revelatum divinitus futurum ejus interitum: Didymumque Alexandrinum Christianum philosophum gravissimo de Augusti impietate animoque falsis guminibus addicto affectum mœrore, cum deplorandis ac jejuniis precibusque avertendis futuris Ecclesiæ cladibus daret operam, somno oppressum vidisse equites candidis equis cælo discurrentes, tum eam accepisse vocem: Nuntiate Didymo hodie Julianum ac ipsa hora peremptum esse, idque ille Athanasio episcopo significet, et exurgens comedat.

3. *Athanasius redit Alexandriam. Jovianus imperator inauguratus litteras dat ad Athanasium, et Athanasius ad ipsum.* — Athanasius ergo accepta Juliani nece, nec exspectata, ut arbitramur, a successore reingrandi venia, sedes quamprimum suas repetiit. Jovianus autem Christianus, mira vir pietate animique lenitate, uno cohortium voto post Juliani interitum inauguratus, exsulum episcoporum revocatione imperium est auspicatus. Moxque ab Athanasio, qui cæteris multum pietate anteibat, orsus, litteras misit benevolentia et observantia plenissimas, sancti præsulis virtutem, in ferendis calamitatibus fortitudinem, affectum erga Christum mirifice exornans. Revocat ad salutis doctrinam prædicandam, jubet remeare in ecclesiam, populumque verbo Dei pascere. Testificatur magnam

<sup>a</sup> Habac. 1, 16.

(a) In epistola Ammonii. Acta SS. 14 Maii.

(b) Sozom. lib. vi, cap. 2.

se spem in precibus ejus repositam habere. Ἐξαπ-  
 στήτους porro litteras imperatori rescripsisse Atha-  
 nasium nihil dubium, injuria scilicet temporum  
 amissas. Neque ita multo post aliam dedit Jovianus  
 ad Athanasium epistolam, rogans fidei veritatem,  
 in sexcentas opiniones partesque distractam, trans-  
 mittat sibi. Tum Augusto ille alteram misit tanto  
 doctore, qui cumulus est laudis, dignissimam no-  
 mine synodi episcoporum Ægypti, Thebaidis et  
 Libyæ conscriptam : qua se principis erga res cœ-  
 lestes amorem descendique studium suspicere ac-  
 ceptumque habere testificatur : Nicænam fidem com-  
 mendat, Arianosque carpit quod istius synodi de-  
 cretis stare renuissent; unde ortæ tantæ turbæ,  
 tanta per Ecclesiam dissidia. Enumerat exinde  
 provincias et regiones in quibus obtineret ejusmodi  
 doctrina, paucis admodum Arianis temerario atque  
 impio usu adversus eam dimicantibus, excubanti-  
 busque ad quasvis turbarum occasiones. Affert  
 postea Nicænum symbolum, cui nonnulla perspicui-  
 tatis causa subjungit; iisdemque cum alia per ne-  
 cessaria, tum maxime Spiritus sancti deitatem  
 declarat. Quæ Athanasii litteræ Joviano pergratæ  
 perque jucundæ fuere, ut eas deinceps ceu veræ  
 doctrinæ tesseram censuerit. Istam item Athanasii  
 epistolam celebrat Gregorius Nazianzenus, quod  
 trium personarum unam essentiam, unam divinita-  
 tem esse propalam et nullis ambagibus profiteatur.  
 Æstimavit porro vir cl. Henr. Valesius Antiochiæ  
 datam ejusmodi epistolam fuisse, isthuc cum  
 Athanasio profectis Ægyptiis præsulibus. Sed eam  
 sententiam, utpote Theodoro aliisque scri-  
 ptoribus adversam, pluribus in Monito confuta-  
 mus.

4. *Athanasius ad Jovianum adit Antiochiam. Arianorum querelæ in Athanasium, et responsa Joviani.*  
 — Accepta Jovianus Athanasii epistola, ejus vi-  
 dendî desiderio flagrans, eum rogat Antiochiam  
 proficiscatur. Quo cum ille concessisset, comiter,  
 exceptus ab Augusto, a consiliis, ut licet augurari,  
 ipsi fuit, et machinamenta hæreticorum aperuit,  
 commodum sane in tali rerum conditione. Eum-  
 vero Arianorum principes, inter quos Lucius ad  
 Georgii implendas vices pridem ab Arianis desti-  
 natus, necnon Bernicianus nescio quis, Antiochiam  
 concesserant, Athanasium Augusto de multis sceleribus  
 delaturi, quod perpetuum erat eorum studium.  
 Quadam ergo die (a) Joviano per Romanensem  
 portam in agrum concedente, inexpectati accedentes  
 Ariani Ægyptii Augustum compellant his verbis :  
 Rogamus potentiam, imperium, pietatem tuam,  
 nos audias. Quibus ille : Quinam, et unde estis?  
 Cui illi : Christiani, domine. Unde, ait imperator,  
 et ex qua civitate? Respondent : Alexandria.  
 Imperator : Quid postulatis? Tum Ariani :  
 Rogamus potentiam tuam et imperium tuum, ut

des nobis episcopum. Ille imperator : Jussi Athanasium,  
 quem prius habuistis, in throno collocari. Tum Ariani :  
 Jam multis annis exsul et reus est. Statimque miles  
 ira commotus : Obsecro, inquit, imperium tuum,  
 ipse inquiras quinam et unde sint. Sunt enim  
 abjectæ reliquæ Cappadociæ, residua turba improbi  
 illius Georgii, qui civitatem et mundum universum  
 devastarunt. Quibus imperator auditis, admotis  
 calcaribus equum concitavit, et abiit in campum.

5. Nec ejusmodi repulsa stupefacti Ariani, secundo  
 imperatorem ita alloquuntur : En adsunt criminationes  
 et argumenta in Athanasium, qui ante decem et  
 viginti annos a Constantino et Constantio in exsilium  
 relegatus est, itemque sub beatissimo philosopho  
 Juliano exsulavit. Quibus Augustus : Jam obsoleverunt  
 quæ ante decimum, vicesimum et tricesimum  
 annum institutæ sunt accusationes. Ne mihi de  
 Athanasio verba faciatis. Neque enim ignoro qua  
 de causa accusatus et proscriptus sit.

6. Nec ista quoque responsio audaces homines  
 compescuit. Tertio namque ad Jovianum adeuntes  
 aiunt : Aliæ quoque suppetunt accusationes contra  
 Athanasium. Quibus imperator : Non ex tumultu et  
 loquacitate, quid jus, quid æquum sit deprehenditur.  
 Sed deligite ex vobis duos, ex plebe totidem. Nequeo  
 enim ad singulos vestrum respondere. Tum qui ex  
 plebe aderant : Illi sunt reliquæ improbi Georgii,  
 qui provinciæ nostræ intulere vastitatem, et in civitatibus  
 nullum permisere consiliarium habitare (b). . . .  
 Instabant Ariani : Quemcumque volueris præter  
 Athanasium. Dixi vobis, ait imperator, quæ  
 Athanasium spectant jam constituta esse; et ira  
 commotus, Feri, feri, clamabat. Nihil Ariani minus :  
 Si mittas, inquirunt, Athanasium, perit civitas  
 nostra; nemo cum illo consentit. Contra imperator :  
 Atqui diligenter sciscitatus, novi illum recte sentire  
 ac docere, orthodoxumque esse. Illi impudenter :  
 Ore quidem recte loquitur, animo autem dolose  
 sentit. Tum argute imperator : Satis est testificari  
 vos eum recte loqui ac docere. Quod si lingua  
 quidem recte loquitur, animo autem prave sentit,  
 res illi cum Deo est. Nos quippe homines sermonem  
 tantum audimus; quæ autem in corde latent novit  
 unus Deus. Ariani vero : Jube nos conventus  
 celebrare. Imperator : Quis vos prohibet? Illi  
 contra : Hæreticos et dogmatistas nos appellat.  
 Quibus Augustus : Hoc ejus est officium, necnon  
 eorum qui recte docent. Iterum Ariani : Hunc ferre  
 non possumus; nam et agros Ecclesiarum in rem  
 propriam divertit. Imperator autem : Pecuniarum  
 igitur, et non fidei causa, huc accessistis. Subdidit-  
 que : Recedite, in ecclesiam concedite. Cras  
 conventus vobis erit, et post dimissionem, adsunt  
 hic episcopi, itemque Nemesinus. Quisque vestrum

(a) Athan. Petit. ad Jovianum imperat.

(b) Hæc ipsissima sunt verba. Athan. ibid.

cundum fidem suam subscriptionem dabit. Adest etiam Athanasius. Qui fidei doctrinam ignorat, ediscat ab illo. Erit vobis crastinum et perendinum. Egre dior enim in campum.

7. Quidam autem scholasticus ex Cynicorum numero conquestus apud imperatorem est, Catholicum sive rationalem ædes sibi eripuisse. Cui imperator : Si Catholicus ædes tibi eripuit, quid hoc ad Athanasium? Alius item scholasticus, cui nomen Patalas, dixit accusationem habere se in Athanasium proferendam. Tum Jovianus : Ecquid tibi cum Christianis, cum sis gentilis? Quidam autem ex plebe Antiochena comprehensum Lucium imperatori offerentes : Vide quæso, aiunt, quem voluerunt episcopum constituere.

8. *Lucius alloquitur imperatorem.* — Ipse quoque Lucius imperatorem convenit ad atrium palatii, aitque : Obsecro potentiam tuam, me audias. Tum imperator substitit, et ait : Tibi Lucio dico, quo pacto huc venisti? navine, an pedes? Cui Lucius : Navi. Statimque Jovianus, et facete quidem : Deus mundi et comatus sol atque luna iis succenseat, qui tecum navigarunt, quod non te in mare abjecerint : et navis illa nunquam in posterum secundis fruatur ventis, nec cum jactata fluctibus erit, cum navigantibus unquam ad portum appellat.

9. Cum autem Ariani eunuchos sibi, Probatium scilicet et socios Eusebii et Bardionis successores, Euzoii opera conciliassent; rati fortasse ut apud Constantium, ita et apud Jovianum spadones vi et gratia valere, re cognita imperator, eunuchos excrucianos tradit, ita locutus : Hæc patiatur quisquis ausus fuerit Christianos deferre. Atque ita dimisit eos Jovianus.

10. *Athanasius quærit gratiam inire Meletii Antiocheni.* — Athanasii animus erat, cum Antiochiam proficisceretur, nihil non agere conciliandæ cum Meletio Antiocheno gratiæ causa. Sed veteratorum hominum consilio factum, ut ad aliud tempus extracta res fuerit. Et magno quidem opere ille nitentur pacem communionisque societatem inire cum Meletianis, communemque operam rebus ecclesiasticis conferre. Verum illi, sive Paulini amico diffisi (a), sive alio interpellante negotio, promissis quidem Athanasio spem fecere perficiendæ rei, optatissimamque ipsi pacem distulerunt in opportuniorē tempestatem. Et tamen multis post annis, cum Basilius scilicet jam episcopus esset, excubante licet Athanasio ad omnem concordiam reducendæ occasione, nondum confecta res fuerat. Quæ causa fuit ut Basilius hæc in quadam epistola Meletio verba fecerit (b) : « Athanasium quod spectat, prudentiam tuam, quam licet hujusce rei, commonefacimus, nihil posse litteris meis hoc in negotio confici vel promoveri; nisi a vobis quoque, qui olim tempus

extrahebatis, quando de communionem cum ipso ineunda ageretur, litteras accipiat. Certe aiunt illum summo studio vestram gratiam mutuique officii societatem efflagitavisse, et jam summopere dolere, tum quod eo tempore rem consecutus non sit, tum quod jam vacua et infructuosa promissa vestra experiatur. » Cum itaque repulsam hujusmodi a Meletianis tulisset Athanasius, pacificis exinde mutuisque litteris societatem fovit cum Paulino, alio catholicarum partium episcopo.

ANNO 364. — *Mors Joviani.* (In cujus locum deligitur Valentinianus, qui sibi Valentem aciscit imperii consortem. — Grandis sane spes Catholicis erat, si ad multum temporis superstes et incolumis Jovianus fuisset, Arianam hæresim funditus evertendam fore (c). At occulto providentis Dei consilio, necdum octo ab inito imperio mensibus elapsis, Dadastane ad Bithyniæ fines subito extinctus est, die decima septima Februarii, anno 364. Cujus loco, septem interpositis diebus, inauguratur ab exercitu Valentinianus vir Christianus et pius; qui sub Juliano Christi nomen confessus, pulsus in exilium fuerat. Et sane si solus, non admissio consorte imperii, clavum tenuisset, redintegrata spes, et sat prospectum reipublicæ Christianæ commodo et utilitati erat. Verum in gravem Ecclesiæ perniciem XVIII Martii hujus anni Valentem fratrem pronuntiat imperatorem : divisioque imperio, Occidentem sibi, fratri Orientem assignat. Qui Valens quantis Catholicos malis affecerit, a nullis non illius ævi scriptoribus narratur.

ANNO 365. — 1. *Mors Theodori abbatis.* — Prioribus tamen ab ineunte Valentis imperio annis pax Athanasio fuit a vexationibus et æramnis, atque facultas edocendi libere populi. Anno autem circiter 365 Theodorus ille abbas (d), quicum Athanasius exsul et profugus haud semel versatus est, diem obiit extremum. Quo perlato ad Athanasium nuntio, litteras ille consolatorias Orsio abbatem misit et monachis ei subditis, quibus testificatur se summe de obitu tam præclari viri dolere, in usum ac salutem fratrum nati; multis lacrymis mortem ejus prosecuturum, nisi summam nactum felicitatem crederet. Rogat monachos, precibus suis de pace Ecclesiæ confirmanda cum Deo agant. Licuisse sibi ait per inducias belli et vexationis isto etiam anno sanctum Pascha et Pentecosten cum lætitia celebrare.

2. *Athanasius scribit Vitam Antonii.* — Hoc item circiter tempus, rogantibus transuarianis monachis in peregrina regione versantibus, et quidem, ut arbitramur, Occidentalibus (jam enim per Occidentem frequentari cœperat monasticum institutum), Antonii præclari illius deserti incolæ vitam, gesta, et miracula scripto mandavit, ex iis quæ frequens adeundo virum nec modico temporis intervallo cum

(a) Basil. ep. 273.

(b) Basil. ep. 349.

(c) Socrat. lib. iv, cap. 1.

(d) In Vita Pachomii, Acta SS., 14 Maii.

eo versatus, oculis ipse conspexisset suis, necnon A sodalium monachorum testimoniis texens historiam. Opus sane singulare, cujus dignitas omnibus retro sæculis commendata. Quod mox in Occidentem perlatum, non, ut quorundam fert opinio, ab Evagrío, qui jam antea, anno scilicet 362, cum Eusebio Vercellensi in Italiam iter habuerat, sed a tabellariis ad se transmissis, ut ipse indicat Athanasius. Eam autem Antonii Vitam in Occidente degens Evagrius Latine fecit ante annum 369, superstite adhuc Athanasio: quod vel solum est ad eorum sententiam, qui id operis Athanasio abjudicant, refellendam satis. Quam celebris autem illa in Occidente, quam studiose excepta fuerit, fidem faciunt, cum sexcentorum pene scriptorum testimonia, quorum nonnulli æquales, ac necessarii Evagrío fuere, tum B manuscriptorum copia et antiquitas. Qua de re pluribus in *Monito ad Vitam Antonii*.

3. *Athanasius librum scribit de Trinitate; alium item de Trinitate et Spiritu sancto.*—Cum per otium Alexandrinum et pacem liceret, nihil intermittebat Athanasius Lucifugarum confutationem, quorum potissima tum pars erant Anomœi et Pneumatomachi sive Macedoniani. Istos insigni opere adortus, æqualem in Trinitate personarum dignitatem commonstravit, non aliunde quam ex Scripturæ testimoniis petens argumenta. Titulus operis apertè in editis vitio laborans ejusmodi est in manuscriptis: *De incarnatione Dei Verbi, contra Arianos*. Ab antiquissimis etiam scriptoribus hoc nomine laudatur: *De Trinitate et Incarnatione*. Inscriptio sane accommodatior ad libri materiam et argumentum. Mirum quam præclara hoc unum opusculum complectatur, de Trinitate et æqualitate trium personarum, de processione Spiritus sancti a Patre et Filio, de Eucharistia, et de aliis permultis. Huic persimilem lucubrationem, quæ Latine tantum exstat, Athanasio vindicamus adversus quorundam hujus ævi scriptorum sententiam. Utrumque porro opusculum in nullum isto 365 commodiorem annum conierri posse putamus.

ANNO 366. — 1. *Mors Liberii; in cujus locum subrogatur Damasus.* — Anno 366, mense Septembris, diem obiit Liberius papa. Qui post lapsum patriæ, et Ecclesiæ suæ restitutus, munere exinde D episcopali inculpate ac diligenter ad obitum usque perfunctus est. Paucis interpositis post ejus exitum diebus in pontificem deligitur Damasus, eruditione, sanctimonia, fortitudine in oppugnandis hæreticis præclarus. Sub idem tempus, ut erat tum factionum partibus distracta Romana civitas, seditiosorum conspiratione in episcopum cooptatur Ursicinus quidam. Hinc turbæ, hinc cædes, cæteraque mala permixtis et perturbatis rebus oboriri solita. Verum Damasi partibus a principio accesserunt, cum Athanasius, tum quotquot pacem curabant ecclesiasticam.

2. *Epistola Athanasii ad Rufinianum.*—In hunc circiter annum conferre licet epistolam Athanasii ad Rufinianum. Is inter varias de recipiendis iis qui in hæresim lapsi essent opiniones animi dubius, ab Athanasio, quem patris compellat nomine, quæ forma, quæ conditio lapsis offerenda, ediscere efflagitabat. Cui Athanasius pro innata sapientia hanc a diversis synodis definitam formam missis litteris indicavit: ut qui hæresis seu auctores seu patroni fuerint, si quidem respiscant, ad communionem tantum admittantur, nec pristinam in clero dignitatem occupent; sin infirmitate atque formidine fuerint ad hæresim simulandam compulsi, integris rebus, gradum et officium retineant. Quæ quidem regula una Catholicis omnibus erat, solis Luciferianis aditum pœnitenti negantibus. Hi namque, ut gesta clamant, nihili ducebant Alexandrinæ synodo placita.

ANNO 367 — 1. *Valens Catholicos vexat, edicit ut pellantur episcopi. Plebs Alexandrina pelli Athanasium non sinit. Athanasius se clam subducit.* — Annus 367, ut cum viris doctis opinamur, immani Valentis Ariani in Catholicos vexatione insignis fuit (a), qui Eudoxio auctore et consuasore singulis per urbes et regiones magistratibus, denuntiato in repugnantes ac non obsequentes fortunarum periculo, mandavit ut episcopi Constantii temporibus abdicati, atque imperante Juliano restituti, sedibus pellerentur, et Ecclesiis suis. Edicti gravitate compulsi Ægyptii magistratus, Athanasium rursus ecclesia deturbare et pelli urbe parabant. Non levis enim C pœna omnibus per Orientem magistratibus, atque militibus indicta; nec modo multam pecuniæ ingentem, sed etiam corporis cruciatum interminabatur Augustus, si non strenne jussa exsequerentur. Tunc episcopo metuens Christiana plebs, quæ haud semel periculum et ferrum a cervicibus Athanasii depulerat, coacta ad Tatianum Ægypti præfectum adit, rogat ut ne temere et inconsulto Athanasium ejiciat, sed perpendat accuratius quid esset imperatoris litteris definitum; ad eos enim tantum pertinere, qui, temporibus Constantii pulsati in exilium, imperante Juliano remigrassent. At enim Athanasium, tametsi sub Constantio pulsum, eodem tamen D revocante sedem aliquando repetiisse suam, Julianum autem, cæteris restituti, ipsum solum patrio solo exturbasse, quem denuo Jovianus Ecclesiæ restituerat. Hac habita oratione, cum nihil præfecti animum mitigassent, tum ejus conatibus obstistere, et violentiam ab episcopo propulsare. Cum multitudo vulgi conflueret, ingensque tumultus ac perturbatio totam urbem occuparet, omniaque essent ad seditionem et bellum parata, rem imperatori præfectus denuntiat, passus interim Athanasium in urbe manere. Interposito multorum dierum spatio, cum sedatus tumultus videretur, clam urbe digressus Athanasius, in occultum se locum proripuit, et jam quinto

(a) Socrat. lib. iv, cap. 15; Sozom. lib. vi, cap. 12.

vir prope acta et decursa ætate patrium vertere solum coactus est. Multa nocte præfectus Ægypti, comitante duce militibus stipato, ecclesiam in qua domicilium habebat Athanasius invadit, ratus scilicet compressa seditione, populisque somnum capientibus, se nullo negotio, nullo concitato tumultu irrupentem, Valentis imperata facturum. Et cum ubique Athanasium in ipsiusque tabulatis perquisivissent, spe falsi, reque infecta abscedunt. Ingens tum admiratio cunctos subiit, quod Athanasius sive cœlesti monitu, sive ingenii perspicacitate, re præcauta atque prævisa, se subduxisset. Tamen, ait Sozomenus, ut quis tam opportuno tempore sibi prospicere insidiasque cavere possit, id majoris videtur esse providentiæ quam quæ in hominem cadat. Sunt qui dicant, Athanasium, cum inconsideratum populi tumultum prævideret, veritum ne turbarum ipse auctor haberetur, haud modico tempore in sepulcro patrio delituisse.

2. *Valens Athanasium revocat.* — Sub hæc Ariani, quæ animi ex Valentis edicto multum creverant, ab eo postulant, ut Alexandriam Lucius mitteretur, qui episcopalem sedem occuparet. Quod tamen illis Athanasio superstitie minime concessum. Imo vero Valens popularem seditionem reformidans, litteris suis Athanasio fecit repetendæ sedis potestatem. Suspicio, ait Sozomenus, Valentem non suo consilio has litteras dedisse, sed, vel quod insitam omnium animis de Athanasii virtute opinionem secum reputaret, remque ideo Valentiniano, qui Nicænzæ fidei hærebat, fore pernolestam; vel quod Athanasii sectatorum multitudinem reformidaret, ne scilicet erumperent in turbas atque seditiones. Ad hæc vero Arianzæ factionis episcopi non tanta sollicitudine excubabant ad eum episcopali sede deturbandum: futurum prospicientes, si pelleretur denuo, imperatores interpellaturum; nactaque ipsos adeundi occasione, periculum fore, ne Valentem ad suam deduceret opinionem, Valentinianumque, veræ sectatorem fidei, querelis, oratione, dignitate inflammaret in adversarios. Ne viri ingenium et sagacitas ex iis quæ Constantio imperatore contigerant, sat perspecta, sat explorata erat: prudentia quippe ac prospiciendi vi insidias et conspirationes sæpe declinaverat. Quæ causa fuisse videtur ut Ariani a consilio exturbandi Athanasii tum desciscerent, atque in pace sinerent Alexandria consistere, dum cætera circum loca, Orientalesque provinciæ omnes Valentis in Catholicos immanitate, cædibus, exsiliis, proscriptionibus, nullo non calamitatis genere conflagrarent.

3. Fugam autem Athanasii postremam, cum erudito viro Antonio Pagio in annum rejicimus circiter 367. Quia scilicet ait Theophanes Athanasium quadraginta sex annis episcopali perfunctum munere, totos quadraginta in periculis calamitatibusque versatum, ita ut sex postremis solum vitæ suæ

A annis ei licuerit alta et imperturbata frui pace. Quæ sane temporis ratio constabit, si ad annum 367 ejus fugam reditumque conferamus. Et vero cum Theophane consentire videtur Sozomenus, qui post allatam ab Eustathio et sodalibus eusam fidei confessionem, ait eosdem acceptis Liberii litteris in Siciliam transmittentes istic synodum habuisse, et eodem tempore lectis in synodo Tyanensi iisdem litteris, cum alia perinulta, tum id etiam decretum fuisse, ut proximo vere Tarsi in Cilicia synodus celebraretur. Quæ tamen prohibitu Valentis habita non fuit, Is eodem tempore edixit, exturbandos fore catholicos præsules. Cum porro ut tardius anno 366 data sit epistola Liberii, qui .eo. ipso. anno defunctus est, anno subsequente imperatoris edictum promulgatum fuerit. Non videtur enim ante datum, cum ad annum 367 Valens bello occupatus Gothico, tantæ inferendæ per totum imperium vexationi, vix spatium et occasione habuisse potuerit.

ANNO 368.—*Synodus Romana prior sub Damaso.*— Anno, ut opinamur, 368, Damasus papa celebrato Romæ pro confirmanda Nicæna fide concilio, Valentem et Ursacium famosos illos Occidentalium Arianorum antesignanos damnatos abdicavit, atque lapsos tempore vexationis episcopos ad officium revocare conatus est, detectis iis qui defectionis auctores fuissent. Litteris autem synodus acta et decreta sua ubique significavit.

C ANNO 369. — *Synodus Alexandrina.* — His acceptis litteris, Athanasius synodum convocat Alexandriæ cujus synodalis ad Afros epistola exstat inter opera Athanasii. Is quanta sollicitudine non suorum modo, sed etiam externorum saluti invigilaret, hisce litteris deprehenditur. Cum enim accepisset, nonnullos esse oppugnandæ Nicænzæ fidei cupidos, qui synodi Ariminensis Acta, illa nempe Constantii auctoritate, minis, formidine ad suam libidinem conscripta, afferrent in medium, ac omni ope studioque contenderent Nicænis decretis anteferenda, Afros Athanasius rei veritatem edocet; Arianorum scilicet hæc molimina, hæc nova machinamenta esse (a); Nicænam fidem a cccxviii episcopis editam, firmam, sanam, et omnium pietatis amantium calculo apud Indos usque et Barbaros receptam; Arianam vero, nedum probis esset accepta, ne ab Arianis quidem sat firmam haberi, qui in synodis plus decem totidem formulas, mutata subinde sententia, varias inter se, nec satis sibi constantes edidissent. Nec esse quod de Ariminensi synodo sibi gratularentur: quæ dum libera, dum extranea formidine vacua esset, et arbitrato suo rem ageret, Ariarorum principes abdicasset, Ursacium nempe, Valentem, Eudoxium et Auxentium. Si qua Ariminensibus Actis esset fides, huic habendam decreto, quod ex libero Patrum arbitrio datum ignoraret nemo; secus autem aliis Constantii opera terroreque extortis suffragiis. Testimoniis exinde antiquorum Patrum vocis ὁμοού-

(a) Epist. Athanasii ad Afros.

et usum, dignitatem, sinceritatem commonstrat, et pluribus defendit adversum hæreticos. Ait esse nonaginta circiter per Ægyptum episcopos, qui secum ista scriberent; qui tam concordii, tam unanimi sententia essent, ut ex recepto more, qui adessent pro absentibus subscriberent. His similes Alexandrina synodus litteras ad Damasum papam dedit, quibus permirum sibi aiunt, Auxentium, non Arianum modo, sed etiam sexcentis flagitiis nobilitatum, Gregorio Alexandrino olim in amicis, ac scelere parem, non damnatum, non abdicatum in Romana synodo fuisse. Gratias Damaso et synodo referunt, quod pacis et ecclesiasticæ concordie causa factiosos et turbarum auctores Ursacium, Valentem, et assecclas damnaverint.

ANNO 370. — *Synodus Romana altera.* — Athanasii aliorumque præsulum monitis morem gessit Damasus. Coacta quippe anno 370 vel sequente Romanæ synodo, de Auxentii causa actum, qui omnium suffragio episcoporum condemnatus est (a), et munere dignitateque abdicatus. Quæ hactenus superest synodica Damasi epistola, videtur compendium esse epistolæ ad Afros, seu potius ei consimilis, quam ad Damasum miserant Ægyptii præsules, ejusque occasione conscripta. In ea quippe Auxentius damnatus, Ariminensis proscripta formula, Nicæna fides confirmata est. Quas res omnes complectitur epistola ad Afros. Vulgo arbitrantur, Basilium, qui anno 370 in episcopum delectus est, legatos Romam ad eam ipsam synodum cum epistola misisse. Quod si exploratum esset, palam hinc foret, Romanam synodum vel anno 370, vel sequente fuisse celebratam. Sed cum ea Basilii epistola ad episcopos Italiæ et Galliæ nuncupata sit, nulla facta synodi cujuscumque mentione, nullius, mea quidem sententia, est momenti ad temporis rationem ineundam. Conjectando solum in hoc circiter tempus Romanam synodum consignamus. Nam priorem sub Damaso synodum in annum referimus circiter 368, Alexandrinam vero in sequentem. Qui autem illum in annum 366, hanc in 371 conferunt, minus certe probabilem ineunt chronologiæ rationem. An Athanasius et Ægyptii episcopi totum quinque vel sex annorum spatium effluere permiserunt, ut inveteratis rebus gestis, gratias Damaso et synodo Romanæ referrent? Ad hæc, non videtur Damaso sub finem anni 366 in pontificem cooptato, et ineunte episcopatu Ursicini ænuli factione exagitato, spatium fuisse ad synodum eodem anno celebrandam; sed rebus demum compositis anno 368 de synodo cogitasse probabilis est, anno autem insequente litteras accepisse Athanasii et Ægyptiorum, iisque obtemperasse, ac synodum postea coegisse ad Auxentii causam excutiendam.

ANNO 371. — 1. *Athanasius præfectum Libyæ Catholicorum communionem interdicit.* — Ille circiter

tempestate, Basilio jam episcopo, in Libya monstrorum semper parente præfectus erat crudelitate et lascivia insignis, cui mos erat in alienos toros inihiare. Impuri hominis sceleribus permotus Athanasius, ut infamem, Ecclesiæ communionem interdixit, missisque litteris, cum obscenam hominis vitam, tum illatas merenti pœnas significavit. Iis acceptis Basilius (b) litteris factum laudat, pronuntiat hominem esse Athanasii sententia execrandum, nemini cum illo ignis, aquæ vel tecti communionem ineundam; e re Ecclesiæ fore, ut violenti hujusmodi tyranni communi omni omnium calculo proscribantur.

2. Aliæ item exstant ejusdem Basilii ad Athanasium epistolæ (c). In ea vero, quæ secundo fertur loco, deplorat calamitates Orientalis Ecclesiæ: et rogat Athanasium, apud Occidentales id agat, ut quam sollicitudinem adversus unum duosve qui prave sentirent prætulerant, eandem ipsam vertent ad res Orientales componendas. Neminem esse ad eam rem impetrandam ipso opportuniorem, sive ingenium, sive prudentiam, seu virtus, seu venerabilis canities spectaretur: id epistolis, id legatis, id precibus obtinere contenderet. Ac cum primis res Ecclesiæ Antiochenæ tum luctuoso discidio, ac triplici factione confluentes componi curaret: si caput totius Orientis ad concordiam revocaret, spem fore gratiæ inter reliqua membra reconciliandæ. Sunt autem qui putent, eam epistolam Athanasio missam antequam celebraretur Alexandrina synodus de qua superius. Verum ut eorum sententiæ palam non repugnamus, cum tamen paulo post Ursacii et Valentis abdicationem, quæ nec obscure in hac Basilii epistola memoratur, ea synodus subsecuta sit, hinc sane firmatur conjectura nostra.

3. In alia epistola rogat, ut in tanta Ecclesiæ perturbatione precibus se, consilio, peritia rerum gerendarum adjuvet, nec aliquam elabi sinat litterarum sibi mittendarum occasionem; grandi quippe subsidio et consolationi sibi esse ejus epistolas. In sequente de Meletio agit, Athanasioque innuit optatissimum quibusque esse, ut ipse solus Antiochenam regat Ecclesiam, reliquæ vero partiunculæ in corpus unum coaptentur. Hanc excipit alia epistola, qua deploratis de more Ecclesiæ calamitatibus, postulat Athanasii epistolas ad varios episcopos datas sibi transmitti. Claudat agmen alia, qua se testificatur ingenti gaudio Petrum ab Athanasio missum excepisse, se omnibus in negotiis ipsum quasi ducem ac rerum gerendarum principem habere: Dorotheum Meletii diaconum ad ipsum mittere. Videri sibi consentaneum, si litteris apud Romanum episcopum agatur, ut rebus Orientalibus constituendis curam operamque navet. Nec synodo opus esse, sed ipse auctoritate propria viros deligat cum ferendis viæ molestiis, tum rebus gerendis idoneos, qui mansue-

(a) Theod. lib. II, cap. 22.

(b) Epist. 47.

(c) Epist. 47 52.

tudine et facilitate ingenii male affectos valeant ad sauiam reducere mentem : et quidem clam taciteque accederent, ut qui adversæ partis erant, ne præsentiscerent quidem adventuros. Esse qui Marcellum contenderent abjici ab Ecclesia oportere, qui Verbi Dei ante incarnationem et post resurrectionem existentiam tolleret.

4. *Athanasius cum Meletio reconciliatur.* — Ex hac postrema epistola confici videtur, Basilii opera Athanasium, Meletio reconciliatum fuisse. Nam quod Meleti diaconus ad Athanasium conveniendum properaret, id ea tempestate inter signa inîtæ aut saltem inœundæ pacis computabatur. In hisce omnibus epistolis magnam cernere est Basilii erga Athanasium observantiam. Virum ut patrem, ut doctorem, ut arbitrum semper alloquitur : et totius ferme Ecclesiæ sortem ex ipsius maxime pendere consilio testificatur. Athanasius vicissim Basilium filii loco semper habuit, ejusque doctrinam, vim ingenii, pietatem quanti faciat, haud semel significat in litteris Basilii causa conscriptis. Nam quæ ad ipsum Basilium datæ sunt, injuria temporum interierunt.

5. *Epistolæ Athanasii ad Joannem et Antiochum et ad Palladium. Basilii de Athanasio testimonia.* — Hoc circiter tempore excitatis de Spiritus sancti divinitate quæstionibus, Basilii temporum sese conditioni attemperans, etsi Spiritui sancto ea omnia quæ Deo competunt ascriberet, et Deum vere ipsum crederet esse, a Dei tamen nomine abstinere, ne res auditoribus appellationi hujusmodi insuetis offensionem foret. Id cum indigne ferrent monachi nonnulli, sanctum virum ubique traducere atque insectari cæperunt. Re litteris Joannis cujusdam et Antiochi presbyterorum comperta, Athanasius missa ad eosdem epistola, monachorum carpit audaciam et temeritatem, necnon eorum qui quæstionibus movendis intenti turbam et dissidiorum essent auctores. Rem pluribus agit in epistola ad Palladium, quem rogat ut pacem Basilium inter et monachos componere curet. Probari sibi ait, acceptamque esse piam illam Basilii simulationem, qui pro infirmorum utilitate infirmitatem et ipse præferret. Virum hujusmodi, Ecclesiæ gloriam esse contendit. Et hæc quidem de Athanasii cum Basilio societate et amicitia dicta sunt, non quidem temporibus distincta suis, cum non sat conspicua ferant ejusmodi litteræ temporum signa. Hoc unum certum exploratumque, trium annorum spatio hæc omnia circumscribi oportere, ab anno scilicet 370, quo ordinatus fuit Basilium, ad 373, in quem, ut mox comprobatur, mors Athanasii conferenda est. Nec prætermittenda alia quædam Basilii dicta grandem Athanasii existimationem præferentia. In epistola ad Neocæsarienses (a) hæc habet : « Cum accepissem a beatissimo patre Athanasio Alexandriæ episcopo litteras, quæ etiam nunc penes me sunt, et flagitantibus offero legendas, quibus ille aperte edixit eos, qui ex Arianorum hæresi

(a) Epist. 75.

ad nos transire voluerint, admittendos esse, dum Nicænæ synodi fidem profiteantur, nec vel minimum esse ea in re hæsitandum : et cum sententiæ hujus consortes ille mihi cum Macedoniæ tum Achaïæ episcopos allegasset, necesse duxi tanto viro propter gravissimam eorum auctoritatem qui id decreverant obsequi : simulque præmium pacificis destinatum nancisci cupiens, eos qui fidem istam confiterentur communicantium parti ascripsi. » In epistola autem ad Euphemium hæc habet : « Studium tuum erga Athanasium evidentissimum erat argumentum, te in maximis fidei capitibus recte sentire. »

6. *Siderii Historia. Siderium confirmat Athanasius.* — Hæc item circiter tempora res evenit, quam Synesio auctore ediscimus (b). Erant in quadam Pentapoleos diœcesi, cui nomen Erythrum, vici duo, Palæbisca et Hydrax. Episcopo autem Erythri Orioni, jamdiu gravi et protracta ætate cum esset, summa facilitas ex ingenii mentisque imbecillitate advecta vitio vertebatur. Cum diutius autem vitam extraheret, longioris moræ impatientes vicorum incolæ, juvenem quemdam gerendis rebus strenuum, Siderium nomine, ab exercitu Valentis adventantem delegerunt, ut vicos administraret, ejusmodi virum scilicet, qui et inimicis nocere, et amicis prodesse posset. Per id enim tempus hæresis multitudine et auctoritate valebat, opportunaque tum dexteritas in agendo quæ est administræ prudentiæ. Is primus fuit Palæbiscae creatus episcopus ; sed neque legitime, cum nec Alexandriæ, nec a tribus, ut mos erat, episcopis fuerit ordinatus. Solus namque Philo Siderium ordinavit. Is Philo fortasse idem est, qui fidei causa sub Constantio relegatus, Luciferianis postea nomen dedit, homo patria Cyrenensis, junioris cujusdam Philonis patruus : in cæteris quidem ex præscripto Christianæ disciplinæ vitam agens, quod autem ad regendum et parendum attinet audacior, quam legum observantior. Verumtamen hoc ad Philonis veniam afferri poterat, quod formidolosis temporibus accuratorem disciplinam prætermitti necesse fuerit. Quæ causa fuit ut Athanasius id tempori dederit, nec vel cum ordinante, vel cum ordinato expostularit. Imo vero cum exigua adhuc fidei scintillam quæ Ptolemaide residua erat fovere, et magis magisque vellet accendere, Siderium majoribus gerendis idoneum eo commigrare præcepit, ut metropolitanam regeret Ecclesiam. At ubi senex denum extinctus esset, Palæbisca et Hydrax in antiquam redactæ formam sunt, atque Erythro contributæ. Insequentibus autem annis turbæ rursus eadem de causa datæ sunt.

7. *Apollinarij errores late serpunt. Athanasii epistola ad Epictetum.* — Interea Apollinarij errores, qui post synodum Alexandrinam anni 362 ex simulata ejusdem confessione compressi et extincti videbantur, late serpere et in multas spargi regiones cæperant, ut non per Syriam, Palestinam, et Ægyptium modo, sed per Græciam et Achaïam emana

(b) Synesius, ep. 77.



rent. Et uti solet nova quæque opinio in varias A distrabi partes, cum, ut putamus, ex variis et in omnem partem effusis Apollinarii scriptis, alius aliud apprehendisset, hinc variæ obortæ sententiæ, quas uno Dimœritarum nomine complectitur Epiphanius (a). Ejusmodi ergo pravæ et adulteræ opiniones cum Corinthi propositæ agitæque fuissent, Epictetus istius urbis episcopus commentarios edidit, ad Athanasiumque transmisit, rogans sibi quid agendum, quidve sentiendum, qua ratione confutandi ejusmodi errores essent, indicaret. Hæc autem erant istiusmodi sententiarum capita: 1° Consubstantiale Verbi divinitati esse corpus ex Maria genitum; 2° Verbum in carnem, ossa, nervos, capillos fuisse mutatum. Qui error Marciniotis ascribitur in dialogo Origenis nomine publicato; 3° Dominum fictione, non natura, gestasse corpus. Perantiqua hæresis ab Ignatio et ab omnibus ferme Patribus deinceps memorata; 4° Ipsam divinitatem circumcisam et cruce affixam fuisse; 5° Verbum nequaquam ex Maria, sed ex sua sibi substantia corpus efformasse; 6° Eum qui ait Domini corpus ex Maria ortum, non trinitatem sed quaternitatem admittere. Ist hæc erant, testibus Epiphanio et Gregorio Nazianzeno, Apollinaristarum commenta. Tacebatur tamen in commentariis Epicteti error ille, qui ab initio fuerat Apollinaristarum ceu tessera, quæ negabant scilicet mentem humanam inesse Christo. Acceptis Athanasius Epicteti commentariis, litteris ad eundem missis errorum opiniones acriter insectatur, validisque confutat argumentis. Mirere sane in homine prope decursa jam ætate tantum acrimonie, salis, eloquentiæ, quantum vix deprehendas in cæteris efflorescente ætate conscriptis. Nec omittendum, initio istius epistolæ errores hujusmodi tanquam insolentiores, ac sibi hactenus inauditos exagitare Athanasium. Unde pateat, reliqua opuscula adversum Dimœritas et Apollinaristas a sancto doctore adornata, secundum eam ad Epictetum epistolam fuisse conscripta; quæ ad quinque sexve adhuc supersunt. Epistolam ad Epictetam, consequenter ad eam quam superius augurando statuimus chronologiæ rationem, in annum consignamus circiter 371. Memorat quippe iste Athanasius synodum Romanam anno 370 a Damaso adversus Auxentium celebratam.

8. *Athanasii epistola ad Adelphium.* — In eandem circiter tempestatem referimus epistolam ad Adelphium confessorem. Qui litteris Athanasium, totius orbis eo tempore arbitrum et ceu oraculum, monuerat, esse ex Arianis nonnullos, qui negarent Christi corpus esse adorandum; sed siebant tamen Verbum hominem factum, quod animæ vicem in humano corpore impletet, adorandum esse. Ejusmodi homines datis ad Adelphium litteris solita vi ingenii refellit et coarguit: exprobratque Arianis, quod rem quam creatam putarent, Verbum scilicet, adorarent. Alios item oppugnat, qui carnem Chri-

(a) Hæc 77

sti ex conjunctione cum Verbo increatam evasisse affirmarent. Quæ sane opinio recidit in proxime commemoratos Apollinarii errores.

9. *Athanasii epistola ad Maximum.* — Inter hæc Maximus quidam philosophus, is ipse, ut videtur, qui ementita post hæc Gregorio Nazianzeno amicitie necessitudine junctus, eundem sede pellere aggressus est, litteris Athanasio significavit, ease qui adversus Dei Verbum sententias efferrent erroneas, et quidem, ut inibi cernitur, Apollinaristarum hæresi finitimas. Athanasius vero, qui impigre semper obortis erroribus convellendis excubabat, eosdem integra mentis acie confutavit in epistola ad Maximum, quæ etiam nunc superest.

B ANNO 372. — 1. *Athanasii libri contra Apollinarium, et alia opuscula.* — Ejusdem elegantie sunt duo libri contra Apollinarium, quos incunctanter post epistolam ad Epictetum reponendos censemus, quibus errores hominis et sectatorum ejus insectatur, tacito semper Apollinarii nomine. Nam quod in inscriptione comparet, id videtur librariorum auctoritate inductum, quando in quibusdam exemplaribus non exstat. Et vero ea re firmatur nostra sæpe memorata opinio, Apollinarium, dum viveret Athanasius, ejus semper gratiam affectasse, atque studuisse imprudente illo errores spargere suos. Sane gloriabatur ille, multas se ab Athanasio accepisse litteras. Quæ nota esset servatæ semper ejus gratiæ amicitieque. Athanasio autem defuncto, posita larva, palam cœpit errores evulgare; ut ausus sit etiam missis ad Diocæsariensem synodum litteris virus hæreseos detegere et publicare. Præter memorata opuscula exstat alia perbrevis oratio contra Apollinarii errores, omisso de more illius nomine, quam antehac ineditam nunc primum publici juris facimus. Itemque fidei confessio haud multum diversa ab ea quam Joviano roganti transmisit Athanasius, insertis solum clausulis adversum Apollinaristas et Pneumatomachos; quæ ab Athanasio sub finem vitæ concinnata jam primum lucem aspicit.

2. *Melanie iter Alexandriam.* — Hoc item anno Alexandriam proficiscitur Melania matrona Romana, et quidem, ut ex Rufini et Palladii testimoniis monstrari videtur, Athanasio superstite; etenim donatam aiunt ab Athanasio ovina pelle, dono ante sibi oblata a Macario abbate: qui Macarius eam a leone in beneficii præmium acceperat et mercedem restituti catulis suis luminum usus.

ANNO 373. — 1. *Mors Athanasii.* — Demum Athanasius cum totos quadraginta sex annos in episcopatu consedisset, et quadragesimum septimum ageret, ætate ac senio confectus, prope octogenerius, promeritum tantis offeisiis, tantis laboribus præmium accepturus, sexto Nonas Maii diem obiit (b). Moriturus successorem sibi designavit Petrum, virum jam plurimis fidei causa una cum

(b) Sozom. lib. x, cap. 19; Theod. lib. iv, cap. 20.

Athanasio susceptis laboribus præclarum, populorumque votis expetitum, dignum scilicet, quæ summa laus, qui Athanasium exciperet.

2. Non una est de anno obitus Athanasii sententia. Ex Socratis enim testimonio, qui cons. Gratiano secundum et Probo defunctum ait, multi nec ignobiles viri mortem ejus conferunt in annum 371 : sed hanc chronologiæ rationem sat firmitatis non habere suadent, cum ea quæ superius dicta sunt, tum aperta antiquiorum et fide digniorum scriptorum testimonia. Basilius namque anno 370 mense Junio, ut firmior fert sententia, in episcopum cooptatus est. Atque exinde multas quæ hactenus exstant misit, multas itidem accepit ab Athanasio litteras. Unde jam videatur angustius temporis intervallum, viris tanto terra marique spatio disjunctis, ad tot epistolas ultro citroque mittendas. Minus enim undecim mensibus ab ordinatione Basilii ad Athanasii obitum interessent. Et quod magis urget, ait Basilius in una epistolarum ad Athanasium, unum duosve ex Arianis Romæ damnatos, scilicet Ursacium et Valentem, in priore scilicet Romana synodo. Ex quo colligitur, necdum secundam sub Damaso Romanam synodum, ubi damnatus Auxentius Arianorum nequissimus fuerat, celebratam fuisse. Unde conficitur eam vel sub finem anni 370, quo delectus Basilius est, vel sequente habitam fuisse. Huic autem synodo diu superstes Athanasius erat, qui illam in epistola ad Epictetum laudat, quique multa alia, ut proxime ostendebamus, secundum eam datam epistolam edidit. Ad hæc, in vivis erat Athanasius anno 372, cum Melania in Ægypto peregrinaretur. Quamobrem Hieronymi et Proterii episcopi Alexandrini et martyris testimoniis hæere præstat. Hieronymus enim ad annum Domini 374, ait Petrum Athanasii sedem excepisse, qui annus est æræ nostræ 373. Proterius vero in epistola *Paschali* sic habet : « In octogesimo nono anno ab Imperio Diocletiani, superstitute patre nostro et episcopo Athanasio, cum XIV luna Paschalis XXVIII die mensis Phaminoth, id est, nono Kalendarum Aprilium die provenisset, die Dominico, in subsequentem translatum est hebdomadem, ita ut quinta die mensis Pharmuthi, hoc est, pridie Kalendarum Aprilium, celebraretur Pascha Dominicum. » Quæ notæ omnes in annum quadrant 373. Hisce aliud

A adjicit argumentum vir eruditus Pagius mutuatum ex historia patriarcharum Coptitarum, Latine versa et evulgata per Abrahamum Eckellensem, ubi dicitur obiisse sanctus patriarcha, septimo Bescinas die Jovis, cujus dies septimus cum die secunda Maii concurrat. Quare cum anno 373 dies secunda Maii in feriam quintam inciderit, in eundem annum optime confertur mors Athanasii.

3. Eo igitur anno ad cœlestem vitam demigravit vir ille tantus, tot laboribus periculisque perfunctus, tot emensis declinandæ vexationis causa terrarum spatiis, tot pro Christi fide ærumnis et calamitatibus affectus, quinque exsul, insidiis semper Arianorum appetitus. Quot annos vitæ, tot fere annos calamitatis enumeres. Annos ferme septem: supra quadragenos sedem tenuit, annos prope totidem hæreticorum impetu, conspirationibus, fraudibus agitatus; qui exsuli necem, reduci exsilium parabant assidue. Non ille minis, non terroribus, non capitalis periculi denuntiationibus fractus unquam fuit, aut cessit adversariis; imperatores quatuor, duces, præfectos exercitus, mala perniciemque sibi parantes vidit: et qua erat animi fortitudine, imperterritus semper, nunquam deflexit a veritatis via. Ad hæc, quantum consilio, quantum dicendi copia valeret, cum ex rebus negotiisque per totum vitæ curriculum quantumvis ardua et periculosa essent, feliciter juxta atque prudenter administratis, tum adversariorum testimonio comprobatur; qui cum tam acris, tam sagaci viro rem esse sibi inique ferentes, haud semel ira feroces in maledicta erupere. Sed ut acer cum hæreticis et novatoribus, ita mitis et modestus cum iis qui, ex imbecillitate lapsi, resipiscerent: in bello pacis studiosissimus, faciles semper aditus præbens ad reconciliandam gratiam, quantum salvo officio poterat: quod ex rebus cum Basilio Ancyrano et Meletio Antiocheno gestis perspicuum. Qui vero fuerit in re domestica et familiari, ne sciamus, vetat omnium antiquorum ea de re silentium, vetat epistolarum ejus jactura. Sed amor populi Alexandrini, fama que sanctitatis apud Ægyptios juxta, et alios externa usque orbis incolentes, omnium genere virtutum præclarum fuisse testificantur: quarum præmium obtinuit, æternumque habiturus est.

## ANIMADVERSIONES

### IN VITAM ET SCRIPTA S. ATHANASII

#### PROOEMIUM.

Novæ nec spernendæ Athanasii operum supelle-

(a) Ea intellige quæ post absolutam editionem Benedictinam publici juris fecit D. Bern. de Montfaucon in *Bibliotheca nova*.

ctili (a) visum est observationes aliquot præmittere, quas per otium et diuturnam tractationem in Vitam

et scripta ejus adornavimus. Etsi enim iis edendis haud indiligentem pro facultate operam dederimus, nonnulla tamen in transcurso agitata, sub hæc δευτέρας φρονίας accuratius excussimus: ex assiduo quippe usu nova in dies afferitur rebus jam tentatis accessio. Alia item intervenit his denuo inanum admovendi causa. Tillemontius quippe in egregio ad historiam ecclesiasticam opere, ut sæpissime nobis astipulatur, ita nonnunquam in gestorum recensione et temporum computo aliam setatur viam et sententiam oppugnat nostram; qui si auspicato rem aggressus esset, nobis uno veri studio permotis, ejus observationibus suffragium addere liberet, ubi quidem liceret. At cum editionem ille nostram vix sesquimensis ante obitum nactus, diuturnoque morbo pressus, cum paulatim vires tum corporis tum animi deficerent, nec res sane perplexas et obscuras ea qua par erat diligentia expendere, nec si quid difficiliter occurreret, aliorum comparatione locorum explanare, nec quod minus accurate positum erat posterioribus curis sarcire potuerit; nonnulla sunt cum in temporum calculo, tum in recensione gestorum, quæ minus assecutus videtur vir eruditus. Qui si tantumdem otii Athanasii scriptis evolvendis insumpsisset, nostris sane accuratiora dedisset, omnibusque numeris absolutam narrationem adornasset.

## ANIMADVERSIO I.

*Num Athanasius a martyribus institutus sit.*

A prima Athanasii adolescentis institutione initium quæstionum ducentes, in litem non ambiguum descendimus. Ex perspicuo namque S. Doct. testimonio, ipsum apud martyres Christianæ disciplinæ tyrocinia posuisse diximus: atque ut spero sic stabit sententia. Tillemontius contra (a), martyres ab Athanasio memoratos, ipsos esse apostolos arbitratur, in quorum libris adolescens Athanasius Christi doctrinam hauserit: hosce magistros et doctores habuisse putat; non autem martyres qui in Maximini carnificina cervices pro Christo dederunt. Ex uno Athanasii loco tota res penditur (b): Ἐξεῖναι μὲν γὰρ, sic ille, διὰ θεολόγων ἀνδρῶν παρὰ Θεοῦ ἐλαλήθησαν καὶ ἐγράφησαν, ἡμεῖς δὲ παρὰ τῶν αὐταῖς ἐντυγχανόντων θεοπνεύστων διδασκάλων, οἳ καὶ μάρτυρες τῆς Χριστοῦ θεότητος γεγόνασι, μαθόντες μεταδίδομεν καὶ τῆ σῆ φιλιομαθείᾳ. — Id est: *Illæ enim (Scripturæ) theologorum hominum ministerio a Deo prolatae et scriptæ sunt: quarum sententiam cum a magistris divino Spiritu afflatis, qui ipsas legerant, quique deitatis Christi martyres affecti sunt didicerimus, eandem tuæ sedulitati tradimus.* Hic sane mireris rem ita planam in controversiam vocari: aperte namque et sine ambege ulla ait, Scripturas quidem sacras de Verbi adventu et de doctrina Christi a theologis viris, scilicet ab apostolis et evangelistis editas fuisse; se vero

A earum mentem a magistris suis, qui martyres Christi fuere, quique eas accurate perlegerant, edidicisse. De quibus item magistris suis initio libri *Contra gentes* hæc testificatur: *Exstant quoque plurimi ea de re a beatis magistris nostris conscripti libri, quos si quis legerit, Scripturam interpretacionem quodammodo intelliget, et eam, quam expetit, cognitionem conæqui poterit. Veruntamen cum magistrorum libros in manibus nunc non habeamus, necesse est ea, quæ ab illis didicimus, tibi patefacere et scribere.* Quia igitur magistrorum libri non aderant, nec forte poterat res aliud in tempus prorogari, acceptam ab illis doctrinam, ut memoria tenebat, his in libris tradidit.

B Magistri vero a quibus institutus Athanasius est, alii ut liquet ab apostolis et evangelistis, ii haud dubie erant, qui Maximino grassante martyrio perfuncti sunt: quibus accensendus Petrus martyr, Alexandrinus præsul, eximius divinusque doctrinæ magister, θεῖον τε χρῆμα διδασκαλίας, ait Eusebius (c), ac studio peritiaque sacrarum litterarum insignis. Et fortasse cum magistros pluraliter memoret Athanasius, una cum Petro subindical Phileam Thumitanum episcopum doctrina conspicuum, qui scripto rem Christianam exornaverat, et post diuturnas in carcere cum Petro moras, cervices dederat. Petro item haud dubie annumerandi sunt, οἱ οὖν αὐτῷ πρεσβύτεροι, presbyteri Alexandrini, Faustus, Dios, Ammonius, qui in illa Maximini carnificina perfuncti martyrio feruntur. Hi doctores et magistri Athanasii.

Ex dictis porro liquet Rufini historiam (d) de puerili usu, quo Athanasius puer paris ætatis infantis ad oram maris, Alexandro episcopo spectante, baptizavit, non posse cum vera putandi ratione consistere. Nam cum Petrus martyr, an. 311, postquam annum egerat in carcere pro Christo necatus sit, Athanasius, qui anno ut tardius 310, sub ejus aliorumve martyrum disciplina, penitioribus Christianæ doctrinæ mysteriis eruditus institutusque fuerit, tunc primam saltem adolescentiam ingressus sit oportet. Qui ergo potuerit sub Alexandro præsule, id est tribus hinc annis elapsis, sive anno ut citius 313, quo cœpit Alexander, puerili hujusmodi lusui vacare, qui tunc novemdecimum ut minus ætatis annum, ex definito a nobis annorum calculo (e), inierat; ex Hermantii autem computo vicesimum tertium?

## ANIMADVERSIO II.

*De titulo in Vitam Antonii, et num Athanasius aliquandiu cum Antonio in solitudine vixerit.*

Præit Prologo ad *Vitam Antonii* titulus hujusmodi (f): *Βλος καὶ πολιτεία τοῦ ἐν ὁσίοις Πατρὸς ἡμῶν Ἀγτωνίου, συγγραφεὶς καὶ ἀποσταλεὶς πρὸς τοὺς ἐν τῇ ξέτῃ μοναχοὺς παρὰ τοῦ ἐν ἀγίοις Πατρὸς ἡμῶν Ἀθανασίου ἐπισκόπου Ἀλεξανδρείας.* Id

(a) *Vie de S. Athanase*, not. 3.

(b) *Ath. De Incarnat.*, p. 77.

(c) *Hist. l. vii, c. 32; l. viii, c. 40, 43; l. ix, c. 6.*

(d) *Lib. 1, cap. 14.*

(e) *In Vita Ath.*, p. 1.

(f) *Athanas.*, p. 631; *Tillemont.*, not. 93.

est: *Vita et conversatio S. P. nostri Antonii, scripta a missaque ad monachos in peregrina regione versantes, a S. P. nostro Athanasio episcopo Alexandriae.* Illis probe Græca exprimuntur, ut nemo non videt. At Bollandus illud, *πρὸς τοὺς ἐν τῇ ξέρῃ μοναχοὺς, ad monachos in Xene degentes*, explicandum putat: ratus Xenem esse monasterium quoddam, aut regionem circa Scethen proxime Ægyptum. Verum ad regionis, non vero monasterii cuiusdam, monachos *Vitam Antonii* missam Athanasius his testificatur: καὶ γὰρ καὶ ὑμῖν λοιπὸν μοναστήρια, καὶ τὸ τῶν μοναχῶν ὄνομα πολιτεύεται: hoc est: *nam apud vos quoque demum monasteria habentur, et monachorum nomen frequentatur*: quod sane non de monasterio quodam, sed de regione vel tractu, intelligere fas est. Ξέρην vero regionem frustra quæras: atque huiusmodi voce peregrinum aliquem tractum indicari, cum res ipsa, tum titulus Evagrii qui, superstite adhuc Athanasio, Latinam Vitæ Antonii versionem concinnavit, comprobatur: sic ille habet: *Athanasius episcopus, ad peregrinos fratres.* Ea item Bollandi sententia aliis mox afferendis Athanasii testimoniis obruitur. Hac quidem in re nobis astipulatur Tillemontius: verum nescio quo permotus adjecerit, non posse se ex Athanasii dictis expiscari, proculne an e vicino sita fuerit regio isthæc: ex Prologi quippe dictis liquet fuisse transmarinam: καὶ ὑμεῖς δὲ μὴ παύσησθε (sic ille) τοὺς ἐνθένδε πλέοντας ἔρωτᾶν, *Ne desinat is homines hinc ad vos navigantes percontari*; id est, ut gesta Antonii ediscatis; et inferius ait se festigantem *Vitam Antonii* describere, quia vertente jam navigandi tempestate tabellarius maturam discessionem pararet, ὁ καιρὸς τῶν πλωτῶν συνέκλειε. Quo sane transmarinam fuisse regionem significatur. Nam ad navigationem Nili adverso flumine peragendam id referre, ut tentavit quidam, ἀπροσδιόνυτον est: siquidem ad superioris Ægypti monachos, in montibus procul degentes, longe expeditior terrestris via erat, ut nemo nescit: et alioquin ad monachos rerum Antonii ignaros hæc *Vita* mittitur, quod de Ægyptiis vel finitimarum regionum monachis, quis somniverit? An auctor est Athanasius Palæstinis et finitimis Ægyptoque vicinis monachis, ut nautas vectoresque ad oras suas appellentes percontentur, quis qualisve fuerit Antonius, qui in media Ægypto ad quintum supra centesimum annum vitam producens, tantam monachorum populariumque frequentiam ex Syria, Palæstina, aliisque Orientis regionibus, ad sui spectaculum evocabat, ut testificantur Athanasius et Hieronymus (a)? An Athanasius ne navigandi tempestas efflueret, et opportunitas elaberetur, festinanter admodum, ut ait ille, *Vitam Antonii* edidisset, si ad Syros vel Palæstinos aliosque vicinos monachos transmittenda erat? Inde nobis exploratum omnino videtur, ad transmarinos et procul versantes monachos missam Antonii *Vitam* ab Athanasio fuisse, et ut conjecta-

(a) In *Vita Hilarionis*.

mus ad Occidentales, quæ tamen non perinde certum. Hæc de titulo in fronte posito.

Jam ad locum Prologi, ubi veterum codicum et editorum lectionem a nobis restitutam respuit Tillemontius (b), et Hoeschilianam pugnacissime defendit. Utque rem ab exordio ducamus: in antiquis omnibus Latinis editis, sub sinem Prologi Athanasii ad *Vitam Antonii* ex versione Evagrii, hæc leguntur: *Ideo ea, quæ et ipse noveram: frequenter enim eum visitavi, et quæ ab eo didici, qui ad præbendam ei aquam non paululum temporis cum eo feci, dilectioni vestræ indicare properavi.* Hæc item lectio in omnibus Latinis exemplaribus manuscriptis, quæ ingenti numero vidi, quorumque non pauca ad hunc locum nominatim indicavi, ipsis verbis habetur: in uno tamen illius loco, *feci*, legitur, *sui*: in altero, *fueram*, eadem prorsus sententia. *Vitam Antonii* Græce prior edidit David Hoeschilius, an. 1611, ex vitiatō exemplari expressam, ut videre licet ab innumeris mendis, quas in editione Athanasii nostra notavimus: ubi nonnunquam hiatus decem duodecimve linearum deprehendimus. Ibi vero sic legitur: *Διὰ τοῦτο ἄπερ αὐτὸς τε γινώσκω, πολλὰκις γὰρ αὐτὸν ἐώρακα, καὶ ἂ μαθεῖν ἠδυνήθην παρὰ τοῦ ἀκολουθήσαντος αὐτῷ χρόνον οὐκ ὀλίγον, καὶ ἐπιχέαντος ὕδωρ κατὰ χεῖρας αὐτοῦ, γράψαι τῇ εὐλαβείᾳ ὑμῶν ἑσπούδασα.* — Id est: *Ideo quæcunque novi, sæpe etenim illum vidi; et quæ ab eo ediscere potui, qui non modico tempore virum secutus est, atque lavanti manus aquam effudi, vestræ pietati rescribere festinavi.* Secundum hanc unam Hoeschiliani editi lectionem, nulla manuscripti Latini auctoritate suadente, Rosweidus in Evagrii versione *fecit*, pro *feci*, reposuit, qua unius litterulæ additione Hoeschilianæ Latinam lectionem coaptavit hoc pacto: *Et quæ ab eo didici, qui ad præbendam ei aquam non paululum temporis cum eo fecit.* Sub hæc dum Athanasii operibus edendis insudamus, et codices diligentissime perquirimus, in quatuor optimæ notæ manuscriptis, lectionem cum Latina veteri quadrantem deprehendimus, quæ sic habet: *Διὰ τοῦτο ἄπερ αὐτὸς τε γινώσκω, καὶ ἂ μαθεῖν ἠδυνήθην παρ' αὐτοῦ ἀκολουθήσας αὐτῷ χρόνον οὐκ ὀλίγον, καὶ ἐπιχέων ὕδωρ κατὰ χεῖρας αὐτοῦ, γράψαι τῇ εὐλαβείᾳ ὑμῶν ἑσπούδασα.* Hoc est: *Ideo quæcunque novi: sæpe etenim illum vidi; et quæ ab eo didici, qui non modico tempore virum secutus sum, atque abluenti manus aquam effudi, vestræ pietati scribere festinavi.* Eandem vero postea lectionem in exemplari Vaticano perantiquo, num. 566, et in codice RR. PP. S. Basilii Romæ paris vetustatis reperi. In quatuor autem aliis exemplaribus fertur Hoeschiliana supra memorata lectio, quibus subjungendum aliud viri docti D. du Poirier Turonensis, sed recens et bombycinum, quod Hoeschiliane item lectioni accinit. Verum quæ hanc postremam præferunt, non mutuo consonant: nam horum omnium vetustissimum Regium sic habet: *παρὰ τῷ*

(b) Not. 4.

ἀκολουθήσαντι αὐτῷ, et reliqua perplexe refert. In qua manuscriptorum varietate quid agendum nobis erat, quam ut tot Græcis, Latinisque omnibus assertam lectionem amplecteremur : ac in Latino exemplari vocem restitueremus, ut erat ante Rosweidum ; cum maxime altera lectio varie feratur, et in novanda sententia ab amanuensibus titubatum esse palam sit ? Nam cum omnes omnino codices Latini, ac editi quoque ante Rosweidum, eandem ipsam lectionem præferant ; hinc sequitur ita legisse Evagrium, qui Athanasio adhuc superstitie Antonii Vitam Latine vertit, atque adeo germanam illam esse Athanasii lectionem, quam item tot Græci codices præferant. Et hæc una nobis ratio erat ad eam restituendam satis.

Nec deerant alia quæ me ad Hæschillianam repudiandam lectionem permoverent : hæc quippe loquendi ratio, καὶ ἃ μαθεῖν ἡδυνήθην παρὰ τοῦ ἀκολουθήσαντος αὐτῷ χρόνον οὐκ ὀλίγον · et quæ ab eo ediscere potui, qui non modico tempore virum secutus est, etc., insolens prorsus cum Athanasio tum aliis scriptoribus est ; et vero potius diceret παρά τινος ἀδελφοῦ vel παρά τινος μοναχοῦ, nec indefinite παρὰ τοῦ ἀκολουθήσαντος, præter assuetum morem enuntiasset. Ad hæc vero quæ sequuntur, καὶ ἐπιχέαντος ὕδωρ κατὰ χεῖρας αὐτοῦ · et qui abluenti manus aquam effudit, ab re prorsus afferantur : nam quid inde ad conciliandam narrati fidem, quod æquam abluenti manus ministraverit ? De ipso autem Athanasio dictum apprime quadrat, ἀκολουθήσας αὐτῷ χρόνον οὐκ ὀλίγον, καὶ ἐπιχέων ὕδωρ κατὰ χεῖρας αὐτοῦ. Quæ postrema verba, ex libro IV Reg., III, II, expressa videntur, ubi de Elisæo dicitur, ὃς ἐπέχεεν ὕδωρ ἐπὶ χεῖρας Ἡλιοῦ · qui Elisæi manibus aquam effundebat ; nimirum id honori sibi ducit Athanasius, quod perinde atque Elisæus Elisæ, ipse Antonio aquam lavanti manus ministraverit. Aliud, quod libem dirimat, affero, sed iis solis qui Græcorum exemplarium sint usui assuefacti : mecum enim fatebuntur in utramvis lectionem cadat vitium, id ex mutatione παρ' αὐτοῦ in παρὰ τοῦ, aut παρὰ τοῦ in παρ' αὐτοῦ invecutum esse ; nam ea frequentissime mutatio in manuscriptis Græcis occurrit. Si facta mutatio fuerit ex παρ' αὐτοῦ in παρὰ τοῦ, quod nos volumus (a) ; cum jam non quadraret sententia, nimirum παρὰ τοῦ ἀκολουθήσας αὐτῷ χρόνον οὐκ ὀλίγον, καὶ ἐπιχέων, librarii, ut consonarent omnia, ἀκολουθήσας in ἀκολουθήσαντος, et ἐπιχέων in ἐπιχέαντος, commutarunt, et sic totam dicti sententiam vitiarunt, ut nos contendimus ; sin ex παρὰ τοῦ vitio librariorum παρ' αὐτοῦ scriptum fuerit, non necesse erat, nec in mentem illis venisset, mutare genitivum in nominativum, et sensum invertere, hoc modo, καὶ ἃ μαθεῖν ἡδυνήθην παρ' αὐτοῦ ἀκολουθήσας αὐτῷ χρόνον οὐκ ὀλίγον, καὶ ἐπιχέων ὕδωρ ἐπὶ χεῖρας αὐτοῦ. Quin facta illa in παρ' αὐτοῦ mutatione, expeditum erat regimine et

A sensu intemeratis vitium sarcære additione τοῦ, hoc modo, καὶ ἃ μαθεῖν ἡδυνήθην παρ' αὐτοῦ τοῦ ἀκολουθήσαντος, etc. Hinc sane videbunt Græcorum exemplarium peritiores mutationem in solam Hæschillianam lectionem cadere potuisse. Quanquam hæc supervacanea forte videantur, quando alteram lectionem vere Athanasii esse sat comprobatur superius est.

Res itaque nostra auctoritate exemplarium, ac veræ seriei ratione asseritur. Argumenta vero quæ Tillemontius ad Hæschillianæ lectionis partes tutandas assertit, levissima sane, imo potius nulla sunt. Ait igitur ille, χρόνον οὐκ ὀλίγον aliquot annorum spatium subindicare : neque potuisse Athanasium in juventute aliquot annos in solitudine commemorari, qui a puero, Alexandri Alexandrini præsulis jussu, prædagogorum disciplinæ traditus sit, teste Rufino, ac deinde ipsi semper hæserit. Diceret his perfectis nos Athanasii in juventute gesta annuatim scripto consignata tenere ; ut non possit quis vel paulum temporis indicare, quo ubi vel penes quem egerit ignoretur. At vel paucissima vel fere nulla habemus, et si qua minutissima traduntur, ea sane plerumque vacillant incertaque sunt : maxime vero Rufini locus ille (b), quo nititur Tillemontius ; is enim post enarratum commentitium illum Athanasii pueros baptizantis ludum, ita pergit : Athanasium vero atque eos, quos ludus ille vel presbyteros habere visus fuerat, vel ministros, convocatis parentibus, sub Dei obtestatione tradidit Ecclesiæ suæ nutriendos. Parvo autem tempore, cum a notario integre et a grammatico sufficienter Athanasius fuisset instructus, continuo tanquam fidele Domini commendatum, a parentibus restituitur sacerdoti, ac velut Samuel quidam in templo Domini utitur, et ab eo pergente ad patres in senectute bona, ad portandum post se ephod sacerdotale deligitur. Tillemontius, inquam, qui Rufino puerilem huiusmodi ludum narranti fidem derogat, ab appendicula illa ne latum unguem deflectere vult. Mirum non advertisse hominem plane consideratum, non minus appendiculam illam, quam ipsam puerilis ludii historiam, cum sua computandi ratione pugnare : ideo namque ludum puerilem repudiat, quia hæc ut citius anno 313, sive Alexandri episcopatus primo, agi potuere, quo ex Hermantii calculo vicesimum tertium ætatis annum agebat Athanasius ; ex nostro autem, quem non improbat Tillemontius, saltem decimum nonum : an minus repugnat, ut tunc primum grammatico traditus fuerit, quam ut pueriliter luserit ; cum maxime jam ante aliquot annos Athanasius ab iis qui postea martyres fuere, altioribus Christianæ theologiæ disciplinis institutus fuerit, ut superius comprobatum est ? An Rufinus, sublestæ fidei homo, semperque rumori serviens, fide dignior in appendicula, quam in historia ? Adde etiamsi Rufini narrationi fides haberetur, cum rem ille compendio et paucissimis efferat, non abs re posse aliqua

(a) Vide Ath. edit. ad not. p. 552 et 616.

(b) Lib. I, cap. 14.

exceptionem cogitari et admitti, quam tanta brevitatis non exprimat: quod nemo sane inficias eat. Cum igitur ignoremus quem in juventute vitæ cursum tenuerit Athanasius, nihil repugnat, quominus paucos adolescens annos cum Antonio egerit. Nec concedam tamen illud, χρόνον οὐκ ὀλίγον, non parum temporis, hic necessario annos indicare: si qua enim conjectura de temporis spatio hic duci valeat, ea ex serie narrationis petatur oportet. Ait autem ille: *Ideo quæcunque novi: sæpe etenim illum vidi: et quæ ab eo ediscere potui, qui non modico tempore virum secutus sum, atque abluenti manus aquam effudi, vestræ pietati rescribere festinavi.* Tantum ergo temporis hic intelligere par est, quantum necesse fuit, ut in familiaribus colloquiis multa ad Antonii vitam spectantia, ipsius Antonii ore ediceret. Quot et quanta vero in quotidianis confabulationibus unius anni, imo etiam sex mensium, spatio audire potuit? Ne multa, sive annos sive menses dicas, æque nobis expedita manet ad objecta diluenda ratio. Hic porro notes velim Athanasium, cum ait, *Et quæ ab eo ediscere potui, ἡδυνήθην, qui non parum temporis virum secutus sum,* subindicare Antonium, ut solent pii ac modesti homines, ægre gesta commemorasse sua: quod etiam lectionem confirmat nostram, si tamen confirmatione opus ad rem tot codicum et editorum auctoritate fultam.

Aliud opponit ille, scilicet, si Athanasius non parum temporis cum Antonio egisset, annon id ipsum in decursu vitæ ejus narratūrus erat? Verum ad manum est quod huic regeatur: Si Athanasius sæpe Antonium inviserit, ut omnes codices editique in Prologo ferunt, annon vel semel in decursu vitæ ipsius se Antonium adisse commemorasset? At neutrum præstitit, quia ipsi fuit utrumque in exordio indicare satis. Par ultro citroque ratio est, et quæ ipsi causa frequentes aditus silendi fuit, eadem commemorationem cum Antonio tacere suavit. Nimium urgente tabellario quærebat compendium, ut in exordio ipse profiteretur. Et alioquin ea est modestia Athanasius, ut semper a sui commemoratione declinet, quantum nempe licitum est.

Pergit Tillemontius: Si Athanasius non parum temporis cum Antonio mansisset, an diceret ulterius ad majorem sibi conciliandam fidem, se frequenter Antonium vidisse? Hic fateor me non capere argumenti vim et efficaciam: quotidiani ac plebei usus est dicere: Probe novi talem hominem, utpote quem frequens inviserim, et quicum non parum temporis aliquando moratus sim. Hujusmodi vero objecta, unam præ se ferunt præjudicatam opinionem; siquidem Athanasii lectio, quam tuemur, omnino quadrat: *Ideo quæcunque novi: sæpe etenim illum vidi; et quæ ab eo ediscere potui, qui non modico tempore virum secutus sum, atque abluenti manus aquam ministravi:* id est: Ea quorum ocula-

tus testis fui, qui frequenter hominem inveni; itemque illa, quæ in familiaribus colloquiis per omnium solitudinis ab eo edidici, hic narraturus sum. Argumenta igitur isthæc ne minime quidem officiant veræ assertæque a nobis lectioni.

Ad hæc Athanasium ascetam fuisse, Ægyptiorum centum præsulum testimonio asseritur, qui in synodo Alexandrina anno 340, Athanasium ἕνα τῶν ἀσκητῶν fuisse narrant, et in electione ejus sic acclamatum esse ab Alexandrina plebe dicunt (a): Πάντα δὲ τὰ βέλτιστα, σπουδαῖον, εὐλαβῆ, χριστιανόν, ἕνα τῶν ἀσκητῶν, ἀληθῶς ἐπίσκοπον ὀνομάζοντες. Sed optima quæque prædicantes, probum, pium, Christianum, ex ascetis unum, ac verum episcopum nuncupabant. Itaque Athanasium aliquandiu asceticam vitam egisse conspicuum est, idque, ut ex restituto loco palam est, sub Antonii disciplina: nam alter locus alterum confirmat et defendit. At obviatur Tillemontius, et penes se domi Athanasium asceticam egisse vitam pugnat. Verum ubinam? an apud grammaticum? an apud notarium? an cum Alexandro episcopo regendæ Alexandrinæ Ecclesiæ minister adesset? nam, uti supra diximus, ita juventutis ejus spatia his circumscribi, nemine auctore, contendit ille, ut alio concessisse non patiatur. Sed ex Athanasio quid ascetæ et ascetice vitæ nomine intelligatur excutiendum. Antequam Antonius in interiorum eremum concederet, ascetæ et monachi, si qui in Ægypto erant, haud procul vico suo in secessu degebant et asceticam vitam agebant: ἕκαστος δὲ τῶν βουλομένων ἑαυτῷ προσέχειν, οὐ μακρὰν τῆς ἰδίας κώμης καταμόνας ἔσχετο. Sicque Antonius ipse a principio, ad asceticæ vitæ perfectionem contendebat; idque anno Christi circiter 274, cum is vicesimum ageret annum, natus anno 254. Multis postea laboribus exercitatus anno Christi 305, ætatis 55, monasteria plurima in montibus et in remotis solitudinibus excitavit, multosque ad asceticæ vitæ amorem inflammavit (b), quibus omnibus quasi pater ipse præerat, καὶ πάντων αὐτῶν ὡς πατὴρ καθηγεῖτο. Hinc frequenter ille ascetas et monachos, nam utroque nomine alternatim compellat, ad solitarii instituti perfectionem provocat, asceticamque vitam eam quæ in solitudine et in monasteriis agitur nuncupat, nec aliam agnoscit, ut frequentibus in locis videas. In montibus itaque et in solitudinibus nihil aliud videbatur, quam multitudo ascetarum, ἀλλὰ πλῆθος μὲν ἀσκητῶν. Sub hæc autem, Maximino grassante, cum Antonius martyrii cupidus (c), sese judici obtulisset, providente Domino servatus est. *Ἰνα ἐν τῇ ἀσκήσει, ἢ ἐκ τῶν Γραφῶν αὐτὸς μεμάθηκε, πολλοῖς διδάσκαλος αὐτὸς γένηται καὶ γῆρ καὶ μόνον βλέποντες αὐτοῦ τὴν ἀρωγῆν, πολλοὶ τῆς πολιτείας αὐτοῦ σπουδάσαντο ζηλωταὶ γενέσθαι. Ut asceticæ vitæ, quam ex Scripturis ipse didicerat, permul-*

(a) P. 102.

(b) P. 644.

(c) P. 662.

magister foret. Enimvero multi, perspecto ejus vitæ instituto, imitari illum studuere. In quorum numero haud dubie Athanasius censendus, qui post Maximi carnificinam asceticum institutum, Antonio magistro, in solitudine iniiit, et quidem cum aliis multis: nam id manifeste indicant hæc verba, Ἐν τῶν ἀσκητῶν, unum ascetarum, eorum scilicet qui cum Antonio simul agebant in solitudine. Hic querendi ascetæ, non autem in domo notarii, aut grammatici aut Alexandrini antistitis; sed in multitudine eorum quos modo ἀσκητὰς, modo συνασκητὰς nuncupat Athanasius (a), quia simul versabantur. Ubi notes velim ex ascetis alios, qui monachali instituto se penitus dederant, monachos item fuisse vocatos; alios autem qui exercitationis causa ad certum temporis spatium in solitudine degebant, ascetas solum dictos esse: e quorum numero Athanasius; ut innuit idem in Vita Antonii de Amone monacho loquens (b): Ἦν δὲ οὗτος ἕως γῆρου ἀσκητῆς διαμῆναις. Is autem ad senectutem usque in ascetæ statu perseveravit; quo subindicare videtur alios fuisse, qui ad tempus solum ascetarum institutum colebant, quod Athanasium fecisse putandum.

## ANIMADVERSIO III.

*Libri Contra gentes et De incarnatione quo tempore scripti.*

Librum *Contra gentes* et subsequentem *De incarnatione* in fronte operum Athanasii positos, eodem tempore scriptos, unumque esse in partes duas distributum opus, ipse rerum ordo, ipsumque posterioris libri exordium aperte significat: neque ulla movetur hac de re disceptatio. Dudum, et, ut videtur, ab ipso Athanasii ævo obtinuit, ut inter Athanasii opera hi duo libri primas tenerent. Hieronymus quippe in recensione sua libros duos *Contra gentes* primos enumerat, similiter et Photius in *Bibliotheca*: in omnibusque prorsus antiquis exemplaribus iidem libri agnoscuntur: quos ideo in fronte locatos arbitramur, quia primi omnium scripti fuerant. Nec desunt alia, et quidem gravia, ad eam tuendam sententiam opportuna: nam in secundo libro, cui *De incarnatione* titulus, ubi contra gentes, Judæos et plerosque hæreticorum, qui Christi deitatem negarent, pro viribus depugnat ille; ne verbum quidem comparet, quod vel Ariam hæresim jam suportam indicet, vel pugnas oleat cum Arianis initas; licet posterioris libri argumentum et materies eo scriptorem velut e re nata deduceret. At enim si jam Arianicæ exortæ turbæ visissent, etiamsi de industria Arianum nomen tacere voluisset Athanasius, quod haud verisimile, aliqua tamen in longissimo opere, temerata ab Arianis verbi Dei doctrinæ signa superessent. Agitur enim deitas Christi, quam Athanasius contra omnes quotquot emergerant hostes, acerrime propugnat, Græcos, Judæos, Valentinianos, Manichæos aliosque

hæreticos: quod si Ariana hæresis, ipsis infestissima, signa adversum canere cœpisset, putasne S. doctorem rem silentio fuisse prætermisurum? Id certe vix in animum inducas; si perpenderis eum, quavis minima data occasione, etiam cum aliud agitur, lucifugas illos insectari ac proterere.

Verum his non obtemperat Tillemontius (c), qui suam tamen sic offert sententiam, ut ignores plusne sibi quam nobis adversetur. Hoc opus, ait ille, edidit Athanasius, rogante quodam Mucario Christiano, cui librum nuncupat. Libros autem Patrum cum penes se non habere testificetur, subindicat fortasse se, dum pulsus et vexatus lateret, opus hujusmodi in lucem dedisse. Arbitrantur Benedictini ante annum 319 hæc publicata fuisse; quia nihil ibi contra Arianos: quos tamen confutandi eadem ratio et occasio aderat, quæ ad alias hæreses propulsandas Athanasium perpulit. At maturius fortasse quam cetera ferret, opus hujusmodi facium putabat: ignoret quid causæ esset, cur se libris tunc carere dixerit. Attamen cum hæc florido stylo narraverit, in primos ætatis annos opportunius conjiciantur. Sane vero videtur modicam tum Romanarum rerum notitiam habuisse, atque priusquam Romam adisset, hæc scripsisse. Sed postquam ita clausit, ut in partem nostram propendere videatur, dictorum fortassis immemor, in Notis suis; anno 346 edium opus fuisse probabiliter existimat. Non igitur prius quam Romam vidisset hunc librum edidit: nam auctore Tillemontio (d) Romam primo adiit anno 339, etsi biennio maturius eam migrationem ponat, ut infra comprobatur. Qui ergo dubitare potuit, num mos Romani senatus, quo defunctos imperatores in deorum numero consignabat, tum exolevisset, qui jam aliquot annos Romæ consederat? Ad hæc vero anno 346, Ariani totum per orbem errores late sparserant, ingentique tumultu Catholicos oppugnabant; hic maxime error deitatem Verbi tum impetebat: quis vero putat Athanasium deitatis Christi hostes aggressum, hos deterrimos omnium intactos præterisse?

At junior videtur fuisse, pergit ille, ut ante annum 319 hoc opus emitteret. Verum cum anno 318 vicesimum quartum saltem ex computo nostro, vicesimum vero nonum, ex Hermantii calculo, annum ageret, annon suscipiendæ rei par et maturus videatur, cum maxime annis hinc septem elapsis ad supremum rerum apicem evectus sit, in Alexandrinum archiepiscopum cooptatus? Quot vidimus parvis aut minoris ætatis eximia protulisse? Huc accedit quod in hisce libris non suam ille, sed magistrorum doctrinam efferre se profiteatur; ita ut inopiam librorum, recentis disciplinarum memoria sarciret: et alioquin, ipso faente Tillemontio, hæc floridior, quam Athanasius solet, stylo conscripta, in primos ætatis annos opportu-

(a) P. 669.

(b) P. 672.

(c) *Vie de S. Athanase*, art. 118.

(d) Not. 110.

nus conferantur. Quod ait vero, tunc verosimiliter Athanasium, pulsatum nempe vexatumque, in latebris egisse, utpote qui magistrorum libros ad manum non haberet, id sane nibili est. At enim de annis adolescententis Athanasii traditur fere nihil. Quid igitur de statu, de conditione, de loco attingi valeat? Quis sciat in agrone, in deserto, in urbe hæc scripserit? vel an Alexandriæ degens, cum facta perquisitione libros nancisci posset, quod ea quæ scripturus erat probe teneret, accersere nihil curaverit? Certe hac ex re notam temporis eruere, idipsum est, quod nodum in scirpo quærere.

Nannii versionem secutus Tillemontius ait (a), libros *Contra gentes* Macario cuidam nuncupatos esse. Verum hallucinatur Nannius dum illud, ὁ μακάριε, o *Macari*, vertit: nam initio secundi libri hoc compellendi modo utitur Athanasius, ὁ μακάριε, καὶ φιλόχριστε, et subinde inter orandum, modo μακάριε, modo φιλόχριστε dicit: quare planum videtur non magis μακάριε, quam φιλόχριστε, nomen proprium esse. Athanasius ergo vel ejus ad quem scribit, nomen consulto tacens, sic eum in genere compellat; vel, ut verosimilius, cuius Christi amanti, ac proinde beato, sermonem nuncupat.

#### ANIMADVERSIO IV.

*Quæ sit Θεὰ Νεωτέρα ab Athanasio memorata.*

In libro *Contra gentes* (b) varia Græcorum Ægyptiorumque numina recensens Athanasius, feminas in Ægypto deas deridet et traducit, in quibus erant, Ἴσις, Κόρη, καὶ Νεωτέρα, *Isis, Proserpina, et Neotera*, sive dea junior. Hanc porro νεωτέραν nusquam memoratam me reperisse memini: nec nisi in numismatibus Cleopatæ ea vox occurrit usquam mihi. Nummus quippe M. Antonii exstat in cimeliarchio regio, in cujus antica caput Antonii cum hæc circum inscriptione: Αὐτοκράτωρ. Θεὰ νεωτέρα, id est: *Imperator. Dea nova*, sive dea junior. Illud autem, *Dea nova*, Cleopatram spectat, cujus caput in altera nummi facie cnsunt est (c). Plutarchus in *Antonio* ait, ipsum Antonium, novum Bacchum in Ægypto dictum fuisse; de Cleopatra vero talia satur: Στολήν ἐτέραν ἱερὰν Ἰσιδος ἐλάβανε, καὶ νέα Ἴσις ἐχρημάτιζε. *Stolam alteram sacram Isidis sumebat, et nova Isis vocabatur*, ubi interpret male, *stolam Isidis sacram sumebat, atque novæ Isidis nomine responsa dabat*. Cultum porro novæ deæ, et ejusdem farinae deorum, ad ævum usque suum perseverasse, testis est ibidem Athanasius (d). Hæc autem nova Isis, sive νεωτέρα vocabatur ad discrimen veteris Isidis. Duas quippe Isides agnoscabant Ægyptii: veterem alteram, quam pro luna colebant; alteram novam, eandem scilicet quam lo Græci nuncupa-

(a) *Vie de S. Athanase*, art. 118.

(b) P. 8.

abant, quæ postrema, jure nova Isis et Neotera dicebatur.

#### ANIMADVERSIO V.

*De rebus Arianismi exortum et condemnationem spectantibus.*

Vi morbi, ut arbitror, interceptus Tillemontius, Acta depositionis Arii et sociorum, ut nos primum edidimus, secus intellexisse videtur: resque nonnullas planas et apertas, ut mea quidem fert opinio, miscuit ipse vel præpostere narravit. Quia vero in prima Arii condemnatione rerum notitiam ordinemque haurire licet, neque ulla exstant monumenta his certiora, utpote ab Alexandro Alexandrinæ synodi præside confecta; ea hic præmittere visum, ut valeat lector de rerum conditione et tempore in utram visum fuerit partem ferre iudicium. In exemplari igitur Regio 9284, sæculi x circiter, inter Athanasii opera exstat hoc ordine condemnatio et depositio Arii et sociorum, quam nos tom. I, p. 396 (313 ed. Venet.) edidimus Græce, et Latine sic vertimus:

DEPOSITIO ARII ET SOCIORUM AB ALEXANDRO ALEXANDRIÆ ARCHIEPISCOPO.

*Alexander, presbyteris diaconisque Alexandriæ et Mareotæ, præsens præsentibus, dilectis in Domino fratribus, salutem. Licet jam subscripseritis litteris meis ad Arium suosque missis, quibus hortabar illos, ut, abnegata impietate, sanæ et catholicæ fidei obtemperarent; eaque in re rectum propositum vestrum, necnon Ecclesiæ catholicæ circa dogmata consonantiam, palam feceritis: attamen quia omnibus etiam ubique terrarum comministris, quæ Arium sociosque ejus spectant litteris significavi; necesse duxi, vos urbis clericos convocare, vos item Mareoticos accessere: præsertim cum ex vobis Chares et Pistus presbyteri; Sarapion, Parammon, Zosimus et Irenæus diaconi, ad Arii partes transierint, atque voluerint deponi cum illis; ut nota sint vobis que nunc scripta sunt: utque vestram in hisce concordiam declaretis, ac depositioni Arii et sociorum, Pisti item et sociorum suffragium addatis vestrum. Par quippe est comperta vobis esse quæ a me conscripta sunt, eaque singulos, quasi quisque vestrum scripsisset, corde completi.*

His statim subjicitur condemnatio et depositio illa, sive epistola synouica, hoc ritu:

HARRISSIMIS HONORATISSIMISQUE UBIQUE TERRARUM ECCLESIE CATHOLICÆ COMMINISTRIS, ALEXANDER, IN DOMINO SALUTEM.

*Cum unum sit Ecclesiæ catholicæ corpus, etc.* Hinc Eusebium Nicomediensem exagitat quod relicto Berytensi Nicomediensem episcopatum invaserit, quodque suscepto Arianorum patrocinio, commendatitias in eorum gratiam litteras ubique terrarum transmittat. Deinde submittit: *Ecclesiæ autem desertores hi sunt, Arius, Achilles, Aitalles,*

(c) Vaillant., *De numismatibus Cleopatæ*, p. 189 (d) P. 7 et 8.



Carpones, Arius alter, Sarmates, olim presbyteri, A Enim presbyteri, et quatuor diaconi Arianis nomen  
 Euzoius, Lucius, Julius, Menas, Helladius, et Ga-  
 rius, olim diaconi, ac cum ipsis Secundus et Theo-  
 nos, olim episcopi nuncupati. Verba autem ab illis  
 adinventata, ac præter Scripturarum mentem prolata,  
 hæc sunt: Non semper Deus Pater fuit. . . . .  
 Sciscitante quodam, num perinde mutari posset Dei  
 Verbum atque diabolus mutatus est; non veriti sunt  
 illi respondere: Sane potest: nam, utpote factum et  
 creatum, mutabilis est naturæ. Hæc Arianos loquen-  
 tes, hæc impudentissime affirmantes, nos cum episco-  
 pis Ægypti et Libyarum prope centum, in unum  
 coacti, cum illis, tum eos qui ipsos secuti sunt, ana-  
 themate percussimus. At Eusebius et socii admiserunt  
 illos. Deinde vero, confutatis Arii et sectatorum  
 erroribus, sic clausit epistolam Alexander: Cum  
 itaque Dominus et Salvator noster Jesus Christus per  
 se ipse ita præceperit, et per Apostolum res nobis  
 huiusmodi significaverit; jure nos qui impietatem  
 illorum ipsi coram audivimus, homines, uti supra  
 dictum est, anathemate damnavimus, ipsosque a ca-  
 tholica Ecclesia et fide alienos declaravimus; rem-  
 que, charissimi et honoratissimi comministri, vestræ  
 religioni indicavimus; ut ne quospiam ex illis, si  
 petulanter vos adire ausi fuerint, recipiatis: neve  
 Eusebio, vel alii cuiquam de illis ad vos scribenti fi-  
 dem habeatis. Nos enim, utpote Christianos, decet  
 omnes qui contra Christum loquuntur aut sentiunt,  
 velut Dei hostes animarumque corruptores adversari,  
 ac ne quidem Ave illis dicere: ne quando scelerum  
 ipsorum participes simus, ut præcipit B. Joannes.  
 Salutate fratres qui vobiscum sunt, vos qui mecum  
 sunt salutant Alexandriæ presbyteri. Colluthus  
 presbyter hæc scriptis suffragor, necnon deposi-  
 tioni Arii, eorumque qui ejus impietatis sectatores  
 sunt. Et ita deinceps feruntur subscriptiones pre-  
 sbyterorum et diaconorum Alexandriæ et Mareotæ.  
 Hæc necesse fuit in medium proferre, quia in om-  
 nibus pene, quæ de Arianismi exortu et condemna-  
 tione hic gesta feruntur, a Tillemontio dissentimus.  
 Ex his vero Alexandri litteris eam rerum gesto-  
 rumque seriem fuisse asseritur, quam nos in Vita  
 Athanasii texuimus, nimirum, ut animadvertit  
 Alexander, malum manare in dies latius, ne ulterius  
 grassaretur, hortatorias litteras dedit ad Arium et  
 socios, quo illos ad sanam mentem reduceret: ut-  
 que dictis adderet fidem, Alexandrini et Mareotici  
 cleri suffragiis munitas ad Arium asseciasque mit-  
 tit. Cum autem Arius et assecleæ, feroces cupidine  
 cœpti perficiendi eas nihili facerent, nec minus  
 persistenter in pristina impietate; Alexander, cum  
 nulla spes superesset reconciliandæ pacis, coactis  
 ex Ægypto, Libya et Pentapoli episcopis prope  
 centum, Arii et sociorum causam agitavit: queis  
 pertinacius cœpta tuentibus, synodus adversus illos  
 sententiam dixit. Arius hinc multo ardentior propa-  
 gandæ hæresis studio, assecles confirmare, no-  
 vos sibi in dies sua suorumque opera adsciscere sat-  
 agebat. Tum ingens fuit in Marcote defectio: tres

enim presbyteri, et quatuor diaconi Arianis nomen  
 dedere. Alexander vero, qui damnatis a synodo se-  
 ctæ principibus, fractam hæresim et compressam  
 fore sperabat, cæterarum regionum episcopis latere  
 cupiebat res in Ægypto gestas, ut ne vulgatus error  
 latius serperet. Ut autem videt ingravescere in dies  
 intestinum malum, nec externis hostibus minus  
 quam domesticis Alexandrinam Ecclesiam laborare,  
 litteras omnibus per orbem episcopis dedit, quales  
 superius attulimus, ac clerici Alexandrini munitas  
 suffragiis, quo Arianorum damnationem pervulga-  
 ret, undequaque misit. Hanc gestorum seriem per-  
 spicue in allatis litteris offerri nemo non fateatur.  
 Verum Tillemontius ex earumdem, ut putat, litte-  
 rarum auctoritate, longe aliam narrandi viam ag-  
 greditur. Primo enim, contra fidem manusciporum  
 et editorum omnium, subscriptiones illas clerici  
 Alexandrini et Mareotici, quæ litteris Alexandri syn-  
 odalibus, damnationem Arii et sociorum ferentibus,  
 subjiciuntur; non ad eas litteras, sed ad hor-  
 tatorias initio memoratas pertinere contendit. At  
 qui hortandi modus isthic esset, si ii, qui hortato-  
 riis subscribunt, sententiam depositionis et damna-  
 tionis ferant in eos, quos ad pacem et reconciliatio-  
 nem evocant? Siccine hortarentur presbyteri et  
 diaconi: Colluthus presbyter hæc scriptis suffragor,  
 necnon depositioni Arii, eorumque qui ejus impietatis  
 sectatores sunt? Miror plane Tillemontium fidem  
 omnibus exemplaribus et manuscriptis derogare,  
 ut rem prorsus incredibilem statuatur et defendat.  
 At enim ut exemplaria editique libri ferunt, ac na-  
 tivus rerum ordo postulat, hortabatur Alexander  
 Arium, ut resipiscentia sua damnationem præver-  
 teret et declinaret: ac postquam huic sarciendo malo  
 nihil hortatio profuerat, demum ad extrema et ad  
 damnationem ventum est.

Quo sua sibi constet ratio Tillemontius, binas  
 Alexandriæ datas ab Alexandro episcopo Arii et  
 sociorum damnationes comminiscitur, primam vide-  
 licet illam, quam ipse sibi, nemine auctore, conflavit,  
 nempe hortatoriam damnationem, ad quam perti-  
 nent, ut ait, subscriptiones, quæ secundæ subjiciun-  
 tur; secundam vero vult illam esse, quæ etiam-  
 num superest, hoc principio, *Cum unum sit Ecclesie  
 corpus*, etc., cui perperam adjunctas subscriptiones  
 arbitratur. Eam vero nullis testatam auctoribus opi-  
 nionem his argumentis ille tuetur. In epistola, inquit  
 ille, quam præsens præsentibus, ut supra, dedit Ale-  
 xander; alios memorat, qui secundum priores illos  
 Arianos, ad Arium defecerant, nempe Charem,  
 Pistum, etc., hortaturque postea eosdem, ut non  
 modo Arii et sociorum, sed etiam Pisti et sociorum  
 depositioni subscribant: verum neque Pisti neque  
 sociorum ulla mentio in epistola encyclica quæ  
 superest, unde inferas subscriptiones adjunctas non  
 ad eam epistolam pertinere, sed ad aliam, quæ in-  
 terierit, quæque hortando diris devovebat Arianos.  
 Egritudinis scilicet angustia pressus, hæc in trans-  
 cursu legerat vir eruditus, neque animadverterat non

modo Arium et sequaces illos priores; sed etiam eos qui post defecerant, clare ab Alexandro memorari. Nam ubi diserte nominavit Arium, Achillem, Aithalem, et reliquos qui priores hæresin professi fuerant, atque in ipsa centum episcoporum synodo impietates impudenter extulerant, hæc subiungit: Ταῦτα λέγοντας τοὺς περὶ Ἀρείου, καὶ ἐπὶ τούτοις ἀναίσχυντοῦντας, αὐτοὺς τε καὶ τοὺς συνακολουθήσαντας αὐτοῖς, ἡμεῖς μὲν μετὰ τῶν κατ' Αἴγυπτον καὶ τὰς Λιβύας ἐπισκόπων, ἔγγυς ἑκατὸν ὄντων, συνελθόντες ἀνεθεματίσαμεν. Id est: *Hæc dicentes Arium et socios, hæc impudentissime affirmantes, nos cum episcopis Ægypti et Libyarum prope centum, cum illos, tum eos qui ipsos secuti sunt anathemate percussimus*: ubi vides clare distingui priores illos Arianos impietatem in ipsa synodo professos, ab iis qui postea sese ipsis adiunxerant, αὐτοὺς τε καὶ τοὺς συνακολουθήσαντας αὐτοῖς. In epistola vero Alexandri superius allata, quæ sic habet, *præsens præsentibus*, utriusque defectionis primipilares cum sequacibus indicantur his verbis, καὶ τῇ καθαιρέσει τῶν περὶ τὸν Ἀρείου, καὶ τῶν περὶ τὸν Πιστὸν σύμφηφοι γένησθε, ac depositioni Arij sociorumque, et Pisti sociorumque, suffragium addatis vestrum. Quibus respondent illa Alexandri dicta: *cum illos*, scilicet Arium et socios; *tum eos qui ipsos secuti sunt*, videlicet Pistum et socios. Nam ut Arius primæ defectionis signifer erat, sic Pistus secundæ: neque necessarium fuit ut nomina eorum qui secundo defecerant in epistola encyclica subijuncta repeterentur.

Hæc de prima eaque hortatoria damnatione, quam Tillemontius manente adhuc Alexandriæ Ario datam autumat. Secundam vero Arij depositionem et damnationem post secessum Arij ad Eusebium Nicomediensem, et post datas ab Eusebio in gratiam Arij et gregalium litteras, prolatam opinatur: eam scilicet quæ superest, cuiusque partem supra retulimus. Nam, ait ille, cum ratione pugnare videtur, Eusebium, qui tam aspere in epistola encyclica exagitur, secundum eam datam epistolam ad Alexandrum pro Arianis scripsisse: quare post priorem condemnationem in hortatoria, quæ periit, epistola expressam, ubi nulla Eusebii mentio erat, epistolas ipsi pro Arianis scripserit necesse est. Hæc ille, non animadvertens se, non modo cum epistola Alexandri ad clerum, et cum epistola encyclica; sed etiam ecclesiasticæ historiæ scriptoribus pugnare. Socrates enim l. 1, c. 6, hæc post allatam Alexandri epistolam enarrat: *Hujusmodi litteris ad omnes episcopos per singulas urbes ab Alexandro datis, malum in deterius profecit, cum ii, qui litteras acceperant, ad contentionem excitarentur. Et alii quidem litteris consentientes, iisdem etiam subscripserunt: alii vero contrarium fecere. Sed maxime omnium Eusebius Nicomediensis episcopus ad dissentiendum impulsus est, eo quod Alexander in suis litteris nominatim ipsum perstrinxisset. Porro tunc temporis Eusebius plurimum poterat, propterea quod imperator Nicomediæ debebat: illic enim paulo ante Diocletianus pu-*

latium edificaverat. Hunc igitur ob causam multi episcopi Eusebio obsequebantur: at ille frequentes litteras mittebat, nunc ad Alexandrum, monens ut suppressâ questione, quæ inter ipsos commota fuerat, Arium in communionem reciperet; nunc ad singulorum urbium episcopos, suadens ne Alexandro consensum accommodarent. Viden, Eusebium postquam ab Alexandro in epistola synodali perstrictus fuerat, ipsi tamen litteras pro Arianis scripsisse? quod ipsum paulo infra repetit. Eodem ordine et sententia Sozomenus loquitur l. 1, c. 15. Quam enim ob causam Eusebius, etsi ab Alexandro in epistola encyclica lacessitus, eidem non rescriberet, quandoquidem Arius et gregales damnati, cum exonerati metu Nicomediæ degerent, litteras Alexandro observantiæ plenissimas miserunt, et quidem, ut existimatur, imo vero planum videtur, approbante et suadente Eusebio Nicomediensi, penes quem tum agebant? Annon item Athanasio, quem infensum sibi norat Eusebius, pro Ario postea rescripsit? Quo deducta res ecclesiastica erit, si ex levissimis hujusmodi conjecturis historiæ et actuum synodaliu ordinem invertere liceat?

Cæterum quod habet Tillemontius, cum epistola encyclica Alexandri conscripta fuit, jam Arium et socios Nicomediæ demigrasse; id, inquam, suo Marte protulit, nec videtur cum ipsa epistola encyclica consentire. Nam sub initium epistolæ sic habetur: *Equidem volebam rem silentio tegere, ut in solis hæresis præfectis malum absumeretur, ne in cætera loca prævadens, simpliciorum quorundam aures contaminaret. At cum Eusebius jam Nicomediæ episcopus, ratus penes se sita esse ecclesiastica omnia.... apostatarum istorum patrocinium suscepit, litterasque pro iis commendatitias ubique scribere aggressus sit, ut quosdam rei ignaros in hanc turpissimam Christianique oppugnatricem pertrahat hæresim: necesse mihi fuit, haud ignoranti quid in lege scriptum sit, non ultra rem silentio premere. Hæc sâne cuique, spero, scripta videbuntur antequam Arius Achilla comite demigraret in Palestinam: nam Alexandria decedens, eo prius profectus est, quam Nicomediæ adiret. Etenim quid causæ fuisset ut rem silentio obtegore vellet, ne qua serperet malum ad alios, si jam Arius Palestinam petiisset, ut contra Alexandrum classicum caneret? Sane si jam profectus fuisset Arius cum sociis, non taceret Alexander lucifugum decessum, quorum ad alias regiones aditus rei catholicæ summopere erat pertimescendus. Et vero id formidare se testificatur Alexander, dum sub finem epistolæ encyclicæ sic episcopos allatur: *Remque, charissimi atque honoratissimi comministri, vestri religioni indicavimus; ut ne quospiam ex illis, si petulanter vos adire ausi fuerint, recipiatis*: queis item subindicat eos nondum ex Ægypto demigrasse. Neque vero aliquis scriptorum veterum ante publicatam Arij damnationem ejus ex Ægypto profectum constituit: sed præ-*

Tillemontius ex præjudicata opinione, sic res et A rum fidem edidimus: etsi titulo fidem addere necesse tempora ordinavit.

Ait deinde Tillemontius credi forte posse, Arium in illa episcoporum prope centum synodo impiam protulisse sententiam: cum rogatus a quodam, num perinde mutari posset Dei Verbum, atque diabolus mutatus est: Sane potest, respondit ille. Ubi Tillemontius rem planam et æpertam in ancipiti vult relinqui: in epistola quippe synodica Alexander istius synodi princeps idipsum refert, ut cuique superius legere in promptu est.

De Collutho Alexandrino presbytero, qui prior huic epistolæ synodicae subscripsit, quædam exoritur difficultas et quæstio, quam nos in Præfatione ad *Vitam Athanasii* pro virili expendimus: quo lectorem mittimus, nam Tillemontius ne quidem B legisse videtur.

## ANIMADVERSIO VI.

Quid sit τόμος, sive tomus ille quem episcopis per orbem subscribendum Alexander Alexandrinus misit.

Jamdiu agitari cœptum est, quid sit ille tomus de quo in epistola ad Alexandrum Byzantium, Alexander Alexandrinus talia satur (a): Τούτους ἀποστραφέντες, ἀγαπητοὶ καὶ ὁμόψυχοι ἀδελφοί, σύμφηφοι γίνεσθε κατὰ τῆς μανιώδους αὐτῶν τόλης, καθ' ὁμοιότητα τῶν ἀγανακτησάντων συλλειτουργῶν ἡμῶν, καὶ ἐπιστειλάντων μοι κατ' αὐτῶν καὶ τῶ τόμῳ συνυπογραψάντων· ἃ καὶ διεπεμφθῆμην ὑμῖν διὰ τοῦ υἱοῦ μου Ἀπίωνος τοῦ διακόνου, τοῦτο μὲν πάσης Αἰγύπτου καὶ Θηβαΐδος· τοῦτο δὲ Λιβύης καὶ Πενταπόλεως, καὶ Συρίας, καὶ Ἐτι Λυκίας καὶ Παμφυλλίας, Ἀσίας, Καππαδοκίας, καὶ τῶν ἄλλων περιχώρων· ὧν καθ' ὁμοιότητα καὶ παρ' ὁμῶν δέξασθαι πέποιθα. Id est: Hos aversantes, charissimi atque unanimes fratres, suffragium addite vestrum adversus furiosam illorum audaciam, perinde ac comministri nostri, qui indignati sunt et mihi epistolas scripserunt adversus illos, et tomo subscripserunt; quæ etiam ad vos misi per filium meum Apionem diaconum, tum ex Libya et Pentapoli; tum ex Syria, Lycia, Pamphylia, Asia, Cappadocia aliisque provinciis. Quorum exemplo a vobis quoque acceptum iri confido. Voci τόμος explicandæ opportunus est hic Gregorii Nazianzeni ep. 4 ad Cledonium locus, Δεξούσι δὲ πάντως ἢ διὰ τόμου συνοδικοῦ, ἢ δι' ἐπιστολῶν κοινωνικῶν· οὗτος D γὰρ τῶν συνόδων ὁ νόμος. Id est, Omnino autem ostendent (se scilicet ad communionem admissos esse) vel per tomos synodalem, vel per epistolas communicatorias. Nam hic synodorum mos est. Hic igitur mos synodorum erat ut per tomos synodicos quæ sancita erant emitterent. Cujus rei apertissimum testimonium habes in epistola synodi Alexandrinæ anni 362, ad Antiochenos ab Athanasio ipso conscripta, ut videre est sub lineam, p. 620. Ea nempe τόμος Ἀθανασίου ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξανδρείας, tomus Athanasii archiepiscopi Alexandrini inscribitur; ut nos ad omnium omnino manuscripto-

rum fidem edidimus: etsi titulo fidem addere necesse fuerit, in sine dicitur: Καὶ μετὰ τὸ ἀποσταλῆναι ἀπὸ Ἀλεξανδρείας τὸν τόμον τοῦτον· id est, Postquam autem hic tomus Alexandria missus est. Id porro genus epistolarum synodicarum, ideo tomus dicitur, quia paucis edi solebat, συντόμως ὑπηγορευόμεν, paucis dictavimus, ut habetur ibidem: quibus accinit Niceph. patriarcha, lib. 11 *Adversus Niceph. Gregoram*: quia scilicet ibi res συνεπεμμένως, id est paucis, sic ille, enarrantur. Eodem usu vox τόμος occurrit apud Epiphanium hæc. Photinianorum: hinc etiam in Collectione conciliorum, tomus Leonis ad Flavianum. Unde Ducang. in *Glossario Gr.* τόμος, Libellus, acta et decreta synodi et totum illud, quod fidei professionem et expositionem continet, complectens, ubi multa loca explicationi huic opportuna colligit. Gretzerus item ad Cantacuzenum, l. 11, c. 40, τόμον, in synodis ait esse libellum, acta et decreta ejus, et totum illud quod fidei professionem expositionemque continet, complectentem. Itaque tomus quarto præsertim sæculo pro epistola synodica habebatur, quæ breviter res in synodo gestas, et dogmata promulgata enarraret, uti ex locis Gregorii Naz., Nicephori patriarchæ, ac præscriptum exemplo tomi Alexandrini ab Athanasio conscripti, commonstratur. Cum igitur epistolam hujusmodi synodicam paucis conscriptam ab Alexandro nomine synodi centum circiter episcoporum datam habeamus, in qua cum Arii damnatio tum synodi sententia efferuntur, quam aliam dixerimus tomum nuncupari, nisi eam quam ad omnes universæ Ecclesiæ catholicæ episcopos misit, quamque superius ex parte retulimus? Eam siquidem jam a plurimis per orbem episcopis subscriptam memorat idem Alexander in epistola sua ad Alexandrum Byzantium. Huic tamen sententiæ Tillemontius obsistit, hoc argumento sane frigido et nullo: Non verisimile, inquit, est episcopos gestis quamplurimis in ea epistola memoratis, quorum testes esse non possent, suffragium dedisse. Sufficiebat enim ut confessioni fidei subscriberent, et se Arianos non recepturos ad communionem esse profiterentur: neque videtur tomus aliud quidpiam complexus esse. Hæc ille: at non meminit multa hoc sæculo exempla offerri, ubi absentes episcopi tomis et epistolis synodalibus, queis gesta bene multa enarrantur, suffragium dant et subscribunt. In tomo quippe Athanasii supra memorato, in quo gesta synodi accurate recensentur, Antiocheni qui gestis non interfuerant calculum addunt. Sic enim ibi, p. 620, Καὶ μετὰ τὸ ἀποσταλῆναι ἀπὸ Ἀλεξανδρείας τὸν τόμον τοῦτον, οὕτω παρὰ προειρημένων ὑπογεγραμμένον, κατὰ ταῦτα καὶ αὐτοὶ ὑπέγραψαν· id est, Postquam autem tomus hic Alexandria missus est, a supra dictis ita subscriptus, postea et ipsi quoque (Antiocheni) subscribere: et postea affertur Paulini subscriptio, qui sane gestis in tomo memoratis non interfuerat, nec eorum

(a) Tillem., *Vie de S. Alexandre*; Theodoret. l. 1, c. 4.

testis esse poterat. Et epistolæ encyclicæ synodi Sardinensis, ubi historia rerum in synodo gestarum recensetur, episcopi plus ducenti, qui synodo non interfuerant, subscribere, qui longo itineris intervallo dissiti, gestorum testes esse non poterant. Verum non quasi rerum in synodo gestarum testes scribebant; sed dogmata, anathemata, hæreticorum et factiosorum hominum depositiones suffragio suo muniebant. Tillemontii igitur ratio nulla: neque feliciter Valesius (a) qui putat tomum huiusmodi esse epistolam ad Alexandrum Byzantium missam. Nam ex iis quæ superius attulimus videtur tomum illum aliud quidpiam ab epistola esse. Tomus item ille ad omnes ubique episcopos missus fuerat, ut ex memoratis ibidem subscriptionibus liquet; hæc vero epistola ad unum Alexandrum missa est. Ad hæc autem epistola ad Alexandrum prolixior est, quam quæ possit τόμος vocari: nam, ut supra notavimus, tomus dicitur in quo συντετμημένως ac συντόμως, sive per breviter res enarrantur; hic vero fuisse admodum recensentur, nam vix tredecim quatuordecimve paginis epistola illa persolvitur.

## ANIMADVERSIO VII.

*Quo tempore Athanasius in Thebaidem profectus Pachomium viserit.*

Auctor *Vitæ S. Pachonii* (b), qui quarto sæculo scripsit, narrat Athanasium initio episcopatus sui Thebaidis Ecclesias Meletianorum dissidio Arianorumque motibus deflagrantes perlustrasse, quo vacillantes debilesque animos recrearet et firmaret in vera fide. Ο δὲ ἀγιώτατος ἀρχιεπίσκοπος τῆς Ἀλεξανδρείας ἦν κατὰ τὸν καιρὸν ἀρχόμενος τῆς ἐπισκοπῆς· id est, *Sanctissimus archiepiscopus Alexandrinus tunc temporis episcopatum inibat*. Hinc nos in annum circiter 327 hunc profectum consignamus. Nimirum Athanasius vertente, ut diximus, anno 326, in episcopum Alexandrinum allectus (c), sequente hoc iter instituerit. Id tamen scriptori nostro non placet, qui in annum 333 Thebaicum iter conferendum æstimat. Et quia cum ratione pugnare videtur ut is, qui anno 326 episcopus esse cœperit, anno 333 episcopatum inire dicatur, nec nisi ἀμνηχανίας ergo potest talis conjectura proferri, validissima, ut putat ille, argumenta adversum stare pugnat. Nam, inquit, eadem in *Vita* narratur Athanasium jam pro fide Christi varia perperum esse (d), μάλιστα ἀκούων τοὺς ποικίλους πειρασμοὺς οὓς ὑπέμεινε κατὰ τὸ Εὐαγγέλιον καὶ κατὰ τὴν ὀρθὴν πίστιν, ἧς ἔνεκεν καὶ μετὰ ταῦτα ἐπασχεν. Hinc vero consequitur, pergit ille, post cœptas de calice fracto, de mensa subversa, et de Arsenii nece criminationes, atque adeo circiter annum 333, hoc iter suscepisse Athanasium, nam anno 327 nondum periculis et ærumnis perfunctus erat. Verum etsi jejuna nimis horum temporum historia oblatas Athanasio ca-

lamitates nullas memoraret, esset huius scriptoris testimonium ad rem alioquin probabilissimam asserendam satis: conspecto namque turbulento Arianorum Meletianorumque animo, vel tacentibus scriptoribus, multa ipsos in Athanasii perniciem inlitos verisimile esset. At longe secus res se habet. Nam Athanasius ipse ait, Arianorum, postquam primo damnati fuerant, scilicet anno 321, impetum in se prorupisse, hincque eosdem conspecta sua in Nicæna synodo pro fide tuenda firmitate in majus sui odium exarsisse: in epistola autem Ammonii Athanasio æqualis, fertur Athanasium, statim atque ordinatus fuerat, a sceleratis quibusdam lacessitum fuisse calumniis; quasi scilicet junior pro tanto munere cooptatus fuisset, eosdemque improbos Ecclesiam Dei scindere nisus esse narratur (e): Ἐλεγε δὲ ἡμῖν πᾶσι Παχούμιος (sic Ammonius), ἅμα τὸ κατασταθῆναι Ἀθανάσιον ἐπίσκοπον, οὐκ ἀγαθοὶ ἄνδρες αἰτιῶνται τὸ κρίμα τοῦ Θεοῦ ἐπ' αὐτοῦ γενόμενον, προβαλλόμενοι τῆς ἡλικίας αὐτοῦ τὸ νέον, καὶ σγῆσαι τὴν Ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ σπουδαζόντες. Cui suffragatur Epiphanius (f), dum ordinatum post Alexandri Alexandrini mortem a Meletianis Theonam quemdam testificatur, qui Alexandrinam sedem, conspirante lucifugarum turba, tribus mensibus tenuerit. Itaque licet parcissime res illius temporis tangant scriptores, magnas tamen Athanasio tum objectas tentationes significant: certumque insuper est multo plura prætermisisse, quam narraverint. Ex leviori ergo conjectura rem ille planam et dilucide narratam evertit. Et vero perinde mihi absomnum videtur dici, ἀρχόμενος τῆς ἐπισκοπῆς, qui septimum vel octavum episcopatus annum agit, ac si quis illud Lucæ, ἦν ἀρχόμενος ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα, sic explicaret, ut Jesum tum tricesimum septimum vel tricesimum octavum vitæ annum egisse statueret. Ad hæc, consentaneum est Athanasium ipso episcopatus initio loca remotiora, Meletianorum Arianorumque fraudibus tentata, adisse, nec in plures annos remisisse munus. Et alioquin anno 333, mense circiter Martio quo susceptum ab Athanasio iter vult Tillemontius, dum bello ferrent omnia, et jam ardentem scelere adversarii extrema ipsi portenderent, non sat otii et spatii habuisse videtur, ut remotissima illa loca peteret. Illo quippe anno, Eusebianis molientibus, in perniciem Athanasii Cæsareæ in Palæstina indicta synodus est; ut calumniæ de calice fracto, de mensa subversa, et de Arsenii nece ab ipsis conspirationis auctoribus disquirerentur. Quod malum ut præverteret Athanasius, detectæ sycophantiæ monumenta imperatori remisit, quo factum ut ille Eusebianos in Palæstinam properantes revocaret, et a cœptis perficiendis arceret. Aliquot autem annis antequam synodus Cæsariensis indiceretur, Meletiani Eusebia-

(a) In notis ad l. 1, c. 4, Theodoretii.

(b) *Acta SS.*, Maii tom. III, num. 20.

(c) Tillemont, *Vie de S. Athanase*, art. 14 et seq. 16.

(d) *Ibid.*

(e) *Ibid.*, p. 65.

(f) *Hæc. LXVIII.*

norum suasu crimina in Athanasium committi, turbas per Ægyptum moverant, ad imperatorem confictas accusationes detulerant, Athanasium eo deduxerant, ut sui purgandi causa Nicomediam ad imperatorem se conferret: omnia tumultu repleverant. Nec videtur in illud tempus opportune posse Athanasii in Thebaidem profectioem conferri.

## ANIMADVERSIO VIII.

*Quo tempore Antonius Alexandriam venerit.*

Ariani, rumoribus in sectæ suæ gratiam spargendis pervigiles, Antonium monachorum patrem doctrinæ favere suæ cum effutirent, Antonium suspicioni levandæ, roganibus episcopis, Alexandriam properat. Ubi palam se Arianos detestari professus, hæresim illam Antichristi prodromum esse declaravit. Hunc Antonii profectum nos in annum circiter 334 his de causis coniecimus, quod Athanasius qui in *Vita Antonii* temporis ordinem apprime sectatur, ante missas a Constantino imperatore ad Antonium litteras, hanc rem scripto consignet. Et sane ea accuratissime ille Antonii gesta recenset, ut ne vel unam rem gestam præpostere narrare deprehendas. Ne autem post annum 335 id reponi posse putemus velat Athanasius, qui ait se cum Antonius accessit, Alexandriae fuisse. At ab anno 335, dum viveret Constantinus, Alexandriam non vidit ille, qui toto deinceps Constantini tempore Treviris exsulabat. Et tamen ex Athanasii serie, Constantino imperante Antonium Alexandriam venisse necesse est. Iluc accedit Antonium in gratiam Athanasii exsulis ad Constantinum scripsisse, secundum quas datas litteras, qui potuerint Ariani effutire, ac populis suadere Antonium ex partibus stare suis; ita ut hujus levandæ opinionis ergo necesse fuerit Antonium Alexandriam arcesere.

Verum annis prope viginti tardius Tillemontius (a) hunc profectum Antonii statuit his de causis: primo quia Hieronymus testificatur se infantem fuisse cum Antonius Alexandriam venit: cum autem Hieronymus anno 342 vel 343 natus apud Baronium feratur, non potest tempore Constantini venisse Alexandriam, nam imperator ille anno 337 obiit, aliquot scilicet annis ante Hieronymi ortum. Ad hæc Didymus, teste Hieronymo, ita ferebat cum Antonius Alexandriam venit, ut fama viri per motus ille ipsum adierit: at is cum anno 392, quo Hieronymus librum *De scriptoribus ecclesiasticis* adornavit, LXXXIII annorum fuerit ut idem Hieronymus testificatur, anno 334 vel 335 xxvi annorum fuerit: qua ætate non tantæ fuerit existimationis, ut homines ad sui spectaculum evocarit. Hæc ille. Et sane si vere anno 342 vel 343 natus Hieronymus esset, ut habet Baronius, magni habenda ratio esset: verum hæc opinio quæ Mariani item Victorini est, ex præjudicata opinione oritur,

A quia scilicet Hieronymus sub finem imperii Constantii se infantem fuisse dicit: quæ loquendi ratio apud Hieronymum frequens, de tricenario expressa nonnunquam apud eundem scriptorem deprehenditur; ut pluribus rem comprobabit D. Martianæus noster in *Vita Hieronymi*. Cum itaque Hieronymus anno 420 finem vivendi fecerit, nonagenario proximus, sive ut vetus Vitæ ejus scriptor narrat LXXXVIII annorum sexque mensium, quæ item Erasmi sententia fuit, anno xxxi vel xxxii ortum duxerit. Aliud de Didymo admodum leve est: nam sive annorum xxvi cum Antonium Alexandriam migraret, sive etiam aliquantum junior fuisset, non immature dicatur jam illa ætate eum disciplinis instructum tantaque Scripturarum intelligentia præditum fuisse, ut mirer talem adversum rationem adduci in medium. Quare nihil ad seriem Athanasii interturbandam momenti afferunt argumenta illa ex Didymi et Hieronymi ætate petita. Addo nullo modo stare posse Tillemontii sententiam, qua ejus Alexandriam iter in annum confert 352, id est in finem vitæ illius. Me quippe fugit quæ causa tunc erat ut Antonius imminente jam obitu se Arianos non favere testificaretur, qui ex quo pervulgata pestis illa fuit, classicum in Thebaide canebat contra hæreticos, qui ad imperatorem Constantinum Athanasii exsulis revocandi gratia litteras miserat, qui Balacio, duci Ariani amico, Catholicis infensissimo, mortem anno 341 ejus rei causa interminatur, quæ nec diu postea subsequuta est, qui Arianos semper, ut Athanasius habet, ceu canes pellebat: an hujusmodi viri dubia ad finem usque vitæ de Ariani sententia? At, dicit Tillemontius, impudentissimi homines erant Ariani, qui vel in apertissimis rebus, si e re fore sua sperarent, mentirentur. Verum illi patefacto sexcentis argumentis Antonii erga se odio, eum nihili faciebant ac vilipendebant, nedum ut suæ sectæ hominem prædicarent. Sic Gregorius Arianus ejus litteras cum ignominia et risu exceperit, auctorque Balacio fuit ut in eas humi projectas contumeliæ causa conspuerret, idque jam ab anno 341: Εἴποτε οὖν, sic Athanasius (b), ὁ Πατήρ Ἀντωνίου, ἐκ τοῦ θροῦ ἐγραφεν, ὡσπερ βδέλυγμα ἁμαρτωλῶ θεοσέβεια, οὕτως ἐβδελύσσετο τὰ τοῦ ἀγίου γράμματα. Si quando igitur Pater Antonius illi ex mouite scriberet, sicut pietas erga Deum peccatori abominatio est, sic ille sancti viri litteras exsecratur: et paulo post, Antonius vero cum aliquando scripsisset, auctor fuit ille (Gregorius) ut Balacius dux in epistolam spueret, illamque projiceret: sed rem haud inultam reliquit divina vindicta; siquidem non diu postea equo insidentem ducem, et ad proximam mansionem iter instituentem, conversus equus in femore ita momordit, ut humi dejiceret, intraque triduum ille obiret. Hæc Athanasius, postquam ante dixerat, in illa Ariatorum irruptione monachos dire vexatos et plagis lanatos

(a) *Vie de S. Athanase*, art. 66 et not. 69.

(b) P. 278.

fuisse. Hæc anno 341 et 342. An exinde opus fuerit A potest tam atrox flagitium ab Athanasio, qui bis res Tyrias fuse prosequitur, a Sardicensibus Patribus, qui recensitis calumniis sententiam in male-dicas proferunt reticere, si vere gestum fuerit? Quid ex hujusmodi silentio arguatur, nisi rem nec notam nec gestam unquam fuisse? Nam Rufini testimonium hujusmodi silentio obruitur. Et alioquin hæc historia fingentis potius artificium, quam rem vere gestam subolet: quis credat enim Arianos tam supinos tam stolidos fuisse, ut subornatæ mulierculæ, quæ Athanasium de facie non noverat, non indicarent quis Athanasius esset, quem in judicio accusandum oporteret?

## ANIMADVERSIO X.

*De significato vocis ἐργασία.*

Putabamus olim hunc Athanasii locum *Apol. contra Arianos*, p. 107, ἐργασίαι τε κατ' αὐτῶν ἐπεσεύοντο, καὶ ἔθνικοι δῆμοι πρὸς τὸ γυμνοῦν, τύπτειν, sic exponendum esse: *Hinc flagitia adversus illas (virgines) admissa: populi nempe ethnici ipsas nudabant, verberabant, etc.* Sub hæc autem in *Onomastico* monuimus, hic ἐργασίας officinarum operas commodius exprimere. Cui interpretationi suffragatur inscriptio a Sponio eruta (c), Τοῦτο τὸ ἡρώων στεφανοῖ ἡ ἐργασία τῶν βαφέων· hoc est, *Hoc heroum sepulcrum corona exornant operæ tinctorum.* Hic igitur Athanasii locus sic explicandus: *Officina-rum operæ, populique ethnici adversus illas concitabantur, ut eas nudarent, verberarent, etc.*

## ANIMADVERSIO XI.

*Ad quem missa Flavii Hemerii epistola.*

*An vera historia mulierculæ, quæ Athanasium in synodo Tyria illati sibi stupri insinulaverit.*

Veteris opinionis retinentissimus Tillemontius (a), ægre tulit a nobis ut suspectam mulierculæ violati pudoris in synodo Tyria Athanasium accusantis historiam afferri. Verum ea in re vulgarem æstimandi morem sectamur. Subornatam ab Arianis mulierem, quæ Athanasio crimen offerret, ait Rufinus, id ipsum a Rufino mutuati narrant Theodoretus et Sozomenus (b); sed hic postremus, addita cautione, rem in actis non reperiri dicit. Socrates, Rufini pedissequus, suspectam rem habuit, ideoque prætermisit. Jam hinc vacillare videtur historiarum fides: verum nutabit omnino, et fortasse corruet, si animadvertas Athanasium, qui ut sese purgaret, D et ut Arianorum nequitiam sycophantiamque proderet, res Tyrias bis terve fuse recensuit, ea de re siluisse: synodosque Alexandrinam, Romanam et Sardicensem, in quarum epistolis synodalibus Athanasius singulatim ab objectis Tyri criminibus purgatur, pari silentio uti. Annon hujusmodi silentium nutanti jam historiarum fidem derogat? An hujusmodi crimen est, quod taceri possit a iudicibus, qui recensitis calumniis sententiam ferunt in sycophantas, ut præstitere Sardicenses Patres? Reus agitur episcopus, quod mulierculam violaverit: ejus

(a) *Vie de S. Athanase*, art. 20.

(b) Rufin. l. II, c. 47; Sozom. l. II, c. 25; Theod. l. I, c. 30.

(c) *Voyage*, t. III, p. 450.

(d) *Athun.* p. 158 et 159.

nendum censuerunt, licet omnes mss. τῷ καθολικῷ A litteraria bene meritis (a), nos libro *De Nicænis decretis* epistolam Eusebii subiunxisse : ratus rem esse prorsus peregrinam, et extra sedem propriam hic locari : ac de tali ausu, usque adeo indignatur ut in *Elencho rerum* nos ideo malæ fidei accusaverit. Hæc ejus verba sunt, p. 90 : *Antequam hanc de epistola Eusebiana disputationem claudam, non abs re erit breviter inquirere, unde factum sit, ut inter Athanasii opera locum habeat. Reposuerunt illum in tom. I novissimæ editionis curatores, Petrum Felckmannum hac in parte secuti, qui editionem Commelinianam anno 1601 adornavit, primusque hanc epistolam editis Athanasii operibus inseruit; præter unicum Basiliensem, nullum codicem manuscriptum reperire potuit, quo inter opera Athanasiana reperta fuerit : alterum addidit Benedictini, in bibliotheca Regia Parisiensi : cuius vero ætatis, quantive pretii hi codices sint, nos non docent. Unde Parisienses editores anno 1627, quamvis in cæteris editionem Commelinianam presso pede sequebantur, hanc tamen epistolam excluserunt. Certe mihi videtur ab aliis adjecta, et ex Theodoretii historia primum deprompta. Verum ipsius Athanasii testimonio sententiam suam confirmare satagunt (b), unica Felckmanni conjectura nixi. Frustra quidem. Ipsa Athanasii verba hæc sunt (c); postquam dixisset Eusebium epistola sua Arianos accusasse, sequitur, Καὶ τοῦτο οἶδε καὶ Ἀκάκιος ἂν μὴ καὶ αὐτὸς φοβηθεῖς, νῦν διὰ τὸν καιρὸν ὑποκρίνηται καὶ ἀρνήσῃται τὴν ἀλήθειαν. Ὑπέταξε γοῦν ἐν τῷ τέλει τὴν ἐπιστολὴν Εὐσεβίου· ἵνα ἐκ ταύτης γινῶς τῶν τε χριστομάχων, καὶ κατὰ περιττὸν τὴν Ἀκακίου πρὸς τοὺς ἑαυτῶν διδασκάλους ἀγνομοσύνην. Et hoc ipsum scit Acacius, nisi et ille quoque nunc metu temporum id dissimulandum putet, veritatemque inficiari velit. Certe et is in fine subiunxit epistolam Eusebii, unde eos et Christi perduelles videas, et in primis Acacii adversus præceptores suos stoliditatem deprehendas. Hæc ut sententiæ suæ accommodarent, textui Athanasiano vim inferre necesse habent, ac proinde pro ὑπέταξε, substituerunt ὑπέταξα, plane contra omnium codicum fidem, non diffidente ipsomet Felckmanno, qui nec ipse textum mutare ausus est. Quin et totus ipse contextus, quidquid aliter sentiat Felckmannus, repugnat; disputat enim his verbis Athanasius adversus Acacium, ipsius Eusebii discipulum et successorem, inconstantis ingenii virum, qui nunc cum catholicis, nunc cum Arianis fecit, quique ad scripti alicujus sui calcem (multa enim, eaque, ut videtur, in Ariatorum gratiam scripsit) hanc magistri sui epistolam subnezuerat, eoque pucis stoliditatem adversus præceptores suos ostenderit, subjecta nimirum Eusebii epistola, qua Arianos diserte damnaverat. Verbis in hunc sensum explicatis, commode et perspicue fluunt omnia. An vero rem acu tetigerim, eruditorum iudicium esto. Hæc ille : at in ea docti viri narratione, nihil sanum, verum nihil deprehendas. Nam quod tom. II, p. 47. Var. lect., p. 55.*

## EPISTOLA CATHOLICI.

Flavius Hemerius exactori Mareotæ, salutem. Ischyra presbytero pietatem dominorum nostrorum Augustorum ac Cæsarum rogante, sibi in loco Pax Secontauri dicto construi ecclesiam : jussit eorum divinitas, θεϊότης, id quam primum effici. Curato igitur, ut exemplar nactus divini diplomatis, quod cum debita reverentia priore loco positum est, nec non monumenta coram mea sanctitate edita, ea cito perlustrata in commentario reponas, ut quæ divinitus jussa sunt, ad exitum deduci queant.

Ex his igitur, ut etiam ex Regii codicis lectione, palam est epistolam hanc Flavii Hemerii catholici esse et ad exactorem Mareotæ mitti : nam quod in prius editis legitur Φλαύιος Ἡμέριος ἐξαρχὸς Μαρεώτου, ab editoribus ideo positum est, quod Basiliensis codex sic haberet, Φλαύιος Ἡμέριος ἐξάρχω male : illi vero ἐξάρχω in ἐξαρχὸς perperam verterunt, neque enim in Mareote, Alexandrini agri parte, exarchus esse poterat. Hæc pluribus efferre visum, quia Tillemontius eam restitutionem nostram vel non animadvertit, vel penitus neglexit. Et quidem ille mendum subodoratus, conjectura lapsum sarcire conatus est; sed non ita feliciter. Etenim illius loco, ἐπιστολὴ τῷ Κολλοῦθῳ, sic legendum putat, ἐπιστολὴ τῷ καθολικῷ· at perperam, nam, ut supra videas, epistola catholico missa, Augustorum et Cæsarum erat, eaque nusquam reperitur : quæ sequuntur autem sic restauranda putat Tillemontius post Henricum Valesium, Φλαύιος Ἡμέριος ἐξάρχω Μαρεώτου, quæ sane ἀπροσδιόνυσα sunt : nam idem essent catholicus et exarchus, officia sane longe disparata; at in Mareote Alexandrini agri parte nec catholicus nec exarchus erat. Exarchi enim summi imperii proceres fuere, quorum ea erat auctoritas et dignitas, ut ministerium imperialis fastigii peregrisse dicantur in libro Diurno Romani pontif., c. 2, tit. 4, p. 19. Hac vero posita lectione, quisnam erit ille Flavius Hemerius qui tanta auctoritate catholico et exarcho, ut dominus famulo imperat : cujusque officium nullum memoratur secundum Tillemontianam restitutionem? Hic spero nequidem, re perpensa, restitutioni nostræ repugnaturum esse.

## ANIMADVERSIO XII.

An epistola Eusebii Cæsariensis libro De Nicænis decretis recte subjungatur.

Ægre tulit vir quidam eruditus et de republica

(a) Guillelmus Cave.

(b) Admonit., § 10, p. 208, t. I ed. novæ. Felckm.

(c) De decret. syn. Nic., p. 405.

ait primo Felckmannum fateri (a) in omnibus codicibus, uno excepto Basiliensi, adesse lectionem ὑπέταξε, majoremque codicum numerum hanc lectionem præferre, non accurate dictum, siquidem Felckmannus duos solum de decretis Nicænis adesse sibi codices testificatur; nimirum Basiliensem et cum quem VII notat. Primus autem, scilicet Basiliensis, omnium antiquissimus et optimus, ὑπέταξα habet, cui addas Regium decimi sæculi exemplar egregiæ notæ. Cum ergo duo manuscripti codices, iique præstantiores et antiquiores, nostram lectionem præferant, unusque tantum et quidem inferioris notæ et ad Basiliensis fidem descriptus, ut ait Felckmannus in notis p. 55, secus habeat, cur nobis exemplarium penuriam perpetuo decantat? Nam quod ait ille, nec Felckmannum monuisse cujus vetustatis esset Basiliensis codex, nec nos de antiquitate codicis Regii dixisse quidpiam, perinde falsum, et ne dicam, malæ fidei, summæ saltem oscitantæ est: nam in Præfatione ad editionem Commelinianam, cui notas suas subjunxit Felckmannus, hæc habentur: *Primus codex isque vetustissimus (ideoque lectu perdifficilis) optimus, et qui plura reliquis omnibus habet, est academici Basiliensis... et postea, in exemplari Basiliensi, quod cæteris omnibus jure præferimus, etc.* De Regio autem codice diximus nos in Præfatione: *Basiliensi codici haud multum concedere putatur Regius, num. 2284, septingentorum circiter annorum, egregiæ notæ, etc.* Et postea in syllabo codicum diximus nos eodem codice Regio 2284, ad epistolam de Nicænis decretis usos esse, initi. l. I. Itaque ex Felckmanni et ex nostra parte stant duo vetustissimi omnium codices; ex altera duo item, sed longe recentiores et inferioris notæ. Et aliunde lectio ὑπέταξε ita loco congruens est, ut si ὑπέταξε legas, aptam sententiam frustra quæras, ut inferius clare comprobatur. Non verius loquitur cum ait, Felckmannum vocem ὑπέταξε in ὑπέταξα commutare non ausum esse: nam ideo non emendavit, quia lapsus sero nimis animadvertit: et incogitantia item evenisse testificatur, quod epistola Eusebii in secundo tomo cusa, epistolæ de decretis Nicænis subjuncta non fuerit. Dolebat quippe veram lectionem non restitutam, nec epistolam in sede propria locatam fuisse, ut ex ejus verbis arguitur. Etenim secundo tomo Commelinianæ editionis hæc notat Felckmannus ante epistolam Eusebii ad Cæsarienses, p. 47: *Sequentis epistolæ cum sæpe Athanasius mentionem faciat.... Et vero etiam tibi. De decretis Nicænis dicat se eam illi operi subjuncturum (ita enim textus ibi legendus est), quemadmodum etiam in cod. ms. Græco Academiae Basiliensis post id posita est: idcirco eam hoc loco post Athanasii epistolam subjicere volumus bona fide ex dicto ms. Basil. descriptam, cum ea sero nimis animadversa suo loco reponi jam non posset.* Sic censor ille res non uti se habent, sed uti sua inter-

A esse putat, efflingit; quale est illud, *Unde Parisienses editores anno 1627, quamvis in cæteris editionem Commelinianam presso pede sequebantur, hanc tamen epistolam exclusaverunt.* At secum reputare debuit editionem illam Parisiensem omnium teri manibus, nec posse tale contentum impune proferri. Editores quippe infinita propemodum immutarunt, aliquando bene, frequenter secus, ordinem non raro inverterunt: non modo epistolam Eusebii, sed et alia multa resecurerunt, ut epist. minorem Athanasii ad monachos, varias lectiones omnes, etc., ut plerique conquesti sunt; multa spuria tanquam germana adjecerunt: num dicere postea ausis, editores Parisienses edit. Commelinianam presso pede secutos esse? Itaque vir eruditus isthæc obiter pertractavit, qui nec quæ legenda erant legerit, nec iis quæ legit satis attenderit; id autem aperte liquet, in ea quam ex Nannio attulit loci, quo de agitur, interpretatione: hæc Græca verba sunt, *Και τοῦτο οἶδε καὶ Ἀκάκιος, ἂν μὴ καὶ αὐτὸς φοβηθεὶς νῦν διὰ τὸν καιρὸν, ὑποκρίνηται καὶ ἀρνήσῃται τὴν ἀλήθειαν. Ὑπέταξα γοῦν (alius codex ὑπέταξε) ἐν τῷ τέλει τὴν ἐπιστολὴν Εὐσεβίου, ἵνα ἐκ ταύτης γνῶς τῶν τε χριστομάχων, καὶ κατὰ περιττὸν τὴν Ἀκακίου, πρὸς τοὺς ἑαυτῶν διδασκάλους ἀγνωμοσύνην, quorum sensus haud dubie hic est: *Quod sane non ignorat Acacius (id est, Eusebium in epistola sua ad Cæsarienses τὸ ὁμοούσιον admisisse), nisi et ipse nunc præsentis temporis causa, factum præ metu dissimulet, veritatemque neget. Itaque in fine subjeci Eusebii epistolam, ut Christi hostium, ac præcipue Acacii in suos magistros perfidiam (sive ingratum animum) ex ea liquido cognoscas.* Nimirum Athanasius hic Acacium et Arianos perfidiæ et ingrati animi accusat, quia τὸ ὁμοούσιον, quod in epistola sua Eusebius Cæsariensis ipsorum magister confessus erat, ipsi negarent et impugnant; utque res ad ejus, cui litteras mittit, amici notitiam veniat, illam se Eusebii epistolam in fine subnexurum ait. Contra vero si ὑπέταξε legeris, et ab Acacio subjunctam epistolam dixeris, aptam sententiam nunquam efficias: nam cui operi hanc subjunxerit Acacius, nuspiam meminit Athanasius; imo nec Acacii, nec operis cujuspiam ab eo editi, unquam ante ea in hac epistola verba fecit. Et prorsus ἀπροσδιόνυσον est dicere Acacium ideo illam epistolam subjunxisse, ut ille amicus Athanasii, cui epistolam mittit, cognosceret Arianorum et ipsius Acacii perfidiam. Et tamen hæc est loci sententia, si stet lectio veterum editorum, Ὑπέταξε γοῦν ἐν τῷ τέλει τὴν ἐπιστολὴν Εὐσεβίου, ἵνα ἐκ ταύτης γνῶς τῶν τε χριστομάχων καὶ κατὰ περιττὸν τὴν Ἀκακίου πρὸς τοὺς ἑαυτῶν διδασκάλους ἀγνωμοσύνην. Quamobrem Nannius ex vitiosa lectione eis ἀμχανίαν actus, eam quam supra attulimus edidit versionem: *Certe is in fine subjunxit epistolam Eusebii.* Quæ sunt ἀσύστατα, nam neque Athanasius Acacium antea, nec unquam*

(a) V. edit. Felckm. tom. II.



opus quoddam illius indicavit, cui epistolam Eusebii subjungeret; particula autem γούν hic aperte concludentis est, et itaque vertenda, ut ex ordine sermonis videas. Quæ sequuntur autem in Nannii versione vitio laborant: *Unde eos et Christi perduelles videas, et in primis Acacii adversus præceptores suos stoliditatem deprehendas.* Nam ut vel mediocriter perito liquidum est, sic legendum et vertendum est: *Itaque in fine subjecti Eusebii epistolam, ut Christi hostium ac præcipue Acacii in suos magistros perfidiam (seu ingratum animum) ex ea liquido cognoscas.* Et sane cum duo antiquissimi omnium codices in fine libri *De decretis Nicænis* epistolam Eusebii subjunctam habeant, hinc demonstratur ab ipso Athanasio vere subnexam fuisse: nunquam enim cogitasset amanuensis ipsam huic operi subnectendam exquirere, si non adfuisset. Nam quod alius posterioris ævi et infimæ notæ codex ipsam non circumferat, nihil mirum: quia ut persæpe in Athanasii edito monuimus, amanuenses, cum levandi laboris, tum quæstus causa, multa etiam necessaria prætermittebant, ut majus ex opera et labore suo lucrum accederet. Hæc satis superque sunt. Siquidem etiamsi epistolam Eusebii non subjunxisset Athanasius, quod tamen fecisse illum certissimum est, quid mali admisissimus, eam subnectendo, de qua scilicet pluribus agit ille in libro *De Nicænis decretis*?

Cæterum quod ille scriptor eruditus Eusebium ab Arianismo purgare nitatur, etsi pari atque cætera *ἀρχαῖα* id tentaverit; nihil curo. Quid ea de re sentiam ex ipsis Eusebii scriptis, submotis pro more altercationibus, declaravi in Præliminaribus ad *Commentaria Eusebii in Psalmos*. Quod autem adjicit idem: *Et quidem parum hac in parte audiendi sunt scriptores pontificii* (sic Catholicos vocare libuit), *jurati utpote Eusebii hostes, causam non dissimulante Baronio*; id non vere dicitur: non desunt enim apud Catholicos, qui Eusebii partes tueantur; et quidem prohibente nemine. Quod si multo plures in Eusebium sententiam dicant, quid inde arguas, nisi Eusebium adeo frequentes et perspicuas Arianismi notas tum gestis tum scriptis suis dedisse, ut paucissimi pro illo, innumeri contra semper steterint?

Adde, Erasmum, qui prior illam Athanasii epistolam Latine vertit, eam ipsam, quam nos, lectionem Græcam secutum esse. Locus Athanasii sic habet. Καὶ τοῦτο οἶδε καὶ Ἀκάκιος, ἂν μὴ καὶ αὐτὸς φοβηθεὶς νῦν διὰ τὸν καιρὸν ὑποκρίνηται καὶ ἀρνήσεται τὴν ἀλήθειαν. Ὑπέταξα γούν ἐν τῷ τέλει τὴν ἐπιστολὴν Εὐσεβίου, ἵνα ἐκ ταύτης γνώσῃ τῶν τε χριστομάχων, καὶ κατὰ περιττὸν τὴν Ἀκακίου πρὸς τοὺς ἑαυτῶν διδασκάλους ἀγωνοσούντων· quæ sic Erasmus transtulit: *Novi hoc et Acacius, nisi nunc et ipse metu perculsus pro tempore simulat, negatque veri-*

tatem. Subjuncti igitur in fine epistolam Eusebii, ut ex hac abunde cognoscas, et istorum qui Christo rebellant, ac Acacii adversus suos doctores, ingratitudinem. Ubi vides Erasmum ὑπέταξα legisse, ut omnes antiqui codices habent, ac lectionem ὑπέταξε quæ in solo Gobleriano codice ad fidem Basiliensis exscripto, adest, amanuensis mendum esse: nam Basiliensis et Regius, ut diximus, ὑπέταξα habent. Hæc porro Erasmi versio cusa est in editione Latina Athanasii Lugdunensi an. 1532; vide fol. 263.

## ANIMADVERSIO XIII.

*Quo anno synodus Alexandrina celebrata fuerit, an 339 an 340*

Quia non ita feliciter calculum posuit Tillemontius (a), dum epistolam Julii papæ synodicam in annum 341 contulit, quæ tamen non nisi sub finem anni 342 data fuisse potest; hinc res ante Romanam synodum gestas mirifice arctare compulsus est. Nam Constantinopolitanæ sedis invasionem ab Eusebio factam, in finem anni 338, aut initium subsequentis conjicit; synodum vero Alexandrinam in medio anni 339 celebratam putat: cum enim invasionem Eusebii ea synodus memoret, post illam coacta sit oportet. Ut autem liberis spatiis veram temporum seriem teneamus, a reditu Athanasii orsi, sic omnia ad verum ordinem redigi posse censemus. Athanasius Treveris exsul, a Constantino juniore remigrandi veniam accepit, datis ad eam rem xvii Junii litteris (b); idque anno, ut nobiscum censet Tillemontius, 338. Sub finem Junii profectus Athanasius, Viminacii ad Danubium Constantium adiit; inde Constantinopolim petiit: atque criminationi quam Macedonius episcopo suo Paulo obtulit præsens fuit: sed postea reconciliata gratia Macedonius Paulo junctus, solito presbyteri munere fungebatur. Sub hæc autem Constantius, dum in Orientem contra Persas concederet, Athanasium eodem itinere patriam repetentem Cæsareæ in Cappadocia iterum vidit et allocutus est, mense Septembri: nam Constantius jam Antiochiam venerat mense Octobri: quippe qui v Idus Octobris legem Antiochiæ dederit *De decurionibus*, ut videas in codice Theodosiano. Contra Persas igitur properans Antiochiam venit. Inde Octobri mense D Emesam, ubi data lex est *De decurionibus*, v Kal. Novembr. Paulo post ad Persarum confinia vectus in Mesopotamiam, Edessæ consedit, ut ait Libanius oratione ad Theodosium, ubi tamen lapsu graphico Emesam legitur; sed haud dubie Edessam legendum, ut et alibi: quæ postrema urbs in Mesopotamia erat. Inde reversus Antiochiam, legem dedit ad Acyndinum præfectum prætorio *De temporum cursu*, vertente anno 338, scilicet vi Kal. Januarii. Ineunte anno 339, cum in Syria degeret Constantius, Laodiceæ data lex est *De verborum formulis* (in codice Justin.) Kalend. Februarii.

(a) Note 58.

(b) *Apol. contra Arianos*, p. 152; *Apol. ad Constant.*, p. 236; *Hist. Arian. ad monachos*, p. 275.

Paulo post idem imperator Heliopoli in Phœnice leges dedit, pridie Idus Martias, scilicet quartam, *De maternis bonis*, et octavam, *Qui admitti ad bonorum possess.* Eodem mense Martio reversus est Antiochiam : ibidemque data est lex prima, *De incestis nuptiis*, pridie Kal. Aprilis. Hinc profectus Constantinopolim Constantius, Idibus Augusti legem ii dedit : *Ne Christianum mancipium.* Hoc posito, eoque certissimo rerum ordine, propalam est Constantium, medio circiter anno 338 contra Persas profectum, non ante medium anni 339 Constantinopolim revertisse. Ibi vero, instigante Eusebio, synodum coegit, in qua, accusationem, redintegrante Macedonio, Paulus depositus, Eusebiusque ejus in locum subrogatus est. Hinc vero manifeste ruit illa nuperi scriptoris computatio, qua synodum Alexandrinam centum episcoporum in medio anno 339 celebratam putat : nam cum ea synodus Eusebii intrusionem, multaque alia deinde gesta Eusebianorum commemoret, post illam coacta sit oportet. Pauli vero, cui subrogatus Eusebius est, depositio, accusante Macedonio peracta est : siquidem Macedonius, qui, uti supra diximus, cum patriam repetens Athanasius Constantinopolim advenisset, illo præsente, Paulum reum egerat, deinde reconciliata gratia, a cœpto destitit. At vixdum elapso a prima accusatione anno, instigante Eusebio, antistiti suo iterum crimen obtulit, unde Pauli abdicatio et Eusebii invasio consecutæ sunt.

Hic vero Tillemontius iis (a), quos ipse sibi nemine auctore præscripserat, aretatus limitibus, ne Macedonii accusationem illam priorem sub Constantio (nam sub Constantino semel, sub Constantio bis in crimen vocatus est), quæ mense circiter Augusto anni 338 facta sit oportet, reconciliatam gratiam, inducias illas et pacem aliquanto tempore servatam, Constantinopolitanam synodum, repetitam accusationem et abdicacionem Pauli ; hæc, inquam, omnia quatuor mensium spatio includere cogatur ; priorem illam sub Constantio ab Athanasio memoratam accusationem in annum 336 conjicit, non animadvertens se Athanasio, quem tamen auctorem assert, manifeste repugare : accusationi namque priori sub Constantio, de qua verba facit Athanasius, ipse præsens interfuit, *πρόντων*, inquit, *ὁμῶν κατὰ τὴν κατηγορίαν.* Neque potuit ille alteri, Paulo episcopo oblata, criminationi anno 336 interesse, Constantino videlicet imperante ; quippe qui anno 335, Alexandro Pauli decessore superstitie, in Gallias relegatus sit, et anno tantum 338, sub finem Junii Treviris profectus ab exilioque redux Constantinopolim venerit.

Ex supradictis planum est non posse stare Tillemontii calculum, qui medio anno 339 celebratam putat Alexandrinam synodum, cum maxime illa non intrusionem Eusebii modo, sed etiam bene multa alia commemoret post sedis Constantinopolitanæ

A invasionem ab Eusebio et sociis perpetrata. Verum ex repetito rerum gestorum ordine id exploratum, ut spero, cuique erit. Athanasius Cæsareæ in Capadocia Constantium allocutus, inde pedestri itinere per Syriam et Palæstiam Alexandriam petiit sub finem anni 338. Aliquanto post tempore Eusebiani, quorum in Athanasium odia nondum detumuerant, in unum coacti Arianos receperunt, Pistum Arianum Alexandriæ episcopum constituerunt, legatos Macarium, Martyrium et Hesychium ad Julium papam ; ad tres item imperatores, tunc variis in orbis partibus versantes, litteras miserunt : queis Athanasium, ut cædium et exsiliorum, postquam Alexandriam remigraverat, reum agebant : ejusque nomen apud Constantium deferebant, quod frumentum a Constantino patre viduis alendis deputatum divenderet ac propriam in rem converteret. Oblatorum apud imperatores criminum nuntium Alexandriam devenit : quibus conspectis allatisque Athanasius centum episcoporum synodum coegit. An ferendus itaque Tillemontius, qui in medium anni 339 hanc synodum celebratam velit ? Nam præter superius allata, quibus obsisti nequit, ut cum colore aliquo possent Eusebiani memorata crimina objicere ; nempe cædes et exilia post reditum irrogata, frumentum distribuendum in propriam rem distractum ; necesse fuit Athanasium aliquanto jam tempore Alexandriæ commoratum, nuntiumque commentitorum criminum Eusebians, qui tum procul agebant, missum fuisse : in synodo Eusebianorum quæ narravimus geri oportuit, mitti nuntios ad imperatores ; oblata apud tres Augustos crimina Alexandriæ renuntiari, cogi synodum Alexandrinam centum episcoporum. Quæ sane cordatus nemo, nisi volucris nuntiis usi Eusebiani fuerint, tam paucolorum mensium spatio facta concesserit ; Constantinus quippe in Galliis, Constans in Italia degebat. Anno igitur 340 celebratam Alexandrinam synodum putamus : quod ipsius Athanasii testimonio confirmatur. Is enim anno 344 sub finem Aprilis ait, fratres ejusdem synodi Alexandrinæ legatos, uti certum est, Romæ synodum anno præterito *πέρτοι* postulasse, legatis Eusebii cum Athanasianis idipsum petentibus : commode namque eundem in annum synodus ejusque legatio conferantur (b) : quod item ex præcedentibus propalam esse videtur, vix enim, ac ne vix quidem quæ a reditu Athanasii gesta feruntur anno integro accidere potuerunt. Et ideo, ut diximus, Tillemontius tantum hæc arctare compulsus est, quia synodi Romanæ tempus anno uno præverterit : quod innox spero commonstrabitur. Ad hæc vero cum pseudosynodus illa Constantinopolitana, qua intrusus in Constantinopolitanam sedem Eusebius fuit, post adventum Constantii Constantinopolim, qui sub finem Julii anni 339 certissime accidit, congregata fuerit, post anni medium celebrata illa fuit. Cum autem synodus Alexandrina

(a) Vide Till, sur S. Paul de CP.

(b) Athan, p. 95 et 112.

entium episcoporum, non intrusionem Eusebii modo, sed etiam multa alia illam consecuta commoret, nequaquam potest illa ante annum 340 coacta fuisse.

Non placet Tillemontium (a) quod diximus, Pistum ab Eusebianis in episcopum cooptatum in synodo fuisse. Ego vero fateor, illum Eusebianorum conventum, ab Athanasio, qui solus de Pisti ordinatione loquitur, synodum nusquam vocari. Verum au cœtus ille Eusebianorum, in quo Ariani ad communionem admissi, Pistus allectus, Athanasius repudiatus, tres legati ad Julium missi sunt, synodus nuncupari debeat, id eruditorum examini permittam. Scio tamen in more esse, ut talis consensus synodus appelletur. Nec sine causa queritur Athanasius synodos quotannis ab Arianis celebrari.

#### ANIMADVERSIO XIV.

*Probatur epistolam synodalem Romanam, a Julio papa datam, scriptam esse anno 342.*

Etsi perspicuum putemus celebratam illam synodum, et datam Julii epistolam fuisse anno 342, quia tamen a viris insignibus, Baronio, Hermantio et Tillemontio, pro adversa opinione naviter pugnatum est; rem qualis in Athanasii scriptis et in Julii papæ epistola enuntiatur ipsis verbis afferemus: nam horum auctoritas, annuente Tillemontio, Socratis et Sozomeni, qui plerumque res miscuerunt, testimonio longe anteponenda. Synodus Antiochena, Constantio Augusto præsentem, anno 341 celebrata est: ubi Eusebianorum opera Gregorius Cappadox Alexandriam episcopus missus est, qui Athanasium deturbaret. Præmissis autem Philagrio, ut allectum Gregorium nuntiaret, ipse Gregorius paucis post Philagrii adventum diebus Alexandriam invasit sedem. Athanasius vero post ingressum Gregorii, cum proximum periculum esset, ut scrutantium eluderet manus Paschalibus ipsis diebus se subduxit, et Romam navigavit. Hactenus, refragante nemine, sic se res habuerunt. Quid vero de rerum post gestarum serie Athanasius et Julius narrent, jam expendere libet. Post adventum Athanasii Romam Julius papa legatos misit Elpidium et Philoxenum Antiochiam ad Eusebianos, ut Athanasius post allatam Alexandrinæ synodi epistolam enarrat his verbis (b): Ταῦτα μὲν οἱ ἀπὸ τῆς Αἰγύπτου πρὸς Ἰούλιον τὸν ἐπίσκοπον τῆς Ῥώμης. Καὶ οἱ περὶ Εὐσέβιον δὲ πρὸς Ἰούλιον ἔγραψαν, καὶ νομίζοντες ἡμᾶς ἐκφοβεῖν ἤξιωσαν σύνοδον καλέσαι, καὶ αὐτὸν Ἰούλιον, εἰ βούλοιοτο, κριτὴν γενέσθαι. Ἡμῶν τοίνυν ἀνελθόντων εἰς τὴν Ῥώμην, ἔγραψεν εἰκότως Ἰούλιος καὶ ἐπὶ τοὺς περὶ Εὐσέβιον, ἀποστείλας καὶ δύο πρεσβυτέρους ἑαυτοῦ Ἐλπίδιον καὶ Φιλόξενον. Ἐκεῖνοι δὲ ἀκούσαντες περὶ ἡμῶν, ἐταράχθησαν, οὐ προσδοκῆσαντες ἡμᾶς ἀνέρχεσθαι· καὶ παρητήσαντο, προσάσεις ἀπιθάνους πορισάμενοι· id est: *Hæc quidem Ægyptii ad omnes episcopos et*

*ad Julium Romanum episcopum. Porro Eusebiani quoque ad Julium scripsere: ac sperantes se nobis terrorem incussuros, rogabant ut synodus convocaretur, et ipse Julius si vellet, iudex esset. Cum igitur Romam advenissemus, Julius, ut consentaneum erat, litteras scripsit ad Eusebianos, misitque duos e presbyteris suis Elpidium et Philoxenum. Illi vero ut de adventu nostro audierunt, consternati, quod nullatenus exspectarent nos illuc venturos, accedere renuerunt, absurdas causas commenti. Hic vides legatos Elpidium et Philoxenum post adventum Athanasii Romam a Julio papa missos. Ut autem palam sit cum adventum illum Athanasii Romam, tum legationem, post Gregorii invasionem, quæ anno 341 in Paschate facta est, contigisse, locum Athanasii ex historia ad monachos longiusculum licet afferimus.* Γράφει τοίνυν τότε Κωνσταντίος, πάντας δὲ διώκει, καὶ πέμπει Φιλάγριον Ἐπαρχον, καὶ Ἀρσάκιόν τινα εὐνοῦχον· πέμπει δὲ καὶ Γρηγόριον μετὰ στρατιωτικῆς ἐξουσίας, καὶ τοιαῦτα γέγονεν οἷα καὶ πρότερον. Συναγαγόντες γὰρ πλῆθος βουκόλων καὶ ποιμένων καὶ ἄλλων τε ἀγοραίων καὶ ἀσελγῶν νεωτέρων μετὰ ξιφῶν καὶ βολῶν, ἐπὶ πλῆθος ἀθρόως τῇ ἐκκλησίᾳ τῇ καλουμένῃ Κυρίνου· καὶ τοὺς μὲν ἀπέκτειναν, τοὺς δὲ κατεπάτησαν, ἄλλους τε πληγαῖς κατακόψαντες εἰς δεσμωτήριον ἐνέβαλον, καὶ ἐξώριζον. Πολλὰς τε γυναῖκας κατασύροντες, εἴλκον εἰς τὸ δικαστήριον δημοσίᾳ, καὶ τῶν τριγῶν ἔλκοντες ὑβρίζον· ἄλλους ἐδήμευσον, ἄλλων ἄρτους ἀφηροῦντο, δι' οὐδὲν ἕτερον ἢ ἵνα τοῖς Ἀρειανοῖς προσθῶνται, καὶ Γρηγόριον δέξωνται τὸν ἀπὸ βασιλείας ἀποσταλέντα. Ἀθανάσιος μὲν οὖν πρὶν γενέσθαι ταῦτα, καὶ μόνον ἀκούσας, ἔπλευσεν εἰς τὴν Ῥώμην, εἰδῶς τε τὸν θυμὸν τῶν αἰρετικῶν, καὶ ἵνα, ὡς ἤρεσεν, ἡ σύνοδος γένηται· ὃ δὲ Ἰούλιος γράφει, καὶ πέμπει πρεσβυτέρους Ἐλπίδιον καὶ Φιλόξενον, ὁρίσας καὶ προθεσμίας, ἵνα ἔλθωσιν· id est: *Litteras itaque scribit Constantius, ac in omnes movet persecutionem, Philagriumque mittit et Arsacium quemdam eunuchum. Mittit item Gregorium cum militari manu: resque superioribus similes gestæ sunt. Coacta quippe illi bubulcorum, opilionum, aliorum forensium ac petulantium juvenum multitudine, cum gladiis et clavis in ecclesiam Cyrini dictam irrupere: ibique alios occiderunt, alios conculcarunt, alios plagis laniant; in carcerem truserunt, in exsiliumque pepulerunt; mulieres plurimas abductas ad tribunal palam pertraxerunt, crinibusque raptatas contumeliis affecere; alios proscripsere, aliorum panes abstulere: idque nulla alia de causa, quam ut eos Arianis adherere, Gregoriumque ab imperatore missum recipere cogent. Athanasius vero antequam hæc facta essent, ad primum rei auditum Romam navigavit, quod hæreticorum furorem perspectum haberet; et etiam, prout placitum erat, synodus ibi celebraretur: Julius autem presbyteros Elpidium et Philoxenum mittit, tempusque illis (Eusebianis) præstituit, ut intra 4-*

(a) Note 38.

(b) P. 110.

ad Romam se conferrent. Ex his omnibus luce clarius est, Athanasii Romam profectionem, ac Elpidii et Philoxeni legationem, post invasionem Gregorii, quæ fatentibus omnibus in Paschate anni 341 contigit, factam fuisse. Nec quispiam, spero, negabit, nisi sponte cæcutire velit. Jam ad cætera pergamus. Eusebiani Elpidium et Philoxenum legatos usque ad Januarium mensem, nempe anni 342 detinent, et ut habet Athanasius, ultra conditum a Julio ad celebrandam synodum tempus, ὡς τοὺς μὲν πρεσβυτέρους κατασχεῖν καὶ μετὰ τὴν προθεσμίαν. Julius autem hæc habet: Οἱ ἔλθεῖν μὴ βουλόμενοι κατασχῆσαι καὶ τοὺς πρεσβυτέρους ἕως αὐτοῦ τοῦ Ἰανουαρίου μηνός, id est: *Illi quibus accedere non placuit, presbyteros quoque usque ad mensem Januarium delinuerunt.* Ex his porro Athanasii et Julii dictis facile calculum ponas. Athanasius Alexandria Romam proficiscitur paschali tempore anni 341, ut adversariorum furorem prudenti absentia falleret. Post ejus Romam adventum legatos Julius Antiochiam mittit Elpidium et Philoxenum: id una serie bis testificatur Athanasius: ad usque Januarium proximum (haud dubie anni 342) legati Antiochiæ detinentur. Id Julius narrat. Reversi Romam legati, Eusebianorum litteras Julio offerunt, quas Julius, ut testificatur ipse, aliquantum temporis penes se servavit, nec synodo protulit, sperans aliquot eorum mutata sententia ad conductum venturos. Spe tali depulsus, litteras demum recitat; Athanasius, Marcellus et Asclepas rei acti, discussis et confutatis criminibus, ad communionem admittuntur: denique annuente synodo epistolam Julius mittit, qua dicit Athanasium a mensibus octodecim Eusebianos Romæ expectare. Hæc sponte fluunt, et temporum notæ apprime quadrant: nam si legatos post fugam Athanasii, et ejus Romam adventum, profectos statuas; si usque ad Januarium mensem Antiochiæ detentos, atque sub hæc remigrasse dicas; si Julii, acceptis litteris, cunctationem, indeque synodi celebrationem, purificationem Athanasii, Marcelli, et Asclepæ, congruentibus spatiis metiare, octodecim menses in epistola Julii memoratos, quos Athanasius Romæ exegisse dicitur, nullo negotio enumeres; nimirum octo postremos anni 341, ac decem priores anni 342, ita ut mense Octobri vel Novembri epistola Julii data fuerit.

Jam vero restat ut videamus qua arte, quibusque machinis Tillemontius Julium et Athanasium ad sententiam suam detorqueat (a): nam, quod plane mirum, ut synodum Romanam et Julii epistolam in annum 341 conferat: auctoritate Athanasii et Julii, ut putat, hanc rerum temporumque seriem inducit. Legatos Elpidium et Philoxenum diu ante Gregorii invasionem, anno scilicet 340, Antiochiam profectos ait, quod ita manifeste in locis Athanasii superius allatis exploditur, ut perquidem mirum

sit virum alias accuratum et doctum hæc vel cogitasse. Januarium mensem contra fidem mancriptorum et editorum omnium vult in Junium commutari: qua facta mutatione, id absurdum sequitur, quod Julius queratur legatos suos mense, ut citius, Maio Roma profectos Antiochiam, ibi usque ad Junium ejusdem anni reditu interclusos fuisse: qui tamen vix mense Junio eodem pervenire poterint. Octodecim porro menses quos Athanasium Eusebianos expectantem exegisse Romæ testatur Julius papa, ita vult ille computari, ut hujus temporis pars ab anno 340, quo venisse Romam Athanasium comminiscitur, ineatur; hinc Alexandriam rediisse putet, et aliquot ibi menses moratum, remigrasse Romam, et aliquot iterum menses ibi substituisse: atque ita calculum ponit, ut octodecim menses partim ante profectum ejus Alexandriam, et moras ibidem; partim post reditum Romam constituat. En Julii verba: Καὶ γὰρ πρὸς τοὺς παῖσι, παρέμεινεν ἑνταῦθα ἑνιαυτὸν καὶ ἕξ μῆνας, ἐκδεχόμενος τὴν παρουσίαν ὑμῶν, ἧ τῶν βουλομένων ἔλθεῖν· τῇ δὲ παρουσίᾳ ἐδυσώπει πάντας· ὅτι οὐκ ἂν παρῆν, εἰ μὴ ἐθάρρει· id est: *Etenim præter hæc omnia, annum unum et sex menses hic remansit, ut adventum vestrum, aut eorum qui huc se conferre vellet, expectaret; suaque præsentia omnes pudore afficiebat: non adfuturus quippe, nisi causæ suæ confidisset.* Sane nisi Julii dicto palam vis inferatur, hic octodecim continuos, nec longa et diuturna peregrinatione interceptos menses intelligas oportet. Nam si per Romanum otium xviii mensium Athanasius Tiburem aut Tusculum se contulerit, fatemur id nihil officere, quominus octodecim mensibus Romæ expectantem consedis dicatur; verum si anno 340 Romam commigraverit, ibique novem menses exegerit; deinde Alexandriam reversus, aliquot ibi menses consederit, tum Romam repetierit, et novem iterum menses ibi manserit; nequidquam dicatur ab octodecim mensibus eum Eusebianos in Oriente positos expectasse. Ad hæc vero, ne Tillemontius quidem, rerum et gestorum serie ad arbitrium suum ordinata, potest octodecim illos menses, quos Romæ Athanasium egisse narrat Julius, reperire. Siquidem fatetur ipse legatos Athanasii et synodi Alexandrinæ anno 340 cum legatis Eusebianorum disceptasse coram Julio papa, cum adhuc Athanasius Alexandriæ degeret, ἡνίκα καὶ Ἀθανάσιος ὁ ἐπισκοπος ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἦν, ait Julius. Athanasius vero non ante Romam profectus est, quam legati redirent. Jam vero extremis omnia lineis in gratiam Tillemontianæ opinionis ponamus, dicamusque, legatorum disputationem mense Januario contigisse, ipsosque mox profectos mense Februario Alexandriam advenisse, Athanasium statim a legatorum reditu conscensa navi Romam mense Martio adventasse, ibique mansisse ad finem usque anni

(a) Tillemont, note 40, et *Vie du pape Jule*, n. 4.

Cjusdem. Hinc remeasse Alexandriam, ubi, fatente A Tillemontio, aliquot menses substitit; invadente Gregorio, denuo aufugisse Romam, profectumque sub Aprilis finem, mense Maio advenisse: demum epistolam Julii papæ, qua dicit Athanasium ab octodecim mensibus Romæ exspectare, datam fuisse mense Augusto vel Septembri anni 341, ut vult Tillemontius (a): sic rebus in gratiam sententiæ illius, etiam præter verisimilitudinem compositis, xviii mensium numerum non conficias, nam si novem anni 340 menses, quatuor aliis (a Maio nempe ad usque Augustum vel Septembrem) adjungas, tredecim aut ad summum quatuordecim reperias. Ita omni ex parte labitur isthæc opinio. Omnes itaque temporis notas Tillemontius elusit: et certe hujusmodi sunt illæ, ut si vel una maneat, tota ejus supputatio subruat: nam si legati Julii post invasionem Gregorii et fugam Athanasii profecti sint, ad nostram accedat sententiam necesse est, perindeque si stet lectio manuscriptorum et editorum, quæ legatos ad Januarium usque mensem reditu interclusos ait; vel si octodecim continuos menses Romæ mansisse Athanasium dicatur, anno 342 epistola Julii data sit oportet: quod ipse Tillemontius fatetur. Cum contra si vera et asserta lectio servetur; si dicta Julii et Athanasii pura nec distorta maneant, res nativo ordine per se consistat.

Verum obnititur Tillemontius: Eusebiani Romanæ synodi iudicium in Antiochena synodo in- C eunte anno 341 celebrata præverterunt: non potuerunt autem prævertere, nisi indicta illis antea fuisset, indicta vero fuit Romana synodus per legatos Elpidium et Philoxenum: unde sequatur Elpidium et Philoxenum ante annum 341 venisse Antiochiam, ut Romanam synodum indicerent. Qua in re sane vir eruditus se Athanasii et Julii verba non sat ponderasse testificatur. Nam Athanasius quidem, postquam Gregorii carnificinæ se subdlexerat anno 341, Paschalibus diebus, hæc scribit: Καὶ πέρυσιν οἱ κατὰ Ῥώμην ἀδελφοί, μήπω τοῦτων γενομένων, ἀλλ' ἕνεκα τῶν πρώτων, σύνοδον ἐγράψαν γενέσθαι, ἵνα κάκεινα ἐκδικηθῆ· ἦν περ εὐλαβοῦμενοι οἱ περὶ Εὐσέβιον, προύλαβον διαταράξαι τὴν Ἐκκλησίαν· hoc est: Etiam anno præterito fratres nostri, qui Romæ sunt, his nondum actis, sed propter alia quæ prius contigerant, synodum cogendam esse scripserunt, ut de illis ultio sumeretur: quam reformidantes Eusebius et socii, Ecclesiam conturbare præverterunt. Illis luce clarius est, jam anno 340 de synodo agenda Romæ statutum fuisse, et quidem cum nondum Athanasius Romam venisset: ac tunc synodum per alios quam Elpidium et Philoxenum indictam esse, ut ex Julii dictis videas. Ait enim ille, Macarium presbyterum, Martyrium et Hesy-chium diaconos, Eusebianorum legatos, antequam Athanasii oratores accederent, rogasse ut Alexan-

driam Pisto-cuidam pseudepiscopo litteras mitteret Julius, quo tempore Athanasius Alexandriæ degebat, ἤνιχα καὶ Ἀθανάσιος ὁ ἐπίσκοπος ἐν Ἀλεξανδραῖς ἦν. Cum advenissent autem Athanasii oratores, nec valerent Eusebianorum legati eorum argumentis obsistere, synodum in qua res accuratius indagaretur postularunt: qua impetrata, tunc primo Eusebians synodum indixerunt: illi vero conscientia scelerum perterriti, in Antiochena synodo anno 341 ineunte celebrata, Romanæ synodi decreta præverterunt, deinde Gregorium Alexandriam episcopum miserunt qui Athanasium deturbaret. Athanasio autem anno 341 sese propiciente et Romam profecto, tunc demum Julius per legatos Elpidium et Philoxenum Romanam synodum secundo indixit. Ex allatis quippe duobus locis propalam est tum primo postulatam impetratamque synodum fuisse, cum Athanasius Alexandriæ ageret, et antequam Romam veniret. Cum autem perinde liquido constet, legatos Elpidium et Philoxenum, Athanasio Romæ præsentem, missos fuisse, qui Eusebianos ad synodum provocarent, diemque ipsis præstituerent; planum certe est synodum illam Romanam bis indictam fuisse: atque ita ruit tota scriptoris nuperi conjectura. Cur autem postquam anno 340 indicta fuerat, tantum spatii elapsum sit, ut secundo indicere necessum fuerit, haud difficile est augurari: cum videret enim Athanasius sub finem anni 340 cogi Antiochenam synodum, quæ initio anni 341 celebrari cœpta est; non nescius id in suam perniciem et expulsionem moliri Eusebianos, ne absente se quasi vacuum sedem novo a se creato episcopo traserent, ad adventum usque Gregorii Alexandriæ resedit.

Quod autem Athanasius post invasionem Gregorii Romam primo venerit anno 341, neque alia anno 340 Romam profectio statuenda sit, perspicuum sane est, cum ex iis quæ hactenus diximus, tum maxime ex primo, quem supra attulimus, loco, ubi dicitur: Πορρο Εὐσεβιανὸν quoque ad Julium scripserunt: ac sperantes se nobis terrorem incussuros, rogabant ut synodus convocaretur, et ipse Julius si vellet iudex esset. Cum igitur Romam advenissemus, Julius, ut consentaneum erat, litteras scripsit ad D Eusebianos, misitque duos ex presbyteris suis Elpidium et Philoxenum. Illi vero, ut de adventu nostro audierunt, consternati, quod nullatenus exspectarent nos illuc venturos, accedere renuerunt, absurdas causas commenti. Quod si anno 340, postquam primo indicta synodus Romana fuerat, Athanasius Romam profectus esset, an id Eusebians ignorassent; solumque mense Junio Juliove anni sequentis, narrantibus Julii papæ legatis, edidicissent, qui in deturbando Athanasio toti erant? id certe ne somnari quidem potest. An vero sileri poterat ille Romam profectus ab Athanasio, dum anno 341 paschalibus diebus, antequam Romam demigraret,

(a) Vie de S. Jule, art. 8.

hæc scriberet : *Etiâ anno præterito, fratres nostri, qui Romæ sunt, his nondum actis, sed propter alia quæ prius contigerant, synodum cogendam esse scripserunt, ut de illis ultio sumeretur : quam reformidantes Eusebius et socii, Ecclesiam conturbare præverterunt?* Si ipse ad synodum celebrandam eo se contulisset, ut cum Eusebianis coram synodo concertaret; ac Eusebianis accedere non ausis, re infecta, remeasset Alexandriam, an id prætermitti poterat? Hoc silentii genus, in re prorsus necessario dicenda, si quidem gesta fuisset, adversam sententiam obruere nemo eat inficias.

Ut autem videas quantum præjudicata opinio valeat, ait Tillemontius : Si Januarius mensis, quo Eusebiani legatos Julii Elpidium et Philoxenum dimiserunt, steterit, et si anni 342 fuerit, hinc consequetur synodum Antiochenam centum fere episcoporum, quæ ineunte anno 341 celebrata est, usque ad annum 342 prolata esse, quod haud verisimile. Et hæc causa est, ut contra fidem manuscriptorum et editorum omnium pro Januario velit Junium apponi. Sic ille, non animadvertens epistolam Julii, cui afferendæ deputatus est Gabrianus comes, non ad synodum illam mitti, sed ad Danium, Flacillum, Narcissum, Eusebium et alios episcopos; neque ullam in epistola Julii synodi tum Antiochiæ consistentis mentionem haberi : miror prorsus a mente nuperi scriptoris excidisse, epistolam Julii responsionem esse, non ad synodum missam, sed ad illos qui se litteris provocarant episcopos, ut ipse passim innuit in epistola sua. Ecquid ergo abs re nobis synodum, et nimiam synodi durationem obtulit? Hic ne gr̄o quidem contra russionem liceat.

Pergit ille, verisimile non est synodum Romanam pro mense Decembri, incommoda scilicet tempestate, indictam fuisse : quod tamen innuere videntur Julius et Athanasius, dum aiunt, legatos Elpidium et Philoxenum ultra præfinitum ad synodum celebrandam tempus, ad usque Januarium mensem ab Eusebianis detentos fuisse; tum credibile non esse legatos mense Januario, media nempe hieme, ab iisdem dimissos fuisse. Hæc omni ex parte labuntur; nam etsi daretur synodum ad mensem Decembrem indictam fuisse, non procul exemplum petenda essent, ad comprobandum id non præter consuetudinem admitti : quando numerosa illa synodus Antiochena ex omnibus, etiam extremis, Orientis partibus collecta, ineunte anno 341 media videlicet hieme, celebrata est, ut fatetur vel ipse Tillemontius : quare nihil hinc vel ad synodi Romanæ celebrationem, vel ad profectionem legatorum obicis adesset : cum præsertim Eusebiani, non ita humani et opportuni essent, ut curarent adversane an commoda tempestate legatos Julii, cui tunc infesti erant, dimitterent. Quid quod nec Athanasius nec Julius aiunt, vel ad Decembrem vel ad alium

A mensem indictam synodum fuisse; sed duntaxat legatos ultra præfinitum tempus ad Januarium usque reditu interclusos narrant, nec indicant quodnam definitum illud tempus fuerit? Ex his porro videas nuperum scriptorem levissimis conjecturis planas et nullis circuitionibus enuntiatas temporum notas impetere.

## ANIMADVERSIO XV.

*Ἀν πυκτῖα τῶν θείων Γραφῶν, quæ Constanti Augusto Athanasius misit, idem sint quod synopsis Scripturæ sacræ; et an synopsis illa sit vere Athanasii.*

Athanasius in *Apologia ad Constantium* (a) hæc habet : Τῷ ἀδελφῷ σου οὐκ ἔγραψα, ἢ μόνον ὅτε οἱ περὶ Εὐσέβιον ἔγραψαν αὐτῷ κατ' ἐμοῦ, καὶ ἀνάγκην ἔσχον, ἔτι ὢν ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ, ἀπολογησασθαι· καὶ ὅτε πυκτῖα τῶν θείων Γραφῶν κελεύσαντος αὐτοῦ μοι κατασκευάσαι, ταῦτα ποιήσας ἀπέστειλα· hoc est : *Fratri autem tuo nequaquam scripsi, nisi postquam Eusebiani, missis adversum me litteris, necessitatem mihi intulere, cum adhuc Alexandriæ degerem, eorum calumnias propulsandi : iterumque cum illo præcipiente ut divinarum Scripturarum libros adornarem, confectos ad ipsum transmisi.* Hæc πυκτῖα τῶν θείων Γραφῶν vult Tillemontius (b) esse synopsis Scripturæ sacræ, quam nos inter dubia opera secundo tomo cusimus. Sed ad quæstionis notitiam, quærendum statim quid sint πυκτῖα, quidque ævo maxime Athanasii hoc vocabulo indicaretur. Unde miror Tillemontium, qui nostrum in synopsis monitum legisse se testificatur, nihil pensi habuisse quid de hujus vocis significato perspicuis exemplis dixerimus! Juvat itaque quid sint τὰ πυκτῖα pluribus indagare. Suidas τὸ πυκτῖον sic explicat, τὸ βιβλίον ἀπὸ τοῦ πυκτίζω, ὃ ἐστὶν ἀσφαλίζεσθαι καὶ συγκλείεσθαι, id est, πυκτῖον, a verbo πυκτίζω, quod significat compingere et concludere. Est itaque πυκτῖον liber compactus sive volumen : neque hac voce intelligitur liber qui dicitur tractatus aut quid simile; ut et innox afferendis locis propalam erit. Nam Gregorius Naz., oratione xx, sic habet : Ὅσον ἐνὶ τῶν ἀκολούθῳν εἰπεῖν, ἀραμένω τὸ πυκτῖον ἀκολουθεῖν· id est : *Quam uni ex asseclis, ut se accepto libro sequeretur, imperaret; et orat. 6 : Ὅτι μοι πυκτῖον ἐν χερσὶ τοῦ Ἀπολλιναρῖου, mihi in manibus esse librum Apollinari; et epist. 64 : Τῶν δὲ πυκτῖων ὢν ἤτησας, τὸ μὲν εὖρον, καὶ ἐπεμψά σοι προθύμως· τὸ δὲ ἐξημιώθη, οὐκ ἔχων οἴου χρῆσεις, τὴν Ἰλιάδα· Ex libris porro quos postulas, alterum inveni, eumque ad te libenter misi; alterum quem postis damno meo non habeo, nimirum Iliadem; ep. 87 : Πυκτῖον ἀπεστάλαχάμεν σοι τῆς Ὀριγένους Φιλοκαλίας· Librum ad te misimus Origenis Philocaliæ; epist. 165 : Τὸ πυκτῖον ὅπερ εἰληφας παρ' ἡμῶν, τὰς Ἀριστοτέλους ἐπιστολάς· Librum quem a nobis accepisti, Aristotelis Epistolas; et postea : Ἀττεῖς πυκτῖα παρ'*

(a) P. 236.

(b) Vie de S. Athan., art. 37, et note 45.

ἡ μὲν εἰς ῥητορικὴν ἀνηθάσκων· *Libros a nobis ex- A*  
*petis, ad rhetoricam repubescens;* et epist. 199 : Ἰδοῦ  
 σοι τὰ πυκτῖα, ἅπερ ζητεῖς, ὅσα τοὺς σῆτας διέφυγε,  
 καὶ τὸν καπνὸν ὑπὲρ οὐ κατέκειτο· *En libros eos a*  
*nobis habes, quos postulas, eos, inquam, omnes, qui*  
*tineas effugerunt, fumumque supra quem siti erant.*  
 Gregorius item Nyssenus epistola ad Petrum fra-  
 trem : Μόλις ἐπιτυχῶν βραχείας σχολῆς, τῇ τε τοῦ  
 σώματος θεραπεία προσχεῖν ἠδυνήθη, μετὰ τὴν ἐκ  
 τῆς Ἀρμενίας ἐπάνοδον, καὶ συναγαγεῖν τὰ σχεδάρια  
 τὰ πρὸς Εὐνόμιον κατὰ συμβουλήν τῆς σῆς συνέσεως  
 ὑπηγορευμένα· ὥστε μοι λοιπὸν εἰς λόγου σύνταξιν  
 συναρμολογήσῃαι τὸν πόνον, καὶ πυκτὸν ἤδη γεγε-  
 νῆσθαι τὸν λόγον· *Vix tantillum otii nactus, post*  
*meum ex Armenia reditum, curando corpori operam*  
*dare potui, et schedulas contra Eunomium prudentiæ*  
*tuae consilio dictatas in unum colligere; ita ut labor*  
*ille meus in tractatus formam concinnatus sit, et*  
*jam tractatus ille in libri magnitudinem excre-*  
*verit.*

Innumera proferre licet his similia loca, quæ  
 palam fiat πυκτῖα τῶν θεῶν Γραφῶν nihil aliud  
 esse, quam libros Scripturarum sacrarum plura in  
 volumina compactos, non vero synopsis Scripturæ  
 sacræ : quemadmodum πυκτῖον Ἀπολλιναρίου est  
 liber Apollinarii, et πυκτῖον Ὀριγένους *Φιλοκα-*  
*λίας* est liber *Philocaliæ* Origenis, etc. Nec abs re  
 erit monere apud Græcos eodem sensu usu venire  
 vocem πυκτῖς, ἴδος, in codice quippe Regio 2284, x  
 sæculi ingentis molis, hic titulus præmittitur, Πίναξ  
 ἀκριβῆς τῆς παρουσίας πυκτῖδος, hoc est, *Index ac-*  
*curatus hujusce libri.* Igitur Scripturæ sacræ libros,  
 Græce haud dubie exaratos, Constans Augustus ab  
 Athanasio expetiit, et ab illo catholicarum partium  
 in Oriente principe descriptionem accurari voluit :  
 certus, hoc vigilante doctore, sacras litteras pu-  
 ras, nec hæreticorum ausibus vitiatas, se nacturum  
 esse.

Synopsis autem Scripturæ sacræ germanum  
 Athanasii fetum esse defendit Tillemontius (a) : ne  
 minimamque ibi νοθεύς suspicionem deprehendit.  
 Nobis secus videtur : nam multa occurrunt quæ  
 Athanasio nostro abjudicandum opus esse sua-  
 deant ; nostro dixi, nihil quippe obest quominus  
 alteri cognomini ascribatur. Primo quidem scrupu-  
 lum movet, quod nemo veterum tam insigne  
 opus, tam prolixum, memoret ; maximeque quod  
 Hieronymus id taceat, qui in Præfationibus ad sa-  
 cram Scripturam alios bene multos scriptores af-  
 fert, argumento minus opportunos, Apollinarium,  
 Ammonium, Hesychium et alios. Ad hæc, in an-  
 tiquis Athanasii collectionibus hæc synopsis nus-  
 quam habetur : et quod magis urgeat, in colle-  
 ctionibus canonum omnibus perantiquis, ubi κα-  
 νονικά Athanasii in Scripturam sacræ feruntur,  
 una comparat epistola festalis 39, ex numero Festa-

lium, quas Hieronymus ab Athanasio datas memo-  
 rat, in qua ex transcurso Scripturæ sacræ libri  
 recensentur : itemque aliorum SS. PP. canones  
 Scripturarum afferuntur. Ibi vero ne verbum qui-  
 dem de synopsi Athanasii, quæ cæteris omnibus  
 præstat et eruditione, et accurata omnium quæ ad  
 Scripturam spectant mentione. Hoc sane opus non  
 poterat, si quidem pro Athanasiano habitum fuis-  
 set, reticere, ubi de industria Patrum canones circa  
 Scripturam sacræ instituuntur. Præterea hæc syn-  
 opsis, quod gravius est, cum epistola festali Atha-  
 nasii non consonat : nam epistola præmissis Scri-  
 pturæ libris, qui in canone locabantur, de aliis  
 hæc subjicit (b) : Ἔστι καὶ ἕτερα βιβλία τούτων  
 ἐξωθεν, οὐ κανονιζόμενα μὲν· τετυπωμένα δὲ παρὰ  
 τῶν πατέρων ἀναγινώσκεισθαι τοῖς ἄρτι προσερχο-  
 μένοις, καὶ βουλομένοις κατηχεῖσθαι τὸν τῆς εὐσε-  
 βείας λόγον· σοφία Σολομῶντος, καὶ σοφία Σιράχ,  
 καὶ Ἑσθήρ, καὶ Ἰουδίθ, καὶ Τοβίας, καὶ διδασχὴ κα-  
 λουμένη τῶν ἀποστόλων, καὶ ὁ Ποιμήν. Καὶ ὅμως,  
 ἀγαπητοί, κάκεῖνων κανονιζόμενων, καὶ τούτων  
 ἀναγινωσκομένων, οὐδαμοῦ τῶν ἀποκρύφων μνη-  
 μη· id est : *Præter hos alii libri sunt, qui in ca-*  
*none quidem non habentur; sed quos a Patribus de-*  
*cretum est legendos ab iis esse, qui nuper ediscendi*  
*pietatis verbi gratia accesserint : Sapientia Salomo-*  
*nis, et Sapientia Sirach, Esther, Judith, Tobias,*  
*Doctrina, ut vocant, apostolorum et Pastor. Attamen,*  
*dilecti, cum illi in canone reponantur, hi legantur,*  
*nusquam est apocryphorum mentio. Sic Athanasius.*  
 At auctor synopsis (c) longe diversum horum ca-  
 talogum textit : *De libris, ait, Veteri Testamenti,*  
*quibus contradicitur, jam antea diximus; ut sunt,*  
*Sapientia Salomonis, Sapientia Jesu filii Sirach,*  
*Esther, Judith et Tobias. Istis etiam connumerantur*  
*Machabaici libri quatuor, Ptolemaici, Psalmi et*  
*Canticum Salomonis, Susannæ historia. Hi ex Ve-*  
*teri Testamento sunt, quibus contradicitur.* Deinde  
 vero postquam apocryphos recensuit, ad ἀντιλεγό-  
 μενα Novi Testamenti transit : *Periodi Petri, in-*  
*quit, Evangelium secundum Thomam, Doctrina apo-*  
*stolorum, Clementina. Ubi vides librum Pastoris,*  
 non in epistola solum festali, sed alibi quoque, ut  
 perutilem ab Athanasio laudatum, silentio præter-  
 mitti, aliosque libros induci bene multos ab Atha-  
 nasio nusquam memoratos. Huic argumento ut oc-  
 currat Tillemontius, hæc postrema adjectitia esse  
 ait. Verum quis audeat asserere istæc invecta  
 fuisse? nemo negaverit hæc ad scriptoris scopum at-  
 tinere, qui accuratissime, ut videre est, omnia ad  
 Scripturam sacræ spectantia in recensione sua  
 attingere voluit. Sane cum hæc aptissime cohæ-  
 reant, nec valeant Athanasio ascribi, hinc conse-  
 quitur in totam synopsis parem suspicionem ca-  
 dere.

Nec prætermittendum, ea quæ de veteribus Scri-

(a) Note 45.

(b) P. 768

(c) Tom. II [nunc IV].

pturæ interpretibus subjiciuntur, de Aquila scilicet, A Symmacho, Theodotione, etc., ex Epiphani libro *De mensuris*, expressa et a synopsis auctore in compendium redacta fuisse, ut cuius legenti propalam erit. Hæc vero Athanasii non esse fatetur ipse Tillemontius : sed pro more suo ille adjectitia et secundæ manus esse dicitur. Id autem gratis omnino dicitur : nihil quippe illic præter primum scriptoris institutum fertur : hæc recensere debuit is, cui exactam rerum ad sacram Scripturam spectantium notitiam tradere in animo fuit ; hunc vero scriptoris scopum fuisse, nemo qui legerit inficias eat. His nos de causis synopsis Scripturæ sacræ dubiam et suspectam habemus : qua in re, spero, quivis emunctæ naris homo nobis astipulabitur.

## ANIMADVERSIO XVI.

*An cæsi in Fabrica Adrianopolitana ecclesiastici laicive fuerint.*

Est locus in *Historia Arianorum ad monachos*, p. 280, qui sic habet : Καὶ πεποιήκασιν ἀπὸ τῆς ἐκεῖ Φάβρικος δέκα λαϊκῶν ἀποτμηθῆναι τὰς κεφαλὰς · ubi de episcopis Arianis agitur, qui Sardica fugientes omnia tumultu et cædibus replebant : *Effeceruntque ut ex Fabrica, ita scilicet dicta, decem laicorum capita truncarentur.* In editione vero Commeliniana legitur, δέκην λαϊκῶν, typographorum sane mendo : quæ lectio in editione item Parisiensi anni 1627 ad Commelinianæ fidem exprimitur. Veram nos lectionem, ut supra, ex optimis codicibus et nominatim ex Regio perantiquo, restituumus : iis item suffragatur Nannius, qui ita vertit, *decem laicorum capita.* In Commeliniana lectione aptam sententiam frustra quæras : nam quid, quæso, sibi vult illud : *Effeceruntque ut ex Fabrica instar laicorum capita præciderentur?* Hanc tamen vitiatam lectionem Tillemontius, Hermantium secutus, veræ anteposuit, atque ita vertit ac si legeretur, Πεποιήκασιν ἀπὸ τῆς ἐκεῖ Φάβρικος ἐκκλησιαστικῶν δέκην λαϊκῶν ἀποτμηθῆναι τὰς κεφαλὰς · *Effeceruntque ut ex Fabrica ecclesiasticorum instar laicorum capita præciderentur.* Sic ille suo Marte, cum tamen ecclesiasticorum in Adrianopolitana Fabrica cæsorum nulla uspiam mentio habeatur, et alia quam asseruimus lectio optime habeat. Fabricenses autem Adrianopoli magno numero fuisse ab Ammiano Marcellino memoratur. *Omnem plebem*, inquit Ammianus Marcellinus (a), *cum Fabricensibus, quorum illic ampla multitudo.* Cum itaque Ariani episcopi, stimulante scelerum conscientia, quo Sardicensis synodi iudicium subterfugerent, Sardica se proripuisent, ubi conspexerunt Adrianopolitanos se perfidie timiditatisque nomine aversari, atque a communionem abhorrere sua, ministro usi Philagrio, auctores fuerunt ut ex Fabricensibus, qui pars magna civitatis erant, decem capite minuenterent. Qua in re nihil dubii difficultatisve residuum

(a) Lib. xxxi, c. 6. De Fabricensibus item in *Notitia Imperii* videsis.

(b) Athan. p. 129 et 280.

## ANIMADVERSIO XVII.

*Theodulum Trajanopolitanum tempore Sardicensis synodi defunctum esse probatur.*

In editionibus Athanasii Commeliniana et Parisiensi anni 1627 locus aperte vitiatus exstat, unde exortæ de obitu Theoduli Trajanopolitani controversiæ sunt. Locus sic habet iisdem in editis (b) : Ὁ οὖν συλλειτουργὸς ἡμῶν ὁ μακαρίτης Θεόδουλος, φεύγων αὐτῶν τὴν διαβολὴν· κεκέλευστο γὰρ ἐκ διαβολῆς αὐτῶν ἀποθανεῖν. Hanc clausulam manifeste mutilam ex Regio exemplari antiquissimo sarcivimus hoc modo : Ἀπέθανεν οὖν ὁ μακαρίτης Θεόδουλος, φεύγων αὐτῶν τὴν διαβολὴν· κεκέλευστο γὰρ ἐκ διαβολῆς αὐτῶν ἀποθανεῖν · id est : *Obiit certe comminister noster beatæ memoriæ Theodulus, dum iis calumniantibus fuga sibi consuleret : ob eorum quippe criminationem, capitis fuerat damnatus.* Quæ lectio plane asseritur ex Hilarii versione epistolæ synodi Sardicensis dictum illud præferentis : quæ versio eodem tempore concinnata, magni est ad lectionem confirmandam momenti. *Decessit enim*, sic ibi, *cœpiscopus noster, beatissimus Theodulus.* Et sane vox μακαρίτης, quæ cum apud Athanasium, tum apud Theodoretum, qui eandem synodi Sardicensis epistolam attulit, circumfertur, de defuncto solum dicitur. Unde ejusdem Theodreti lectionem corrigas, quæ sic habet, Ἀνέστη γοῦν ὁ συλλειτουργός, ubi tamen doctissimus Valesius sic interpretatur, *Obiit igitur comminister* : hancque putat esse dicti sententiam. At quod Valesium et Tillemontium (c) εἰς ἀμχανίαν egit, Athanasius in *Historia Arianorum ad monachos*, post enarrata Sardicensis synodi gesta, hæc de Arianis episcopis subjicit : Οἱ δὲ κληαιρεθέντες, δέον καὶ οὕτως ἡρμενεῖν · οἱ δὲ καὶ μετὰ τὴν οὕτως αἰσχρὰν φυγὴν κατελθόντες, τοιαῦτα ἔδρασσαν, ὡς ἐκ τούτων μικρὰς αὐτῶν τὰς προτέρας δειχθῆναι πράξεις · id est : *Qui autem depositi fuerunt, quos vel tunc quiescere par erat, post adeo turpem fugam talia perpetrarunt, ut levia priora facinora iis collata viderentur.* Hæc porro facinora sub hæc recenset Athanasius (d), quod scilicet decem Fabricenses, de quibus supra, obtruncari curaverint ; episcopos, presbyteros diaconosque extorres fecerint ; ac Olympium et Theodulum in Thracia episcopos ad necem quæsierint. Unde arguit Tillemontius, qui potuit Theodulus post Sardicensem synodum ad necem quæri, qui in ipsa Sardicensis synodi epistola obiisse fertur ? Verum in iis ne minima quidem adest difficultatis ratio : nam, ut ex allatis superius verbis liquidum est, Athanasius non modo quæ post absolutam synodum, sed etiam quæ post fugam Arianorum præsulum, antequam synodus perficeretur et epistola synodalis daretur, gesta sunt, promiscue recenset : idque sane vel hinc perspicuum, quod eadem quæ hic, scilicet in *Historia Arianorum ad monachos*, de Theodulo post fugam

(c) Vales. not. ad Theodoret., p. 19 ; Tillemont, *es Ariens*, note 22.

(d) Athan. p. 280.



episcoporum Arianicæ factionis gesta memorantur, in epistola pariter synodali Sardicensi recensentur. Athanasius quippe in *Historia ad monachos* (a), postquam res synodi Sardicensis enarraverat, talia fitur: 'Ολύμπιον δὲ τῶν Αἰωνῶν, Θεόδουλον τὸν ἀπὸ τῆς Τραϊανουπόλεως, ἀμφοτέρους ἀπὸ τῆς Θράκης ἐπισκόπους, ἀγαθοὺς, καὶ ὀρθοδόξους ἀνδρας, ἐπειδὴ ἐωρίκασι μισοῦντας τὴν αἵρεσιν, διέβαλον, τὸ πρῶτον μὲν οἱ περὶ Εὐσέβιον, καὶ ἔγραψε βασιλεὺς Κωνσταντίνος· τὸ δεῦτερον δὲ ὑπέμνησαν οὗτοι· ἦν δὲ τὰ γραφέντα, μὴ μόνον ἐκβάλλεσθαι τῶν πόλεων καὶ τῶν ἐκκλησιῶν αὐτούς, ἀλλὰ καὶ κεφαλικὴν διδόναι δίχην, εἴ που εὐρεθεῖεν οὗτοι· id est: *Olympium autem Aporum, Theodulumque Trajanopoleos, ambos in Thracia episcopos, probosque illos et orthodoxos viros, cum hæresi suæ adverterent esse infensissimos, calumniati sunt. Et illud primo egerant Eusebiani, eaque de re scripserat imperator Constantius: secundo autem ipsi calumnias redintegrarunt. Illud autem litteræ ferebant; ut non modo ipsi urbibus ecclesiisque suis pellerentur, sed etiam capitali pœna, sicubi reperti fuissent, plecterentur.* In epistola autem synodali Sardicensi (b) legimus: Εἰς τοσοῦτον γὰρ ἔφθασαν ἀπονοίας, ὡς καὶ ἐπισκόπους ἐπιχειρεῖν ἀνελεῖν, καὶ ἀνεῖλον ἄν, εἰ μὴ ἐξέφυγον τὰς χεῖρας αὐτῶν. Ἀπέθανεν οὖν ὁ συλλειτουργὸς ἡμῶν ὁ μακαρίτης Θεόδουλος, φεύγων αὐτῶν τὴν διαβολὴν, κατέλευστο γὰρ ἐκ διαβολῆς αὐτῶν ἀποθανεῖν· hoc est: *Eo enim insaniam devenerunt, ut conarentur etiam episcopos perimere: et sane occidissent, nisi illi eorum manibus sese fuga proripuissent. Obiit certe comminister noster beatæ memoriæ Theodulus, dum iis calumniantibus fuga sibi consuleret: ob eorum quippe criminatorem capitis damnatus fuerat. Ubi videas, eadem, quæ Athanasius post synodi Sardicensis historiam enarravit, ante absolutam synodum Sardicensibus episcopis nota, ideoque ante datam epistolam necessario gesta fuisse. Qua in re sane dubii nihil suboriatur. Nam Ariani episcopi ante initam synodum Sardica aufugerunt; et statim pro more solito multa in Catholicos moliti sunt: Olympium et Theodulum suis artibus capitali sententia damnatos, ad fugam compulerunt: qui Theodulus, dum se periculo subduceret, e vivis excessit. Ejus porro obitus ante solutam synodum et datam synodalem epistolam contigit. At enim synodus post fugam Arianorum inita, ad multum temporis extracta fuerit necesse est: nam infinita prope ibidem excussa et examinata fuere, ut in synodicis ejus epistolis videre est. Dum hæc porro gererentur, Theodulus profugus obiit: ejusque descensus nuntium ad Sardicensis Patres, epistola synodica nondum conscripta, allatum est.*

## ANIMADVERSIO XVIII.

*De significatu vocis ἀνέξοδος.*

Vox ἀνέξοδος bis occurrit apud Athanasium in

(a) P. 280.

(b) P. 129.

*Historia Arianorum ad monachos*, nempe p. 277: Καὶ γὰρ καὶ χηρῶν καὶ ἄλλων ἀνεξόδων λαβόντων ἐλεημοσύνην, ἐκέλευε τὰ δεδομένα διαρπάζεσθαι, καὶ τὰ ἀγγεῖα ἐν οἷς ἔφερον τὸ ἔλαιον καὶ τὸν οἶνον κατεάγεσθαι· quæ nos sic interpretamur: *Priætea enim cum viduæ cæterique mendici eleemosynam acciperent, jussit ea diripi quæ erogabantur, vasaque in quibus oleum vinumque deferebant, confringi.* Et ibidem p. 300: Ἐρμῖαν λούοντα τοὺς ἀνεξόδους, id est, *Hermiam qui mendicos, sive, mendicorum pedes abluerat.* Hunc vero postremum locum inauspicato verterat Hermantius, *Hermiam, qui angiporius non pervios lavabat*, Gallico vulgari idiomate *les culs de sac des rues*: nam, ut liquidum est, vox ἀνεξόδους homines quospiam significat. Tillemontius vero his vult intelligi inclusos sive incarceratos homines: nec felicitus sane; siquidem ut ex primo loco propalam est, erant ἀνέξοδοι ii qui stipem cogebant, sive inopes et mendici, qui cum viduis panem emendicabant. Et sane Athanasius quos ἀνεξόδους ante vocaverat, δεομένους sive egenos infra nuncupat, p. 301: Τοὺς γὰρ δεομένους καὶ τὰς χήρας (ἐπειδὴ τὰς ἐκκλησίας παραδέδωκεν ὁ δοῦξ τοῖς Ἀρειανοῖς, ἐν αὐταῖς διατρίβειν οὐκ ἴδυναντο), καθεζομένας ἐν οἷς ὤρισαν αὐταῖς τόποις οἱ πεπιστευμένοι τὰς χήρας κληρικοί, ἐπειδὴ ἔβλεπον τοὺς ἀδελφοὺς προθύμως ἐπιδιδόντας αὐταῖς· id est: *Nam cum viderent egenos et viduas (qui cum dux ecclesias Arianis tradidisset, in iis versari nequibant) sedentes in assignatis sibi locis a clericis, quibus viduarum cura concredita erat; cum cernerent, inquam, fratres prompto ipsis animo eleemosynam erogare, etc.*

Quid quod vel ipsa Athanasii loquendi ratio manifes e indicat τοὺς ἀνεξόδους, perinde atque viduas, nihil aliud esse quam mendicos: nam ait, Καὶ γὰρ καὶ χηρῶν καὶ ἄλλων ἀνεξόδων λαβόντων ἐλεημοσύνην, ἐκέλευε τὰ δεδομένα διαρπάζεσθαι, καὶ τὰ ἀγγεῖα ἐν οἷς ἔφερον τὸ ἔλαιον καὶ τὸν οἶνον κατεάγεσθαι. | *Priætea enim cum viduæ cæterique mendici eleemosynam acciperent, jussit ea diripi, quæ erogabantur, vasaque in quibus oleum vinumque deferebant confringi.* Ubi illud, καὶ ἄλλων ἀνεξόδων, palam indicat, ipsas viduas in ἀνεξόδων numero comprehendendi, qui ad usum necessaria vicatim emendicabant, similiterque ἀνεξόδους et viduas erogatum oleum in vasis detulisse dicitur, quod de incarcerationis neuitquam intelligi potest. Itaque vox ἀνέξοδος, hic non ex particula negativa a adjecto v euphoniæ causa conficitur, ut vult Tillemontius, neque ἀνέξοδος significat, inclusus et incarceratus; sed ἀνέξοδος constat ex ἀνά et ἐξοδος: ita ut ἀνέξοδοι sint ii qui ἀνά τὰς ἐξόδους, in exiitibus viarum, stipem cogunt et emendicant.

## ANIMADVERSIO XIX.

*Num in Historia Arianorum ad monachos, τὸς ἄρτους, artus sive membra, vel panes exprimant.*

Pæulo post locum de quo supra legitur (c), Ἄ γὰρ

(c) P. 301.

καὶ πρῆστοι καὶ διακόνους πεποιθήσασιν, καὶ πῶς αὐτοὺς, ἐπὶ τοῦ δουλοῦ καὶ τῶν δικαστῶν, ἐφυγάδευσαν, καταφέροντες ἐκ τῶν οἰκῶν τοὺς οἰκείους αὐτῶν, διὰ τῶν στρατιωτῶν καὶ τοῦ στρατηγοῦ Γοργονίου καὶ πληγαῖς κατακόπτοντος, καὶ πῶς αὐτῶν, τό γε πάντων ὠμότερον, καὶ τῶν ἤδη τετελευτηκῶν τοὺς ἄρτους μεθ' ὅσῃς ὕβρεως διήρπασαν, οὐκ ἔστιν οὐδὲ λόγῳ φράσαι, νικώσης τῆς ὠμότητος αὐτῶν τὴν ἐκ τῶν λόγων διήγησιν· queni locum sic nos vertimus : Enimvero quæ in presbyteros diaconosque perpetrarunt : quo pacto illos ducis iudiciumque auctoritate in fugam verterint, et affines domesticosque illorum domibus deturbarint; militum scilicet opera, Gorgoniique ducis, qui plagis eos lancinabat; quo pacto, illorum (rem sane crudelissimam), eorumque, qui jam obierant, panes, quantaque contumelia diripuerint, nequaquam verbis enuntiari potest : eorum quippe crudelitas omnem enarrandi facultatem superat. Ibi Nannius, τοὺς ἄρτους, Latine vertit, artus sive membra : quam amplexus interpretationem est Hermantius, et post eum Tillemontius (a), hoc nixi argumento : An postquam Ariani non paucos enecarunt, pro re omnium crudelissima habeatur, si eorum panes diripiant? nonne ad rem aptius dicitur, homicidas illos eo crudelitatis devenisse, ut artus sive membra cæсорum discerperent? Non advertentes, non mortuorum modo τοὺς ἄρτους, sed etiam vivorum et profugorum direptos fuisse, quod de artubus et membris dici nequeat. Sic etiam in Apologia de fuga inter Arianorum facinora hoc enuntiatur, Ὀρφανῶν καὶ χρηρῶν ἠρπάζοντο οἰκίαι καὶ ἄρτος, id est : Orphanorum viduarumque domus et panes diripiebantur; non autem, discerpebantur artus et domi. Etsi enim impetratum a consuetudine fuerit, ut Latine quædam voces a Græcis illo ævo usurparentur, et δουκηνάριος, ἐξέκτωρ, et aliæ id genus; at nunquam ἄρτος, aut similes tam vulgares et familiares eodem usu venire deprehendas, cum maxime ἄρτος, si pro Latina voce artus usurpetur, amphibologiam pariat. Quod dicunt autem non summæ crudelitatis videri, si cæсорum panes diripiantur, id nihili est : nam præterquam quod non defunctorum tantum panes direpti feruntur ibidem, sed etiam vivorum et profugorum; cædere quidem et lancinare, utpote specie sælem iudicis inflictum, defendi potest : panes autem et domos cæсорum diripere, summæ crudelitatis est : quia ex mera violentia, nec ex iudicium decreto fieri potest.

## ANIMADVERSIO XX.

An Liberii contra Athanasium epistola germana sit, necne.

In Fragmentis Hilarii (b) legitur Liberii nomine epistola ad Orientales, qua testificatur Liberius se Athanasium causam dicturum per legatos

A evocasse Romam, repugnantem vero a communionem Romanæ Ecclesiæ alienum declarasse. Juvat porro epistolam, quæ perbrevis est, hic ascribere; ut expeditior sit ejus vel tuendæ vel repudiandæ facultas.

DILECTISSIMIS FRATRIBUS ET COEPISCOPIS NOSTRIS UNIVERSIS PER ORIENTEM CONSTITUTIS, LIBERIUS URBIS ROMÆ EPISCOPUS ÆTERNAM SALUTEM.

Student paci et concordia Ecclesiarum, postquam litteras charitatis vestrae de nomine Athanasii et cæterorum factas ad nomen Julii bonæ memoriæ episcopi accepi; secutus traditionem majorum, presbyteros urbis Romæ Lucium, Paulum et Helianum e latere meo ad Alexandriam ad supradictum Athanasium direxi, ut ad urbem Romam veniret: ut in præsentem id; quod Ecclesiæ disciplina exstitit, in eum statueretur. Litteras etiam ad eundem per supradictos presbyteros dedi, quibus continebatur, quod si non veniret, sciret se alienum esse ab Ecclesiæ Romanæ communionem. Reversi igitur presbyteri nuntiaverunt eum venire noluisse. Secutus denique litteras charitatis vestrae, quas de nomine supradicti Athanasii ad nos dedistis, sciatis his litteris, quas ad unanimitatem nostram dedi, me cum omnibus vobis, et cum universis episcopis Ecclesiæ catholice pacem habere: supradictum autem Athanasium alienum esse a communionem mea, sive Ecclesiæ Romanæ, et consortio litterarum ecclesiasticarum.

His subjungit Hilarius :

Quid in his litteris non sanctitatis, quid non ex metu Dei eveniens est? Sed Potamius et Epictetus, dum damnare urbis Romæ episcopum gaudent, sicut in Ariminensi synodo continetur, audire hæc noluerunt. Quinetiam Fortunatianus episcopus epistolam eandem rursus diversis episcopis mittens, nihil profecit. Ut autem in negata Athanasio communionem sibi potius essent onerosi, remque omnem sibi periculi facerent, dummodo nihil Sardicensi synodo, qua Athanasius absolutus et Ariani damnati fuerant, decerperent; litteræ ex Ægypto omni atque ab Alexandria missæ admonebant: quoniam quales ad Julium pridem de reddenda exsulanti Athanasio communionem erant scriptæ, tales nunc, ut de subjectis intelligatur, ad Liberium datæ sunt de tuenda.

Hanc Liberii epistolam cum nostri in editione S. Hilarii, tum nos ut supposititiam habuimus. Nam statim a morte Julii pape, et ineunte Liberii episcopatu data dicitur: inquit autem Liberius anno 352. At exploratum est utriusque præsulis, Liberii et Athanasii, testimoniis, nonnisi anno 357 Liberium, tædio exsilii fractum, ab Athanasii communionem recessisse. Et quidem de toto illo spatio quod ab anno 353, quo Liberius synodum pro causa Athanasii postulavit, ad 357 intercurrit, nulla pe-

(a) Tillemont, Vie de S. Athanase, art. 76, et la not. 71.

(b) Col. 1527.

test oriri controversia, cum certum sit illum per id temporis nec officio nec Athanasio defuisse: quod autem nec anno 352 quo iniiit episcopatum, prematuram hanc Athanasii damnationem emiseric, laud minus compertum: ipse quippe Liberius in epistola ad Constantium anno 354, vel circiter, data, de Orientalium epistolis contra Athanasium ad se missis talia fatur: *Qui fidem et sententiam non commodavimus nostram, quod eodem tempore octoginta episcoporum Ægyptiorum de Athanasio sententia repugnabat. . . . unde contra divinam legem visum est, etiam cum episcoporum numerus pro Athanasio major existeret, in parte aliqua commodare consensus.* Quod qui, amabo, dicere potuisset, si jam missa ad Athanasium legatione, illum iter Romam detrectantem alienum a communione sua dixisset? Ad hæc vero cum fractus ærumnis Liberius se purgatum Arianis esse cuperet, eorumque communionem expeteret, in epistola sua ad Orientales anno 357 hæc ait: *Ego Athanasium non defendo: sed quia suscepit eum bonæ memoriæ Julius decessor meus, verebar ne forte ab aliquo prævaricator iudicaret. At ubi cognovi, quando Deo placuit, iuste vos illum condemnasse, mox consensum commodavi sententiis vestris: litterasque super nomine ejus per fratrem nostrum Fortunatianum dedi, perferendas ad imperatorem Constantium.* Hinc plane perspicuum est Liberium non ante Athanasium a communione removisse, quam litteras ea de causa ad imperatorem Constantium mitteret, quod anno 357 factum: nemo quippe his perfectis non fateatur, omnino repudiandam esse epistolam illam, qua dicitur Liberium statim ab initio susceptæ dignitatis Athanasium damnasse. Et vero ne tempus quidem deprehendas quo Athanasium a communione sua removerit. Nam an. 352, Aprili vertente, in episcopum Romanum allectus fuit: anno autem 353, missis ad Constantium legatis Arelatē, ab ipso postulabat, ut juberet, sic Liberius, sicut jamdudum ipsi placuerat, concilium ad Aquileiam congregari; videlicet pro causa Athanasii, ut exquireretur an rejiciendus a communione esset necne. Ubi vides jam ante aliquod tempus, ut illo, jamdudum, significatur, de synodo pro causa Athanasii cogenda cum imperatore egisse Liberium. Cum autem anno 352 Liberius in episcopum Romanum allectus fuerit, si illud, jamdudum, aliquot saltem retro menses significare concedas, aut nihil prorsus spatii supererit, vel tam angustum tempus maneat necesse est, ut nullatenus possint ea, quæ in Liberii epistola initio allata feruntur, tam brevibus includi limitibus. Nam, si Liberius anno 352, Aprili mense, ad sedem evectus, Orientalium acceptis litteris, legatos tres Lucium, Paulum et Helianum miserit Alexandriam, qui Athanasium ad Romanam synodum evocarent, ac postea legati, re infecta et Athanasio abnuente Romam redierint, Liberiusque de-

num reluctantem Athanasium a communione sua repulerit, quod in tempus rejicias illam Aquileiensis synodi indictionem: siquidem anno 353, Liberius ait, *jamdudum* Aquileiensem synodum indictam fuisse pro causa Athanasii examinanda: pone indictam fuisse sub finem anni 352, quo pacto alia quæ a mense Aprili ad finem ejusdem anni gesta feruntur, tam brevi spatio emetiari? Imo vero etiamsi ad ea omnia spatii satis esset; an putes Liberium cum in medio anni 352 litteras Orientalium accepisset, mox legatos misisset, ac post eorum reditum, Athanasium a communione sua removisset, statim synodum in Athanasii gratiam postulasse? Annon hæc ἀσύνετα essent, etiamsi, quod tamen negamus, spatii satis esset?

Non minus cum Athanasii, quam cum Liberii dictis hæc epistola pugnat: nam is in fine *Apologie contra Artanos* ait Liberium pro judicio episcoporum, qui secundum Athanasium sententiam dixerant, obstitisse Arianis, donec biennii exilio fractus cederet. Et in epistola encyclica, scripta anno 356, ait (a); Arianis episcopis fidem habendam fore, si paria scriberent. Hosius, Maximinus, Philogonius, Eustathius, Julius et Liberius, etc., quod qui dicere potuisset, si Liberius jam pridem se Arianis episcopis asipulari declarasset? Et quod magis urgeat, in *Historia Arianorum ad monachos*, ait Athanasius, Arianos Liberium ab initio episcopatus sui, κατὰ τὴν ἀρχὴν, calumniis apud imperatorem vellicasse, ut abducerent a proposito: *Arbitrati sunt impii homines, inquit, se si Liberium subornare possent, omnes illico superaturos*: exindeque curasse, ut ad ipsum Liberium Eusebius spado mitteretur, qui aut donis aut interminationibus viri constantiam emolliret, eumque ad Athanasium damnandum instigaret. Spadonem vero Liberius sic affatur: *Qui, quæso, adversus Athanasium id agatur? nam quem non una solum, sed et altera synodus ex toto orbe concta, purum innoxiumque declaravit, quem Romana synodus cum pace dimisit, quo pacto damnare possumus? Quis nos probaturus est, si quem præsentem amanter excepimus, ad communionemque admisimus, absentem aversemur? non ecclesiastici canonis illud est, etc.* Quæ ipsa luce lucidius est, Liberium ab initio episcopatus sui, rem insolentem et contra canones esse putasse, si Athanasius aliquot in synodis absolutus, ab ecclesiastica communione removeretur; atque adeo epistolam, quæ in Fragmentis Hilarii qualem supra descripsimus circumfertur, ubi Athanasius a Liberio episcopatum ineunte damnatus dicitur, supposititiam esse. Nam præter ea, quæ supra diximus, animadvertas, quæso, nullam vel Arianos, vel Eusebium eunuchum, vel Constantium Augustum, quorum cum Liberio colloquia, et quidem prolixa, feruntur, pristinae illius contra Athanasium dictæ

(a) P. 219.

sententiæ mentionem fecisse : quod certe validissimum erat ad Liberii tentandam æquitatem incitamentum. Et sane dixissent illi : Quare Athanasium, quem tute jam damnare occupasti, tam naviter nunc defendis? quorsum isthæc mutatio tam repentina?

Reponit Tillemontius (a) : Eam epistolam Liberius in arcanis habuit, nec emisit; sed anno tantum 357, postquam ærunnis fractus cesserat, ipsam evulgavit. At si de epistola tantum ageretur, vix ac ne vix quidem staret illud sive ratiocinium, sive commentum. Cum autem legatione solemnium presbyterorum Liberius Athanasium ad synodum evocasse feratur, interminatus communionis privationem ni accederet, incassum inter arcana hæc computare satagit. Nihilne horum subodorati Ariani fuerint? An inter arcana hæc item legatio statui possit?

Verum instat ille : Non possumus hanc epistolam, utpote intermistam aliis germanis epistolis, pro supposititia habere. Hæc sane abs re afferuntur; supposititia namque veris intermista hoc maxime ævo deprehendere non insolens, sed admodum frequens est. Annon Liberii ad Athanasium, et Athanasii ad Liberium epistolæ, quæ a multis retro sæculis inter germana Athanasii opera locum habebant, jam cuivis sagaci viro pro supposititiis habentur? Annon, ut habet Athanasius in *Apologia ad Constantium*, Ariani non modo Athanasii et parium, sed etiam imperatorum nomine epistolas confingebant: quid vetat et hanc item confictam ab Arianis fuisse?

Quod ad Appendicem Hilarii spectat, etsi illa admodum perplexa sit, ac vitata circumferatur, videtur tamen εἰρωνικῶς ille, tanquam de re suspecta dicere, *Quid in his litteris non sanctitatis? quid non ex metu Dei eveniens est?* Nam Hilarius, qui nunquam Athanasio et fidei orthodoxæ defuit, nihil sanctitatis in hisce litteris deprehendere potuit. In subsequentibus autem indicat, Potamium, Epictetum et Fortunatianum, epistolam illam Liberii respuisse. Verum hæc adeo intricata sunt, ut vix aptam sententiam expiscari possis. Sed satis sunt quæ de Liberii epistolæ νοθεῖα diximus.

#### ANIMADVERSIO XXI.

*An epistola catholica Athanasii sit, necne.*

Non paucas in hac epistola peregrinitatis notas deprehendimus; etsi illa adeo brevis sit, vix ut pagellam absolvat. In ipso quippe titulo vox epistola catholica ita insolens videtur, ut mirer si uspiam apud Patres usurpatam reperias : siquidem hæc vox septem catholicis epistolis (Canonicas vulgo nuncupant) consecrata deprehenditur. Ad hæc vero, epistola isthæc in antiquis Athanasii Operum collectionibus non comparet; sed peregrinis in locis

A reperta est, permista scilicet cum operibus variorum : nec stylum Athanasii sapit, imo vero multas ibi voces Athanasio minus usitatas et insolentes reperias. In titulo quippe præter illam supra notatam, vox συνεπίσκοποι, Athanasio non usuvenit, qui semper συλλειτουργοί, et quidem frequentissime habet : his adjice σύμβολον τῆς πίστεως, et θεῖον πνεῦμα, ignotas Athanasio voces : qui priorem sexcenties sic effert, ἐκθεσεις πίστεως, vel πίστις. secundam vero θεῖον πνεῦμα ubique scribit. Hinc animadvertas, hujus epistolæ auctorem, quasi rem maximi momenti dicturum epistolam ordiri, et tamen paucissimis rem absolvere, ut vix sciatur quæ res quodve negotium sic urgeat, et ad scribendum impellat. Ne multa, quoties illam perlegi, in B peregrinis versari mihi videbar; ita dissimilis Athanasianis operibus est : nèque tamen περὶ νοθεῖας vel γνησιότητος iudicium ferre ausus sum; sed inter dubia locavi. Tillemontius (b) contra vult penitus certam, nec ἀμφιβάλλεσθαι. Lis sub iudice pendeat : nobis quæ causa ambigendi sit exposuisse satis esto.

#### ANIMADVERSIO XXII.

*De aliis dubiis Athanasii operibus, et de quibusdam fragmentis.*

Orationem, cui titulus, *Unum esse Christum*, dubiam esse cum multis doctis viris censemus, nec dubiam dissitetur Tillemontius (c). Verum ait, quia hæc oratio a Petro Diacono in epistola ad S. Fulgentium laudatur, nos argumento, quod hinc adversus opinionem nostram eruitur, occurrere debuisse. Sed argumentum huiusmodi ne minimum quidem negotii facessere possit : opusculum enim perantiquum, et Athanasii nomine sæculo Nestoriano editum fuisse arbitramur. Qui mirum igitur si sæculo sexto Athanasii nomine a Petro Diacono laudatum fuerit?

Librum de Incarnatione, qui in prius editis contra Paulum Samosatenum inscriptus erat, nos inter dubia opera ablegavimus; Tillemontius vero γνήσιον esse pugnat. At longe plures suspicandi causas præfert hoc opusculum, quam oratio *Unum esse Christum*, suisque se notis prodit Nestoriano ævo fuisse confectum. Id vero propalam videtur ex hoc uno D loco; 'Ο δὲ ἄνθρωπος, sic ibi, ἐν πρόσωπον, καὶ ζῶον ἐν, ἀπὸ τε πνεύματος καὶ σαρκός· κατὰ δὲ τὸ ὁμοίωμα αὐτοῦ νοητέον τὸν Χριστὸν ἓνα καὶ οὐ δύο πρόσωπα, ὅπερ ἡ νῦν ἀπιστία βιάζεται σαφῶς, ἀπολειπομένη τοῦ μετέθους τῆς θείας χάριτος, καὶ τῷ Ἐλληνικῷ σκανδάλῳ περιπίπτουσα, id est : *Homo autem una persona, et unum animal est, spiritu et carne constans; ad cuius similitudinem intelligendum est, Christum unam esse personam, et non duas, ut jam incredulitas magnitudine divinæ gratiæ destituta et in gentilium scandalum prolapsa, aperte et summa*

(a) Tillem. *Vie de S. Athan.*, not. 68.

(b) *Ibid.*, art. 110.

(c) *Ibid.*, not. 106.

vi contendit : in cæteris item, quæ subsequuntur, Nestorianum errorem tum grassantem videas. Hæc vero Athanasii ævo ascribere non licet : ubi enim Athanasio superstite videas hæreticos duas in Christo personas esse aperte et summa vi contendere. Hæc etiam ad Nestorianum sæculum pertinere, indicare videtur Codex antiquissimus Basiliensis, qui ad marginem, ubi de Paulo Samosateno agitur, sic habet : *ὅτι ἀρχὴ τῆς Νεστορίου αἰρέσεως ὁ Σαμοσατεύς*, id est, *Nestorianæ hæresi initium dedit Samosatenuus*. Ad hæc vero, hoc in opusculo affertur hæc apostolici dicti lectio, *ὁ θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί · Deus manifestatus est in carne*, quæ in nonnullis Græcis exemplaribus habetur ; in aliis vero legitur, *ὁ ἐφανερώθη ἐν σαρκί, Quod manifestatum est in carne*<sup>1</sup>. Priorem vero lectionem nunquam Athanasius in scriptis suis attulit : quo manifeste liqueat ejus exemplaria posteriorem habuisse : nam, si priorem illam circumtulissent, locum sane contra Arianos opportunissimum sexcentis usurpasset Athanasius, qui incredibili diligentia Scripturas pervestigavit, ut si qua contra Christi hostes objici possent, ex sacra penu depromeret. Hæc nobis dubitandi causæ : hisque perspectis neminem puto non hæsitaturum, nisi quid ulterius decernatur.

Tractatum cui titulus, *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis*, opinatur Tillemontius esse partem epistolæ ad Marcellinum : quo videas non legisse eum quæ de hoc fragmento diximus. Est quippe, ut ex optimis codicibus et ex serie comprobavimus, pars postrema epistolæ quartæ ad Serapionem. Vide quæ hæc de re necnon de epistolis ad Serapionem edisseruimus p. 515, initio secundæ partis (t. II). Earum quippe seriem haud dubiis iudiciis et codicum auctoritate restauravimus ; *ὁ μαχαρίτης* verè ingravescente morbo in extremisque versans, hæc non animadvertit.

Cæterum fragmenta in *Leviticum*, et in *Paulum Samosatenum*, quæ jure suspèctur ille alicunde divulgata fuisse, nos in Syllabo ad frontem Operum Athanasii unde excerpta fuerint indicavimus.

Restat ut de ordine Operum Athanasii paucis agamus : Tillemontius quippe quam tenuimus temporis seriem, non omnino probatam sibi testificatur : nam, inquit, paucissima sunt Athanasii opera, quæ quo tempore conscripta fuerint assignari valeat : quare alium ille ordinem secundum argumenti et materiæ rationem confligit, et commodius iniri posse æstimat. Verum hæc Tillemontii observatio us vel tantillum nos a pristino instituto dimovet : quia ex diuturna Athanasii scriptorum tractatione, commodiorem nostram non posse texti seriem comperimus. Siquidem contra quam putat Tillemontius, inter præcipua Athanasii opera pauca sunt, quorum tempus, circiter saltem, ignoretur. Nam duo libri *Contra gentes*, qui agmen agunt, ante Arianorum tumultum ab Athanasio juvene conscripti sunt. Ex-

A *positio fidei* proxime sequens nullam præfert temporis notam ; sed quia ejusmodi doctrinæ causa cum Arianis pugnatum est, ante scripta Arianismum oppugnantia commode locatur. Tractatus in illud, *Omnia mihi tradita sunt a Patre*<sup>2</sup>, quia ante Eusebii Nicomediensis mortem scriptus fertur, quæ contigit anno 342, ab anno 339, quo redux ab exilio Athanasius Alexandrinæ sedi restitutus est, ad 342, quo obiit Eusebins, scriptus fuerit oportet. Epistola encyclica anno 341, certissime scripta est. *Apologia contra Arianos*, anno circiter 350, edita fuit, ut fatetur ipse Tillemontius. Libri *De Nicænis decretis* et *De sententia Dionysii*, post reditum Athanasii a secundo exilio et ante tertium adornati sunt, scilicet ab anno 350 ad 354, ut ibi comprobatur ; B Epistola ad Dracontium, imminente ultimo Athanasii sub Constantio exilio anno circiter 354, ipso latente Tillemontio. Quæ sequuntur haud dubiis notis sic ordinamus : Epistola ad episcopos Ægyptii et Libyæ, anno 356 ; *Apologia ad Constantium*, eodem ; *Apologia de fuga*, anno 356 ; *Apologia ad Constantium*, eodem ; *Apologin de fuga*, anno 357 vel 358, Epistola ad Serapionem *de morte Arii* et *Historia Arianorum ad monachos*, eodem anno 358 ; Orationes contra Arianos eodem circiter tempore profugus scripsit ; pariterque epistolas quatuor ad Serapionem contra Arianos et Pneumatomachos ; Librum *De synodis* subsequentem, anno 359 ; Tomum ad Antiochenos, anno 362. Hæc maxima pars operum Athanasii cum ordine temporis, tum argumento cohærent, et Arianici tumultus seriem quandam exhibent, ac pene omnia polemica, historica simul et dogmatica sunt. Illa porro sejungere, ac distrahere, diversisque titulis cum dubiis etiam operibus permista digerere, ut tentavit Tillemontius, cum recta ratione ita pugnat, ut libenter ad ipsum Tillemontium melius consultum, si in vivis esset, appellarem. Neminemque puto fore, qui hæc accurate perlegerit, quin hæc nativo ordine distributa esse contendat, et quin ægre ferat aliam proponi seriem et ordinis rationem. Hæc satis sunt : cum maxime quod ordinem et seriem operum ejusvis Scriptoris spectat, arbitrato et nutu quisque suo iudicet, et alii alia ratio digerendi placeat. Exempli causa ; D si parem Tillemontianæ operam suscepissem, nunquam induxissem animum, ut res historiam Ecclesiæ spectantes vitis sanctorum et virorum illustrium singillatim descriptis includerem ; unde illud importunum accidit, ut, cum res v. g. Nicænenæ synodi quis perlegere velit, non sub uno titulo omnia simul posita deprehendat ; sed ad Constantini, Alexandri Alexandrini, Hosii, Athanasii, Eusebii Cæsariensis et aliorum Vitas, diversis etiam in tomis conscriptas, remittatur ; ut quid singuli eorum eadem in synodo egerint ediscere queat. Verum quæ mihi iugrata est, Tillemontiana ratio, allis fortasse perjuranda et probata erit : neque ego probantibus et laudau

<sup>1</sup> 1 Tim. iii, 16.    <sup>2</sup> Matth. xi, 27.

tibus repugnabo, dum mihi quid sentiam libere fari A volo lectori, de animadversionibus nostris in utram liceat. Perinde vero liberum erit erudito et bene- visum fuerit partem ferre iudicium.

*Absoluta Vita sancti Athanasii archiepiscopi Alexandrini, non abs re visum fuit duos laterculos hic ad- cere : primum episcoporum Alexandriae Graecae ex codice Colbertino num. 3558, recenti manu exarato, sed ex antiquiore descripto; alterum Romanorum Alexandrinorumque pontificum ex Bibliotheca mss. S. Joannis Laudunensis ab annis plus mille descripto.*

EX CODICE COLBERTINO 3558, XVI SÆCULI.

Πατριάρχαι Ἀλεξανδρείας.

α'. Μάρκος ὁ εὐαγγελιστῆς,	ετη β'.	κγ'. Κύριλλος,	λβ'.
β'. Ἀνιανός,	δ'.	κδ'. Διόσκορος,	ζ' ἤμισυ.
γ'. Αἰμύλιος,	εγ'.	κε'. Προτέριος,	ζ' ἤμισυ.
δ'. Κέρδων,	α'.	κς'. Τιμόθεος,	γ'.
ε'. Πρίμος,	β'.	κζ'. Πέτρος, ζ' ἤμισυ· ἐξεβλήθη·	
ς'. Ἰούστος,	ια'.	κη'. Ἰωάννης,	η'.
ζ'. Εὐμένιος,	ιγ'.	ηθ'. Ἀθανάσιος,	ζ' ἤμισυ.
η'. Μάρκος,	ιδ'.	ι'. Ἰωάννης,	ια'.
θ'. Κελαδίων,	ιδ'.	λα'. Διόσκορος,	γ'.
ι'. Ἀγριπίνος,	ιβ'.	λβ'. Τιμόθεος,	ιγ'.
ια'. Ἰουλιανός,	ιγ'.	λγ'. Γαϊανός,	α'.
ιβ'. Δημήτριος,	μγ'.	λδ'. Θεοδόσιος,	β'.
ιγ'. Ἡρακλᾶς,	ις'.	λε'. Παῦλος,	β'.
ιδ'. Διονύσιος,	ιζ'.	λες'. Ζωῖλος,	ζ' ἤμισυ.
ιε'. Μάζιμος,	ιη'.	λς'. Ἀπολλινάριος,	κθ'.
ις'. Θωμάς,	ιθ'.	λη'. Ἰωάννης,	ια'.
ιζ'. Πέτρος ὁ μάρτυς,	ιι'.	λθ'. Εὐλόγιος,	ιζ'.
ιη'. Ἀχίλλᾶς,	α'.	μ'. Θεόδωρος,	ε'.
ιθ'. Ἀλέξανδρος,	ιζ'.	μα'. Ἰωάννης,	ι'.
κ'. Ἀθανάσιος,	ις'.	μβ'. Γεώργιος,	θ'.
(a) (Πέτρος <i>abest</i> ) κα'. Θιμόθεος,	ε'.	μγ'. Κύριλλος,	ι'.
κβ'. Θεόφιλος,	κη'.	μδ'. Πέτρος,	η'.

*Incipiunt Romanorum nomina Sacerdotum.*

1. Petrus apostolus,	ann. 25 (b), mensis	2. C	34. Marcus,	mensis	ε.	
2. Julius,	ann. 13, mensis	6.	35. Julius,	ann. 17, mensis	4.	
3. Cletus,	ann. 12, mensis	1.	36. Liberius,	ann. 6, mensis	4.	
4. Clemens,	ann. 9, mensis	1.	37. Damasus,	ann. 18.		
5. Evarestus,	ann. 9, mensis	10.	38. Musonius,	ann.		
6. Alexander,	ann. 12, mensis	7.	39. Siricius,	ann. 15.		
7. Xistus,	ann. 10, mensis	3.	40. Anastasius,	ann. 3, mensis	1.	
8. (c) Talsphorus,	ann. 11, mensis	1.	41. Innocentius,	ann. 15, mensis	3.	
9. Iginus,	ann. 4, mensis	5.	42. Zosimus,	ann. 7, mensis	9.	
10. Pius,	ann. 19.		43. Bonifacius,	ann. 3, mensis	8.	
11. Niceta,	ann. 11, mensis	4.	44. Celestinus,	ann. 9, mensis	10.	
12. Soter,	ann. 8, mensis	2.	45. Xistus,	ann. 3.		
13. Eleuterius,	ann. 15, mensis	3.	46. Leo,	ann. 21, mensis	1.	
14. Victor,	ann. 15, mensis	4.	47. Hilarius,	ann. 6, mensis	2.	
15. Zepherinus,	ann. 18, mensis	6.	48. Simplicius,	ann. 15.		
16. Calistus,	ann. 5, mensis	10.	49. Felix,	ann. 9.		
17. Urbanus,	ann. 9, mensis	1.	50. Gelasius,	ann. 4, mensis	8.	
18. Pontianus,	ann. 7, mensis	10.	51. Anastasius,	ann. 1, mensis	11.	
19. Anterus,	mensis	2.	52. Simmachus,	ann. 15, mensis	6.	
20. Fabianus,	ann. 14, mensis	4.	D	53. Ormisdas,	ann. 9.	
21. Victor,	ann. 15, mensis	3.	54. Johannes,	ann. 2, mensis	9.	
22. Cornelius,	ann. 2, mensis	3.	55. Felix,	ann. 2, mensis	2.	
23. Lucius,	ann. 3, mensis	7.	56. Bonifacius,	ann. 2.		
24. Stefanus,	ann. 11, mensis	5.	57. Joannes,	ann. 2, mensis	4.	
25. Xistus,	ann. 7.		58. Agapius,	ann. 1.)		
26. Maximus,	ann. 8, mensis	5.	59. Vigilus,	mensis	12.	
27. Felix,	ann. 4, mensis	2.	60. Silverius,	mensis	10.	
28. Euticianus (sic).			61. Vigilus,	ann. 19, mensis	3.	
Dionysius,	ann. 9, mensis	9.	62. Gelasius,	ann.	4.	
29. Gaius,	ann. 11, mensis	4.	63. (e) Catellus, qui et Johannis.			
30. Marcellinus,	ann. 9.		64. Benedictus.			
31. Eusebius,			65. Pelagius, usque praesens, tempore Mauriti			
32. (d) Miltiades,	ann. 4, mensis	7.	imperat. Augusti.			
33. Silvester,	ann. 33 (lege 25).		66. Gregorius.			

(a) l. μς'.  
 (b) Sic mss.  
 (c) Sic.

(d) Sic.  
 (e) Sic.

*Item Alexandrinorum nomina Sacerdotum et Antistitum.*

1. Marcus,		21. Petrus,	ann. 2.
2. Anianus,	ann. 22.	22. Thimoteus,	ann. 5.
3. Avilius,	ann. 12.	23. Theophilus,	ann. 29.
4. Cerdon,	ann. 11.	24. Cyrillus,	ann. 33.
5. Primus,	ann. 12.	25. Dioscorus hæreticus,	
6. Justus,	ann. 11.	26. Proterius martyr,	ann. 5, mensis 5.
7. Eumenes,	ann. 15.	27. Timotheus (c) illarus,	ann. 5.
8. Marcus,	ann. 10.	28. Timotheus alius.	
9. Calendio,	ann. 14.	29. Petrus Mongos.	
10. Agrippinus,	ann. 12.	30. Inannis Tavenensis (Joannis).	
11. Julianus,	ann. 10.	31. Athanasius.	
12. Demetrius,	ann. 43.	32. Joannis alius, Niceta.	
13. (a) Herachas,	ann. 16.	33. Dioscorus alius.	
14. Dionisius,	ann. 17.	34. Timotheus.	
15. Maxinus,	ann. 8.	35. Theodosius Hæresiarclus.	
16. Themus (Theonas),	ann. 18.	36. Gaius Hæresiarclus.	
17. Petrus martyr,	ann. 10.	37. Paulus.	
18. Afillas (Achillas),	(b) ann. 6.	38. Zoilus.	
19. Alexander,	ann. 15.	39. Apollinarius.	
20. Athanasius,	ann. 46.		

## S. P. N. GREGORII

NAZIANZENI

### ORATIO IN MAGNUM ATHANASIAM.

*Vide inter Opera Gregorii Nazianzeni.*

## ΒΙΟΣ ΚΑΙ ΠΟΛΙΤΕΙΑ

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ ΚΑΙ ΟΜΟΛΟΓΗΤΟΥ (d)

## ΑΘΑΝΑΣΙΟΥ

ΑΡΧΙΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΓΕΝΟΜΕΝΟΥ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑΣ.

## VITA ET CONVERSATIO

### SANCTI PATRIS NOSTRI ET CONFESSORIS ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI

INCERTO AUCTORE.

1. Ἄλλοι μὲν ἄλλα τῶν μακαρίων ἀνδρῶν ὑπομνήματα πρὸς ἀρετῆς ὑπόδειγμα καὶ ζῆλον διεξέ-  
τωσαν, καὶ ἀκοαῖς φιλοθέων ταῦτα παραδίδωσαν·  
ἀπὸ γὰρ τοῦ συνεχῶς μεμνησθαι τῶν ἀρετῶν (e)  
μετιόντων τὸ καὶ μετιέναι καὶ ζηλοῦν ἀρετὴν περι-  
γίνεσθαι πέφυκεν· ἐγὼ δὲ, ἥντινά μοι δοκῶ πασῶν  
ἀρίστην κατὰ Θεὸν πολιτείαν, δυσχερῆ μὲν ἄλλως

1. Aliiquidem alia beatorum virorum scripta exem-  
pli et imitationis causa commemorant, auribusquo  
tradant hominum Dei amantium: ex frequenti enim  
eorum qui virtute clari fuere memoria, ad virtutis  
studium et exercitium inflammamur. Ego vero quam  
puto omnium optimam secundum Deum vivendi rati-  
onem, alioqui licet ad perfecte imitandum diffi-

(a) Heraclius.

(b) Forte menses.

(c) Elurus.

(d) Hæc, καὶ ὁμολογητοῦ εἰ μὴ γενομένου desunt

in quibusdam mss.

(e) Sic Colbert. 2, et Reg. Edit. vero, male, τῶν  
ἀρετῶν.

cilem et inaccessam eam si vel aliquatenus assequamur, non minimum nobis arbitror asferre fructum. De Athanasii loquor vita, quam ceu quamdam virtutis columnam, omnibus conspicuam notamque exhibere conabor. Hujusmodi namque viri vita, tot propter Deum calamitatibus perfuncti, tot tantisque mutationes experti, tam frequentes, tam varias: non talem modo est, quæ probis animis admirationem una cum voluptate asferat; sed quæ illos ad philosophiæ studium, ad quamcumque aliam virtutem, spem, magnanimitatem, patientiam opportunissime instituat. Haud facile profecto illius gesta omnia percensere: non modo enim ob magnitudinem imitatu difficilia, sed etiam ob multitudinem vix sunt enumeranda: verum quæ audire utilissimum erit: quæ quidem, una cum aliis, explorata multis sunt,

2. Athanasio igitur patria fuit urbs in Ægypto celeberrima Alexandria. Parentes aliis virtute præstantiores; sed filio tamen uni inferioribus, ut ex fructu arbor, ex germine radix, majorem consequeretur laudem. Cujus animi ingenuitas liberalitasque, sanum ac constans ingenium, pietas erga Deum, propensio ad spiritualia, statim a pueritia onicuit. Vix dum enim excesserat ab infantia, quando (ut solet illa ætas ludis, et æqualium consortio gaudere, ob animi simplicitatem) ad quoddam maris litus cum æqualibus ille accessit, visusque est ibi joculari cum illis. At res seria lusus ille erat, atque futurorum signum, necnon occasio fuit et principium, quo ad Dei famulatum accessit. In ludo namque pueri sacerdotum ministeria imitati, Athanasium ordinant episcopum; ac qui in presbyteros et diaconos deputati erant, admovebant ipsi pueros baptismo nondum obsignatos, ut ab eo tingerentur. Tum ille omnia constituta rite perficiens; pueros aqua marina baptizatos, videbatur velle aliqua adnotatione cohortari. Qui vero Alexandrinæ tum præerat Ecclesiæ divus Alexander, nactus aliquam negotiorum intermissionem, aliquantumque vacans a rebus suis, cum recreandi animi causa jucundum maris aspectum oculis contemplaretur, videns huic ludo vacantem Athanasium, postquam non modicum temporis spectaculo intentus constitisset, valde rem admiratus, pueros statim accivit: ac quibuscumque cum Athanasii puræ manus, tum illi divinorum præceptorum ab infantia diaconi sive ministri, ceu quamdam in Christo sigilli formam imposuerant; eos ille prompta manu inungit, quasi honestarum Athanasii præmaturam manuum impositionem revereretur; neque irritam faciendam esse judicaret. Illos, inquam, inungit ac baptismate inuat. Necdum enim initiatos fuisse jam supra dictum est. Ipsum autem Athanasium, dulcem illum virtutis florem: amœnissimam plantam, jam tempestivis, imo præmaturis spiritus fructibus pullu-

A οὔσαν καὶ οὐκ ἐφικτὴν τελείως πρὸς μίμησιν, καὶ ἐπὶ ποσὸν δὲ ὁμως κατορθωθείη, οὐκ ἐλάχιστον ἡμῖν κέρδος παρεχομένην, Ἀθανασίου φημὶ τοῦ μεγάλου, ταύτην ὡσπερ τινὰ στῆλην ἀρετῆς ἐμφύχον καὶ ἀθάνατον, διαφανῆ πᾶσι καὶ γνώριμον καταστῆσαι πειράσσομαι. Ἄνδρὸς γὰρ τοιοῦτου βίος, καὶ τοσαύταις μὲν διὰ Θεοῦ πληγέντος ταῖς συμφοραῖς, τοσαύτας δὲ καὶ μεταβολαῖς ὑποστάντος, καὶ οὕτως αὐτὰς ἀλλεπαλλήλους καὶ ἀγχιστρόφους, οὐ μόνον ἱκανῶς ἔσται καὶ ἀπλῶς ἀκούμενος θαῦμα μετ' ἡδονῆς ἐνθεῖναι ταῖς φιλαγάθοις ψυχαῖς, ἀλλὰ καὶ φιλοσοφίαν, αὐτὰς μετὰ τῆς ἄλλης ἀρετῆς, ἐλπίδα, μεγαψυχίαν, ὑπομονήν, παιδεῦσαι καιριώτατος (η). Πάντα μὲν οὖν οὐ βῆδιον τὰ ἐκείνου διεξιέναι· εἰσὶ γὰρ οὐ μιμήσασθαι μόνον διὰ τὸ μέγεθος χαλεπὰ, ἀλλὰ καὶ τῷ πλήθει διελθεῖν δυσχερῆ· ἀλλ' ὅσα γε καὶ ἀκούειν ὠφελιμώτερα, καὶ τοῖς πολλοῖς ἅμα τῶν ἄλλων ἔστι γνώριμώτερα.

2. Ἀθανασίῳ τοίνυν πατὴρ μὲν ἦ κατ' Ἀἴγυπτον ὀνομαστοτάτη πόλις Ἀλεξάνδρεια· πατέρες δὲ τῶν μὲν ἄλλων διενεγκόντες τὴν ἀρετὴν, μόνου δὲ τοῦ παιδὸς λειπόμηνος, ὡς ἐκ τοῦ καρποῦ μᾶλλον τὸ φυτόν, καὶ τὴν βίβαν ἐκ τοῦ βλαστοῦ μακαρίζεσθαι. Οὐ καὶ τὸ τῆς ψυχῆς εὐγενές τε καὶ ἐλευθέριον, καὶ τὸ ὑγιές τοῦ ἥθους καὶ στάσιμον, ἦ τε πρὸς Θεὸν νεῦσις καὶ ἡ περὶ τὰ πνευματικὰ ῥοπή, ἐκ παιδὸς εὐθύς διεφαίνετο. Ἄρτι γὰρ τὴν τῶν νηπίων ἀμείθων ηλικίαν (καὶ οἷα πέφυκεν αὕτη παιδιαῖς δεῖ χαιρῆναι καὶ ὁμηλικῶν συνουσίας δι' ἀπλότητα), ἐρχεται καὶ οὗτος· ποτε μετὰ τῶν ηλικιωτῶν ἐπὶ τινὰ τῆς θαλάσσης ἀκτὴν. Καὶ συμπαίζει μὲν αὐτοῖς παρὰ ταῖς ὄχθαις ἐδόκει, σπουδὴ δὲ ἦν ἀληθῶς ἡ παιδιαῖς, καὶ τῶν μελλόντων οὐ τύπος μόνον, ἀλλὰ καὶ πρόφασις Ἀθανασίῳ καὶ ἀπαρχὴ τῆς πρὸς Θεὸν οικειώσεως. Ὑποκρινάμενοι γὰρ ἐν τῇ παιδιᾷ τὰ τῶν ἱερῶν οἱ παῖδες, Ἀθανάσιον μὲν ἐπίσκοπον δῆθεν χειροτονοῦσιν· αὐτοὶ δὲ, εἰς πρεσβυτέρους ὡσπερ καὶ διακόνους ἀφορισθέντες, προσήγον αὐτῷ παιδας ἐτέρους ἀσφραγίστους ἐπὶ τῷ θείῳ βαπτίσματι, ὥστε ὑπ' αὐτοῦ βαπτισθῆναι. Κάκεινος πάντα τελῶν ἐπ' αὐτοῖς (b) τὰ νενομισμένα, καὶ θαλαττίῳ τοῖς παιδας βαπτίζων ὕδατι, ἐῴκει βούλεσθαι τινος πρὸς αὐτοὺς καὶ παραινέσεως ἄψασθαι. Ὁ γοῦν τῆς Ἀλεξανδρέων τριηκᾶτα προεστὸς θεὸς Ἀλέξανδρος, σχολὴν τῶν ἐν χερσὶν ἄγων, καὶ τινι μετρίῳ δούς ἑαυτὸν ἀνέσει, τὰς ὄψεις τε τοῖς ἡδίστοις ἐπιβαλὼν τῆς θαλάσσης θεάμασι, καὶ παιδιᾷ τοιαύτῃ χρώμενον ἰδὼν Ἀθανάσιον, ἱκανῶς τε τῇ θέῃ προσδιατρέψας, καὶ πάνυ σφόδρα θαυμάσας καθ' ἑαυτὸν, ἄγει τοὺς παιδας εὐθύς· καὶ τούτων ὅσοις μὲν αἱ καθαραὶ χεῖρες Ἀθανασίου καὶ θεῶν ἐντολῶν ἐκ νηπίου διάκονοι, καθάπερ τινὰ τύπον τῆς ἐν Χριστῷ σφραγίδος ἐπέβαλον, τούτους προθύμῃ χειρὶ καὶ αὐτὸς ἐπιχρῆει, οἷα τὴν τῶν καλῶν ἐκείνων Ἀθανασίου χειρῶν ἐπιθεσιν καὶ (c) πρὸ τῆς ηλικίας δυσωπηθεῖς καὶ ματαίαν εἶναι μὴ δικαιοῦσας· ἐπιχρῆει τοίνυν αὐτοὺς καὶ τελειοὶ διὰ τοῦ βαπτίσματος

(a) Colbert. 2, κυριώτατος.

(b) Sic Iræc. miss. recte. Editi vero, ὑπ' αὐτῆς.

(c) Colb. 2, κᾶν.



τες· ἔτι γὰρ αὐτοὺς ἀμνητοὺς εἶναι προλαβὼν ὁ ἄ-  
λόγος ἐδήλωσεν· αὐτὸν δὲ Ἀθανάσιον, τὸ γλυκὺ τῆς  
ἀρετῆς ἄνθος, τὸ τεργνὸν ἐκείνης φυτὸν, ἥδη τε  
ὠρίμοις βρῦον καρποῖς τοῦ πνεύματος καὶ πρὸ τῆς  
ῥαυρας, παραδίδωσι τοῖς τεκοῦσιν, ὥστε γράμμασι  
αὐτῷ τὸν παῖδα προσαγαγεῖν, τῇ Ἐκκλησίᾳ δὲ  
Σαμουήλ.

3. Οὕτω τοιγαροῦν Ἀθανάσιος, τοῖς θεοῖς ἐμ-  
μελετήσας μαθήμασι καὶ τινα τῶν ἐγκυκλίων  
ἀσκήσας, ἥδη δὲ καὶ τὴν ἡλικίαν πρόσθετος ὢν, τῷ  
ἀρχιερεὶ πάλιν (α) ὑπὸ τῶν τεκόντων προσαγεται.  
Ὁ δὲ, τοῦτον ἀσμένως δεξάμενος (ἦδει γὰρ οἶον  
ἔσται ταῖς Ἐκκλησίαις ἀγαθὸν Ἀθανάσιος), τὴν  
ἱερατικὴν αὐτῷ στολήν περιτίθησι, καὶ τῷ κλήρῳ  
συγκαταλέγει, τὸν σύμμαχον τοῖς θγωνισταῖς, τὸν  
ἀριστέα τῇ παρατάξει. Πολλὰ μὲν οὖν Ἀθανασίῳ  
τῶν τρόπων πλεονεκτήματα, πολλὰ δὲ καὶ λόγων  
θαυμάσαι ἄξια κατορθώματα ὧν οὐδὲν οὕτω τὸν  
ἄνδρα γνωρίζει, ὡς οἱ περὶ τῶν ὁρθῶν δογμάτων  
ἀγῶνες, καὶ τὰ κατὰ τῆς ἀσεθείας νεανιεύματα·  
ἀπερ ἀριθμεῖν πάντα ἐξῆς ἐπίσης ἐστὶ καὶ κοτύλαις  
ὕδωρ θαλάσσης ἀναμετρεῖν. Ἄλλ' ἡμῖν γε ὀλίγα  
πάντως τῶν ἐκείνου παραληπτέον· ὥσπερ γὰρ τὸ  
πάντα διελεθεῖν ἀδύνατον, οὕτω πάλιν τὸ πάντα κα-  
ταλιπεῖν προφανῶς ἄδίκον, καὶ φθονούτων μᾶλλον  
ἢ χαϊρόντων τοῖς ἀγαθοῖς ἴδιον. Ἐλύσσα μὲν Ἄρειος  
ὁ πολὺς τὴν μανίαν καὶ πᾶσαν ἐκλόνει τὴν Ἐκκλη-  
σίαν, ἥδη δὲ καὶ τὴν οἰκουμένην αὐτὴν, καὶ διὰ  
πάντων ἢ κακία ἐχώρει, καὶ ὅρον αὐτῆς ἐκεῖνος  
εὐδένα οὐδὲ καιρὸν ἐποιεῖτο· ἀλλὰ καὶ ὑπερορίαν  
κατακρίθεις, καὶ τῆς τοῦ Χριστοῦ μερίδος ἐκκη-  
ρυχθεὶς, καὶ σχεδὸν ἡμιθανὴς (b) ὁ δράκων γενόμε-  
νος, ἔσπαιρε τῷ οὐρῷ, καὶ τοῖς ὁμόφορον ἐσάλεινε  
μαθηταῖς. Δεῖ τοῦτον οὖν καὶ τὸν μέγαν τὴν εὐσε-  
θεϊαν Κωνσταντῖνον τὸ μέγα φρόνημα συναρπάσας·  
οὐδὲν γὰρ οὕτως ὡς ἐλευθέρα ψυχὴ πρὸς δόλον  
ἀνύποπτον· τὸν βασιλεῖα τοιγαροῦν ἔρχοις καὶ γράμ-  
μασι πολὺ τὸ ἐπαγωγόν τε καὶ πιθανὸν ἔχουσι διὰ  
τῶν αὐτοῦ μαθητῶν, ἢ διδασκάλων μᾶλλον τῆς ἀσε-  
θείας καὶ νομοθετῶν ὑποφθείρας, καὶ τὸ οἰκεῖον  
δόγμα ἐκθέμενος, βήμασι μὲν ψιλοῖς, καὶ αὐτῷ τῷ  
ἀκοῦσαι ὁμοίως ἔχων δῆθεν τῷ ἡμετέρῳ, πράγμασι  
δὲ, καὶ γνώμῃ καὶ ταῖς ἐν βᾶθει διανοαῖς παρὰ  
πολὺ διεστῶς, ταύτη τὴν ἀπὸ τῆς ὑπερορίας ἀνά-  
κλησιν πραγματεύεται.

4. Οὕτω δὲ τῷ μαρῷ ἐκείνῳ τὴν Ἀλεξανδρέων  
ἐπὶ κακῷ τοῦ κοινοῦ καὶ τῆς Ἐκκλησίας καταλα-  
θόντι ὁ στεφθεὶς ὀπλίτης Χριστοῦ, ὁ τῶν ὁρθῶν  
δογμάτων καὶ τῆς εὐσεθείας προασπιστής, ὁ μέγας  
εὐθὺς προσέβαλλεν Ἀθανάσιος, καὶ πολὺς ἦν ὑπο-  
κινῶν τὸν ἀρχιερέα καὶ πρὸς τὸν κατ' αὐτοῦ πό-  
λεμον διεγείρων στρατηγόν, καθάπερ τις ὑπερασπι-  
στής (c) γενναϊώτατος· ἠξίωτο γὰρ ἥδη καὶ τοῦ τῶν  
ἀρχιερατικῶν βαθμοῦ καὶ τῆς τάξεως· ἐφ' οἷς ἐτα-  
ράττετο μὲν Αἴγυπτος, ἐταράττετο δὲ πᾶν ὅσον περὶ

(a) Sic codices omnes mss. Editi vero, male, Παύ-  
λῳ.

(b) Reg. et Colbert. 2. ἡμιθνής. Mox 3 mss. οὐ-  
ραῖ.

lantern, parentibus tradit, quo litteris statim ad-  
screndis daret operam, atque adultus sibi iterum  
offerretur, vel potius Ecclesiae atque Deo, quem-  
admodum, aiebat, Anna Samuelem.

τέως αὐτὸν ἐκπονεῖν, εἰς ἡλικίαν δὲ ἤκοντα, πάλιν  
μᾶλλον καὶ τῷ Θεῷ, καθὰ, φησὶ, καὶ ἡ Ἄννα τῷ

3. Atque ita Athanasius in divinis institutus lit-  
teris, liberalium quoque disciplinarum aliquantum  
edoctus, cum adolescens jam esset, archiepiscopo  
iterum adducitur a parentibus. Quem ille libenter  
exceptum (norat enim quale quontumque bonum  
Erat tunc Ecclesia dives, quatuor columnis suffulta, nempe Athanasio patriarcha, Antonio et Pachomio monachis Ægyptiis et Basilio episcopo Cæsareæ in Cappadocia. Is et Liberius patriarcha Romanus, amici fuerunt Juliani imperatoris, in eadem cum illo schola instituti. Cum audiissent vero pravas opiniones quas profitebatur, assumptis episcopis ad eum profecti sunt. Qui contemplatus aliquandiu vestitum eorum et barbam, dixit eis : Quid quæritis? Quærimus, inquit, pastorem bonum qui nos pascat. Tum ille ad Basilium : Ubi, inquit, reliquisti fabri filium, dum huc ad me venisti? Reliqui illum, inquit Basilius, occupatum in compingendo tibi ferebro, ut te in illud collocaret. Ad quæ imperator : Nisi, inquit, amicus meus esses, et esset in me voluntatis erga te propensio, hoc momento caput tibi præcidi juberem. Tunc Basilius : Annon, inquit, doctrinæ quondam amore flagrabas, cur igitur sapientiam deseruisti? Respondit imperator : Legi, inquit, quæ ad eam pertinent, memoriæ commendavi et abjeci. Verum, inquit Basilius, neque eam

legendo bene didicisti aut memoriæ mandasti ; si enim eam cognovisses, aut animo complexus esses, nunquam abjecisses. Imperator dixit : Oportet ut vos detineri in vinculis jubeam, donec ab expeditione Persica redivero, et expectabitis quodcumque deinceps futurum. Dixit et Basilius : Si proficiscaris, et rediveris, Deus in me locutus non est. Tandem Julianus : Quid, inquit, faciam adversus Galilæum istum mendacem, cui dixit : Destruam templum quod Judæi ædificaverunt? ædificabo scilicet illud regia magnificentia, atque ita unicuique manifesta erit falsitas ejus : dixit enim non amplius ædificandum fore. Postea conjecit in carcerem Basilium et duos qui cum eo venerant, et in Persarum regionem profectus, transivit per Hierosolymam. Ibi cum vidisset templum destructum, adeo ut nullus paries in eo superesset ex quo Vespasianus imperator illud destruxit, Judæosque perdidit et in servitum adduxit; Julianus vero jussit, ut loco munito novum ædificium construeretur. Et profectus est, relicto qui operi præset; ille cœpit eodem in loco ædificium instaurare : nam ruina templi talis erat ut ne quidem relictus esset lapis super lapidem, sicut dicit Evangelium sanctum <sup>1</sup>. Præcepit itaque novum ex integro ædificium excitari, cogitans templum idolorum illud facere. Operarii toto die usque ad noctem ædificabant : postridie cum reverterentur, inveniebant quodcumque ædificaverant destructum manu alia quam hominis : sed reperiebant parietes integros eversos a fundamentis et in terram dejectos. Perseveraverunt nihilominus mensibus duobus, neque quidquam ædificare potuerunt. Dixeruntque ad eos Judæi : Ignem injicite sepulcris istis in quibus Christiani jacent, et solida erit ædificatio quam molimini. Ignem igitur injecerunt sepulcris, incipientes a duobus ; in quibus erant corpora Elisæi prophetæ et Joannis Baptistæ : sed ignis nullo modo illa absumere potuit ; unde majorem in modum obstupefacti sunt, cum per dies multos ignis ardens ad ea non accederet. Fideles porro quidam ad præfectum adeuntes, oblata pecunia, petierunt ut sibi liceret corpora duo ex sepulcris transferre : quod ille concessit. Illi levata sancta corpora miserunt ad Athanasium patriarcham Alexandrinum. Ille cum ea recepisset, parem inde lætitiæ cœpit, ac si illos vivos esset intuitus : acceptaque corpora in quodam loco deposuit donec ædificandæ illis ecclesiæ copiam nancisceretur. Quodam die cum Athanasius domi sederet, simulque fideles multi ad audiendum sermonem ejus, in quo vita erat animarum illorum, levavit oculos, vidensque colles duos e regione loci in quo erat, dixit : Tempus jam reperi, quo super illos colles ædificem ecclesiam Joanni Baptistæ et Elisæo prophetæ. Theophilus ejus scriba sedebat ad mensam prope illum, cum aliis fidelibus multis, et hæc verba cum audiisset, servavit apud se. Interea Julianum imperatorem apostatam, cum in Persas

<sup>1</sup> Matth. xxiv 2.



profectus esset, tradidit Deus in hostium suorum manus, sauctorum causa quos in vincula conjecerat ante profectionem, et eorum quæ illis comminatus fuerat. Mortis ejus talis ratio fuit: Nocte vidit quosdam milites desuper ex aere in eum irruentes, quorum unus lancea percussit eum in capite, eamque adegit usque in ventrem ejus. Intellexit illum esse aliquem ex martyribus, implevitque manum suam sanguine quem sursum jaciens dixit: Accipe hoc, Jesu, nempe locum integrum capis. Ita cum blasphemasset, corruit mortuus, liberavitque Deus populum suum, Romanique ad proprias sedes reversi sunt. Triduo autem ante mortem Juliani, Basilium cum esset in carcere, evigilans a somno dixit duobus qui secum erant: Vidi hac nocte S. martyrem Mercurium intrantem in ecclesiam suam; ibi accepit hastam suam, et dixit: Certe non sinam impium hunc blasphemare adversus Deum meum. Hæc cum dixisset disparuit ab oculis meis neque amplius illum aspexi. Uterque illorum dixit ad eum: Equidem vidi quoque illud ipsum. Tum inter se dixerunt: Credimus profecto vere, quod res ista fiet. Miserunt igitur ad ecclesiam martyris Mercurii, qui inspicerent lanceam ejus quæ illic erat, utrum illic esset aut non: ea non inventa, certam habuerunt somnii veritatem. Elapso triduo litteræ et nuntii de morte Juliani Antiochiam pervenerunt. Principesque imperii congregati virum nomine Jovianum ad imperium evexerunt. Erat ille fidelis, sanctus, timens Deum a juventute sua: et statim atque capessivit imperium, Patres e carcere liberare jussit. Ita comprobata est veritas sermonis quem Basilium columna veritatis ad Julianum apostatam habuerat, quod rediturus non casset, æque ac quod Michæas propheta Achabo impio Israelitarum regi prædixerat. Deus enim qui facit mirabilia, ipse amborum prophetæ scilicet istius, et sancti illius Patris Deus erat, qui utriusque verba accepta habuit. Jovianus deinde tres illos Patres venire ad se jussos, honore affecit, multaque illis largitus munera eos ad sedes suas dimisit. Orationes quæ in ecclesiis fieri solent frequentabat. Dedit quoque ad Athanasium patriarcham Alexandrinum litteras, in quibus ita eum alloquebatur: O Pater, pastor vere et fidelis Athanasi martyr Christi, qui Deus est imperii mei, ipse te foveat et majorem in modum consoletur. Conforta cor tuum et apprehende virgam sacerdotalem et cum ea depelle lupos rapaces a grege spirituali: illos, inquam, quorum ora plena sunt maledictione et amaritudine veneni aspidum, quique animas occidunt. Lectæ sunt illæ litteræ in ecclesia Alexandrina, misitque eas Athanasius pa-

A triarcha in provincias Ægypti, ubi lectæ sunt in ecclesiis ad confirmandos et confortandos fideles. Expulsi etiam fuerunt sectatores Arii, Vincencius, etc....

Postea quidam illorum Jovianum imperatorem adentes, querelas contra Athanasium detulerunt; quarum ille nullam rationem habuit, perspectam habens illorum malitiam. Jam vero Athanasius senuerat cum multis antea Tractatus et Orationes scripsisset. Scripsit inter alia de Melchisedeco: et de Patre Antonio, cujus vitam descripsit. Præterea quadraginta septem Heortasticas seu Paschales Epistolas, de cruce, de Christo Domino, quod erga eum diabolus nihil viderit, existimans illum esse purum hominem, et cum ad eum accessit anathema dixit ipsi in faciem Dominus, digito uno qui auriculari proximus est: et eum destruxit quando (apostolos) vicarios suos constituit. Nempe potestatem ejus dissipavit et abolevit infirmamque reddidit: ostenditque nobis se per infirmitatem vicisse potentiam diaboli: eo enim digito qui est ab auriculari secundus, homo nihil agit cum sit digitorum imbecillior: sed neque subito illud aggressus est, sed potestatem ejus inanem reddidit, sicut in psalmo LXXVII scriptum est: *Exsurgat Deus et disperdat inimicos suos*. Scripsit etiam Athanasius alia multa quæ ad doctrinam Christianam spectant et alia innumera. Ad Basilium quoque litteras semel et iterum scripsit, ad quas ille respondit. Item ad Arsenium de morte Theodori consolatorias, in quibus scripsit inter alia: Utinam quisque nostrum, eum quem Theodorus frater tuus locum consequatur, et navis nostra ad eum in quo receptus est portum perveniat! Scripsit præterea opus, quo demonstrat, malum esse a diabolo, quodque in Deo locum non habeat omnino. De eodem Patre Athanasio patriarcha dicitur, quod angelus Domini eum sustulerit dum per longa itinera fugere cogere ab impiis imperatoribus, eumque quo volebat detulerit, sicut olim Habacuc propheta Hierosolymis Babylonem delatus est, et Ezechiel Babylonem Hierosolyma: neque enim hoc Deo difficile est. Erat Alexandria idolum nomine *Rarail*: cum vero Athanasii jam febre correpti quies appropinquaret, dixit: Si invenio misericordiam apud Christum Dominum meum, prociadam coram eo neque faciem meam levabo, donec claudantur fores templi idoli istius. Testati vero sunt sacerdotes Alexandrini, quod septem diebus elapsis ab ejus obitu, misit Jovianus imperator fidelis mandata, secundum quæ templum illud oclusum est.

## JUSTI FONTANINI

## ARCHIEPISCOPI ANCYRANI

DE ANNO EMORTUALI SANCTI ATHANASII PATRIARCHÆ ALEXANDRINI  
DISSERTATIO.

(Opp. Athanas. ed. Venet. 1777, tom. I.)

I. Eroditorum animos jampridem variæ sententiæ A parte II, cap. 11, astipulantur Bollandiani auctores  
distinuerunt de anno emortuali sancti Athanasii ; in tomo I Maii, p. 248, iterumque in *Historia pa-*  
hic a nobis necessario examinandæ, ut tempus eidem anno connexum, quo Melania et Rufinus in *triarcharum Alexandrinorum*, tomo V Junii præfixa,  
Ægypto primum apparuerunt, firmiter stabiliantur. hoc fulti Baronii axiomate, quod ex A. D. 69,  
Et enim alii A. D. 371, alii A. D. 375 sanctissimum patriarcham decessisse contendunt, utrique mediæ viæ quam tenuit Baronius propemodum § xxxvi, in medium sistunt : *Tempora unnumerata per*  
obliti, dum is A. D. 372 strenuum fidei catholicæ consules libentioribus sunt accipienda auribus, cum  
defensorem ad præmia æterna vocatum existimavit. cæteris illa frequentior, liberalior et verior esse no-  
Nobis, qui Baronii suffragio hac in re libenter scatur chronographia, quæ a fastis deducta est con-  
cedimus, quia inter omnes auctores præcipuam sularibus.  
laudem hujus quæstionis penes illum exstare arbitramur, singulorum pondus perpendere opus est, ut viri magni calculos longe accuratissimos cæteris præstare ostendamus, quod seorsum ab *Historia* B  
*litteraria Aquileiensi* facere visum est, ne illius cursus longiori disquisitione perturbaretur. Nequaquam tamen est animus ut scriptorum, quos merita in rem litterarum clarissimos reddiderunt, laudum cumulo vel minimum detrahatur, sicubi veritatis inquirendæ causa ab illorum judicio discedimus, quandoquidem citra ullius injuriam haud parvi profecto interest, obitum Athanasii suo anno restitui; in quo restituendo viri celeberrimi desudarunt, cum ille sit quædam veluti epocha generalis, unde maximæ in antiquitate ecclesiastica res pendent; nec solum enim persecutio inde Alexandrina deducitur, sed gesta Hieronymi, Rufini, et Melaniæ, historia etiam Palladii, et Paulini Nolani epistolæ non modicum illustrantur, ut in *Historia* C  
nostra visum est, cujus potissimum scriptio nos perpulit ut in eundem annum e tenebris antiquitatis eruendum, gnæviter incumberemus. Primæ ergo sententiæ auctor est Socrates, lib. IV, cap. 19, ubi Athanasium demortuum facit Gratiano II et Probo coss., nempe A. D. 371, eique præter Godofridum Hermannum in *Vita*, lib. XI, cap. 17, et Petrum Franciscum Chiffletium in *Paulino illustrato*

Hac, ut puto, ratione victus chronologorum facile princeps Dionysius Petavius in lib. XIII *De doctrina temporum* A. D. 371, atque alibi etiam, Socratis narrationi acquievit. At vero lib. II, epist. 9 ad alium magni nominis chronologum Ægidium Bucherium, sui argumenti pondus inde augeri existimavit, quod Nicephorus testetur in Chronico, Theophilum Athanasio successorem datum anno XV post ejusdem obitum. Datus est autem Arcadio et Bautone coss. A. D. 385, ex Socrate lib. V, cap. 12, et quidem post diem XXVI Julii, quo Timotheus decessit. Sed hinc potius sequeretur Athanasii obitum contigisse A. D. 370; itaque benigna explicatione juvandus est, ubi ait pag. 416, Petrum post Athanasium in exilio vixisse anno uno, Lucium annis V, Petrum secundo anno uno, Timotheum annis VIII, quem excepit Theophilus. Aliud est Theophilum annos XV, ab Athanasii decessu episcopum sedisse, aliud sedere cœpisse postquam Athanasii quatuor successores annos XV in eadem sede explevissent. Hinc enim sequitur Theophilum anno demum XVI successorem datum: critici omni præconio majores, duce Baronio, cum Socrate signa conferunt; nec tamen omnes in eundem scopum arma collineant; nam Baronius stat pro A. D. 372, cæteri pro A. D. 373 haud segniter pugnant; atque hi sunt Henricus Norisius in censura *contra Joannem Garnerium*, pag. 45, ubi sententiam Baronianam expungit ab se olim probatam in *Historia Pelagiana* lib. I, cap. 2, Antonius Pagius A. D. 372,

§ ix, Sebastianus Nanius, Tillemontius in *Com-  
mentariis Historiæ ecclesiasticæ* tomo VI, pag. 582,  
et tomo VIII, pag. 252, 721; et Bernardus de Monte-  
falconis, insignis Benedictinæ familiæ monachus,  
in *Vita*, quam operibus Athanasianis præfixit; nu-  
perque adhuc locupletius in epistola inscripta: *An  
vera narratio Rufini de baptizatis pueris ab Atha-  
nasio puero*, in qua summus et vir et amicus anim-  
advertit, Socratem non raro confusum, res omnino  
disparatas conjungere, atque adeo tunc esse præci-  
pue accuratum, quando acta publica cum notis con-  
sularibus recitat, non ita vero ubi cum iisdem no-  
tis, proprio Marte dispositis, aliquod gestum enar-  
rat. Quare effatum Baronii per hagiologos Bollandia-  
nos adductum, *de antiquis scriptoribus* accipiendum,  
ut ipsemet doctissimus cardinalis statim se accipere  
explicat, nimirum de æqualibus, non ita de illis,  
qui rem notis consularibus suo ingenio distin-  
guunt, cui tamen ipsi haudquaquam æquales, sed  
posteriores fuerunt. Alia id genus in Socrate de-  
prehendit vir illustris de Montefalconis, cujusmodi  
est, ubi scribit historicus Athanasium demortuum  
*post quadraginta sex annos in episcopatu completos*:  
qui numerus quidem certe Socrati opponitur: sed  
tamen nobis facilem viam sternit ad Athanasii an-  
num emortualem proxime detegendum. Etenim  
sanctus Alexander episcopus Alexandrinus a con-  
cilio Nicæno redux A. D. 326, Athanasio sibi in  
successorem affecto, diem obiit eodem anno, men-  
sibus quinque nondum exactis ab receptione Me-  
letianorum, quæ contigit uno vel altero mense post  
absolutum concilium. Id testatur ipsemet Athana-  
sius in *Apologia* II, tomo I Operum pag. 140 (Ve-  
netæ editionis), et Theodoritus. At vero anno-  
rum numerum hinc ad A. D. 371 deductum, quo  
Socrates ejus obitum signat, non *quadraginta sex  
annos, sed solos quadraginta quinque* conficere  
exploratum est. Neque hic annorum numerus com-  
pleri poterit, etiamsi illum cum sociis Bollandia-  
nis, præter vetustatis consensum inchoare velimus  
ab die XVIII Januarii, non vero ab exeunte Aprili  
anni 326, tres enim menses et aliquot dies, qui  
inde reliqui exsurgerent, *quadraginta quinque annos*  
eiusque amplificare non possunt, ut *quadraginta sex  
integros* constituere videantur. Enimvero Cyrillus in  
sede Alexandrina, annis circiter quadraginta dun-  
taxat post Athanasium, episcopus, disertim testatur  
in epistola I ad solitarios, tom. V Operum parte II,  
pag. 3, eundem decessorem suum Alexandrinæ Ec-  
clesiæ præfuisse *annis integris quadraginta sex*: ἐπ'  
ἡσὶν ἔτησι τεσσαράκοντα καὶ ἑξή, quod de annis  
jam pridem elapsis, non de elapsuris intelligendum  
esse, nemo, ut puto, negabit, quanquam secus vi-  
sum fuerit Paschasie Quesnello, qui probationes ex  
numero annorum pontificatus, *indirectas* judicans,  
eisdem cum Proteriana mortis Athanasii epocha,  
et cum Hieronymi calculo stare posse pronuntiavit  
in tomo II Operum sancti Leonis pag. 900. Quot  
autem errores hic cubent, postmodum apparebit. In-

terim Socrati et Cyrillo, in eodem numero annorum  
determinando, consonat etiam Rufinus Athanasii  
olim funeri præsens, ubi ait lib. XI, cap. 3, illum  
quievisse *quadragesimo et sexto anno sacerdotii sui*.  
Idem habent Sozomenus lib. VI, cap. 19, auctor  
farraginis Alexandrinæ in excerptis Eusebianis Sea-  
ligeri pag. 84, Theophanes, Anastasius Bibliotheca-  
rius et Nicephorus in *Chronicis* quanquam alias  
ab errore non vacui: quibus Arabicos etiam scri-  
ptores jungit Eusebius Renaudotius in *Historia pa-  
triarcharum Alexandrinorum Jacobitarum*, pag. 96.  
Quapropter hæc omnia conjunctim exposita, in  
sancti Athanasii annorum episcopatum numero ex-  
presse definiendo, nulla arte infirmari posse credi-  
derim; ideoque Rufini et cæterorum annos haud-  
quaquam cavos, sed undique plenos et integros  
Cyrilli auctoritas reddit: qui sui decessoris elogium  
dedita opera scribens, rem adeo vulgatam atque  
testatam ignorare non potuit; quique *quadraginta  
sex annos integros* non appellasset, qui tantam  
*quadraginta quinque* fuissent. Quare etiamsi tres  
menses a Bollandianis excogitadosmitteremus,  
adhuc probandum esset, tres illos eosdem menses  
diserto et luculento vocabulo non solum *anni*, sed  
*anni integri*, sive pleni et absoluti, ab Cyrillo deno-  
tari potuisse.

II. Multa alia huic loco possem attexere, sed quæ  
docte et copiose disserit Cl. Montefalconius, invi-  
tos etiam fateri cogunt, Athanasii mortem in A. D.  
371, ab laudatissimis viris frustra ferri. Vereor  
tamen, ut eadem felicitate, qua illinc deicitur,  
conjici possit in A. D. 373, quemadmodum conji-  
ciendam esse non dubitant præstantes viri Pagius,  
Tillemontius et post eos Montefalconius, qui post-  
remus omnium uberrime hanc spartam ornavit,  
ita ut nihil sibi reliqui fecerit in ea quam memo-  
rari epistola de *Narratione Rufini*. Fundus in quo  
tanti viri consistunt est epistola Proterii Alexan-  
drini ad pontificem Leonem Magnum A. D. 454  
conscripta, quam post Petavium Latine vulgavit  
Ægidius Bucherius in *Commentario De doctrina  
temporum*; ibi enim pag. 84 hæc leguntur: *In octo-  
gesimo nono anno ab imperio Diocletiani, superstite  
beatæ memoriæ patre nostro et episcopo Anastasio  
D (lege Athanasio) cum XIV luna Paschalis XXVIII die  
mensis Phaminoth, id est nono Kalendarum Aprilium  
die provenisset, die Dominico, in subsequentem trans-  
lata est hebdomadem, ita ut quinta die Pharmoti,  
hoc est pridie Kalendarum Aprilium, celebraretur  
Pascha Dominicum.*

Hæc notæ chronologicæ in annum Domini 373  
quadrare noscuntur: quo Pascha in subsequen-  
tem Dominicam, sive diem XXI Martii transla-  
tum fuisse tradit epistola: et superstitie quidem  
Athanasio, qui postmodum inter mortales vivere  
desierit, si assertoribus ejusdem anni 373 auscul-  
tare velimus. Hæc enim variis doctis persuaserunt,  
supremum diem Athanasii extra A. D. 373 non esse

quærendum. Nec profecto florum sententia male A  
 procederet, dummodo et reliqui characteres, quem-  
 admodum ab A. D. 371 abhorrent, ita et cum vul-  
 gato Proterii calculo in annum 373 sponte sua et  
 æquo pede concurrerent. Verum hic Rhodus hic  
 saltus; ubi enim hanc supputationem amplecti vel-  
 limus, annos Athanasii non tantum *quadraginta sex*  
*integros* ex veterum scriptorum consensu illi attri-  
 butos numerabimus, sed *quadraginta septem*, uni-  
 versa antiquitate reclamante, numerari videbimus.  
 Atque hæc causa est cur tutius et commodius existi-  
 memus, ne latum quidem unguem deflectere a Baro-  
 nii sententia, qui A. D. 372, § 12, Socratis col-  
 legio consulari posthabito, licet ab se olim excepto  
 in notis ad Martyrologium, hæc litteris consignavit:  
*Hoc item anno, iisdemque consulibus (Modesto et* B  
*Arintheo), sanctus Athanasius episcopus Alexandri-  
 nus post innumeros pro luenda fide catholica susce-  
 ptos labores, cum sedisset annos QUADRAGINTA SEX,  
 sexto nonas Maii solutus carnis vinculis, accepturus  
 immortalitatis coronam migravit in cælum. Hic  
 primo corrigimus quod aliquando cum Socrate nos  
 dixisse meminimus, ipsum anno superiori, nempe  
 trecentesimo septuagesimo primo, defunctum esse.  
 Porro cum constet anno sequenti a Nicæno concilio,  
 nempe Domini trecentesimo vicesimo sexto, fuisse  
 creatum episcopum Alexandrinum; ad hunc usque  
 annum oportuit pervenisse; licet apud Hieronymi  
 Chronicon anno sequenti ponatur substitutio succes-  
 soris. Ita Baronius: cujus tamen calculus Hierony-  
 num etiam concinere, secus atque ipsi visum est,  
 inferius monstrabo. Idem vir purpuratus postquam  
 Rufini tum in Ægypto cum Melania versantis, et  
 Cyrilli quoque Alexandrini testimonia de annis] ab  
 Athanasio in episcopatu transactis, recitasset, Cy-  
 rillum hæc omnia exploratissima habuisse merito  
 censet, utpote ejusdem Ecclesiæ episcopum; atque  
 hinc mendacii Socratem arguit, qui cum *totidem*  
*ejus sedis annos Athanasio tribuat, decessisse tamen*  
*ait anno superiori, Gratiano et Probo consulibus;*  
 quanquam haud sane mentitum Socratem puto: sed  
 humani aliquid passum, ut viris etiam summis non  
 raro accidit, unum par consulum oscitanter pro alio,  
 eidem proximo, sumpsisse non dubito. Ad Proteria-  
 nam epistolam, quam, utpote suo tempore necdum D  
 editam, Baronius non vidit, postmodum revertemur.*

Sane præter exactum et præfinitum annorum  
 numerum, cætera omnia huic A. D. 372 prorsus  
 conveniunt, quæ neque A. D. 371, neque 373 aptari  
 ullo modo possunt, ut statim visuri sumus. Et prin-  
 mum illud peculiarem observationem meretur, quod  
 non solum Pagius A. D. 372, § 13, sed etiam Montefal-  
 conius pag. 41, uno ore confirmant, Rufinum  
 scilicet ac Melaniam, qui A. D. 371, *ingruente jam*  
*hieme*, ex Hieronymi epistola 22, alias 25, in  
 Palæstinam profecturi, ex Urbe discesserant, Ale-  
 xandriæ visos A. D. 372, quo Melania ab sancto  
 Athanasio pelle ovina donata est, quam hyena in

mercede restituti catulo suo oculorum usus, Marco  
 abbati, Marcus postea Athanasio obtulerat. Et ex  
 ore Melaniæ se accepisse tradit Palladius in *Para-*  
*diso Heraclidis*, cap. 6, pag. 954 editionis II He-  
 riberti Rosweydi. Hac enim antiqua versione *Hi-*  
*storiæ Lausiacæ* hic libenter atque alibi utimur,  
 quotiescunque recentior interpres Gentianus Her-  
 vetus ob Græci codicis corruptionem ab errore non  
 vacat. Sane haudquaquam vacare deprehenditur  
 cap. 20 de ovina pelle sermonem faciens. Ad Pa-  
 gium A. D. 372, § 19, ubi locum ex conjectura fel-  
 liciter emendavit, ad quem multiplici limo turbatum,  
 hæsisse comperio non solum Rosweydem in notis  
 ad Palladium pag. 786, § 52, sed præterea Chiffle-  
 tium in *Paulino illustrato*, parte II, pag. 11, et Til-  
 lemontium ad *Vitam sancti Macarii*, tomo VIII, pag.  
 811. Alium, sed similem eventum, Rufinus de Ma-  
 cario narrat lib. XI, cap. 4. Alium item de alio mo-  
 nacho Sulpicius in Dialogo I, cap. 9, locum Palla-  
 dii nuper adductum ad mentem Pagii ex codicibus  
 mss. postea restituit Montefalconius pag. 40.

III. Constat ergo *Melaniem*, ipsa *Melania* apud  
 Palladium suum necessarium narrante, pellem ovi-  
 nam accepisse ab Athanasio. Hanc tamen accepisse  
 non potuit, nisi A. D. 372, quo Ægyptum intravit;  
 nam teste Palladio, cap. 117, sex menses tantum in  
 Ægypto morata est. Et quemadmodum Marcus mori-  
 riturus pellem Athanasio reliquerat, ita et Atha-  
 nasium nonnisi moriturum eodem A. D. 372 Melani-  
 æ illam reliquisse pro certo habeo. Cur enim tam  
 cito antequam moreretur pretiosas exuvias a viro  
 sancto postremis tabulis sibi relictas, in matronæ  
 insignis quidem, sed peregrinæ, et vixdum sibi  
 fortasse notæ possessionem transferre voluisset?  
 Aliud in hac disceptatione validum argumentum  
 suppetit ex Rufino, in re quam vidit, fide dignis-  
 simo; is enim in lib. XI, cap. 2, et 3 testatur, Ale-  
 xandriæ continuo post Athanasii obitum persecu-  
 tionem in Catholicos excitatam ab Arianis, quibus  
 Valens Augustus favebat, *Tatiano Alexandriæ præ-*  
*sidente*: quod nonnisi A. D. 372 contingere potuit.  
 Etenim anno sequenti 373, non amplius *Tatianus*,  
 sed *Palladius*, qui eidem in præfectura Ægypti suc-  
 cesserat, Alexandriæ præsidebat, ex Socrate lib. IV,  
 cap. 20, et ex Theodoro lib. IV, cap. 22. *Rufinus*  
 porro omnem hac in causa dubitationem convellit,  
 dum præfectum nominat, sub quo continuo post  
 Athanasii obitum ea persecutio exarsit: in qua et  
 ipsemet *Rufinus* exsilia et carceres subiit; unde  
 ait: *Quæ præsens vidi, loquor; et eorum gesta refero,*  
*quorum passionibus socius esse promerui.* Melaniam  
 in hac eadem persecutione, continuo post Athanasii  
 obitum conflata, intra illos *sex menses*, quos in Æ-  
 gypto transegit A. D. 372, fugatos et apprehensos  
 fovendo, Christiana virtute excelluisse, auctorem  
 habeo Paulinum Nolanum, qui epist. 29 alias 10, §  
 11, hæc non perfunctorie legenda scribit ad Seve-  
 rum Sulpicium: *De multis tamen in illa (Melania)*

virtutibus Dei, unam saltem, de qua ejus omnia æssimantur opera, prædicabo: Tempore illo Valentis, quando Ecclesiam Dei vivi furor Arianorum, rege ipso impietatis satellite, persequeretur, hæc erat princeps vel particeps cunctis pro fide instantibus. Hæc fugatos recipiebat, aut apprehensos comitabatur. Sed cum eos recepisset in latebram, qui propter insignem fidem majore et hæreticorum odio infestabantur, et occultantium detegebantur invidia, gravi tunc seditione diabolicis facibus inflammata, quasi contra legem publicam contumax protrahi, ac pnti jussa est, quæ illos manebant, nisi prodere maluisset. Processit impavide cupida passionis et injuria publicationis exsultans, quamvis non expectasset trahi, tracturos antevolans ad judicem: qui confusus veneratione præsentis, non exsecutus est infidelitatis iram, dum fidei miratur audaciam. Hæc Paulinus de Melania, in æstu Alexandrinæ persecutionis intrepida: quæ Latine referre visum est, propterea quod multum ad hoc argumentum illustrandum conferre videantur. Ne vero alios quam Ægyptios ab strenua muliere adjutos intelligamus, hæc Nolanus antistes ibi statim subjungit: Eadem tempestate per iridium quinque millia monachorum latentium panibus suis pavit. De monachis Nitriæ, tunc post cives Alexandrinos ab eadem procella compressis, agit Rufinus in loco a nobis superius indicato

Tatianus mense Maio A. D. 367, Ægypto præerat, ex Gothofredo in Chronologia codicis Theodosiani, pag. 70. Auctor Farraginis Alexandrinæ testari videtur Tatianum Ægypto præfuisse per quadriennium, scilicet integrum, non computato primo anno, quo cœpit; neque ultimo, haud integro, quo præfecturam finiit, fortasse propterea quod illi duo anni pleni non essent; sive primum decessori, ultimum successoris potius reliquerit. Sed idem auctor vel sarcinator, utpote confusus et barbarus, magna luce non raro indiget, ut critici norunt. Ait tamen diserte, sub *Tatiano Augustalio* Athanasium obiisse, eique suffectum Petrum archipresbyterum. Eundem Tatianum A. D. 374, ex præfecto Ægypti comitem sacrarum largitionum habemus in Chronologia Gothofredi, pag. 94, sed iterum postea per triennium Ægypto præfuit A. D. 374, 375, 376, de quo auctor Farraginis Alexandrinæ pag. 84, ubi tamen consules turbatos esse observat Gothofredus. Quia vero in eadem Farragine, *Modesto et Arintheo* cons. statim post Tatianum, *Publius Augustalio* occurrit (quod fortasse fuerit Palladii prænomen, nisi cum Pagio A. D. 372 § 12, *Palladium* pro *Publio* legere malimus), hinc discimus, hoc eodem A. D. 372, quo iidem consules processerunt, Tatianum egressum et Palladium ingressum præfecturam Ægypti; ita ut prius semestre spatium Tatianus, qui statim post mortuum Athanasium mense Maio, in Catholicos præferociter sæ-

A viit; posterius vero Palladius, qui persecutionem ab Tatiano inceptam, eadem ætate continuavit, res Alexandrinæ pro Valente Augusto supremi judices administraverint. Agebat eo tempore Valens Antiochiæ, ubi legem jussit die xiii Maii ex Chronologia Gothofredi, pag. 91. Quare teste Socrate lib. iv, cap. 21, *Ariani absque mora imperatori, tunc Antiochiæ agenti, curaverunt significandam Athanasii mortem.* Idem historicus hæc postea subjungit: *PAUCIS DIEBUS interjectis, Euzoii Antiochenæ sedis simul et hæreseos Arianæ præses, temporis occasione captata, decrevit ire Alexandriam, uti administrationem Ecclesiarum ibidem Lucio pariter Ariano traderet.*

B IV. Hæc sine mora et paucis interjectis diebus a morte Athanasii fieri, omnia non potuissent A. D. 373, quia Valens hieme tantum hujus anni mansit Antiochiæ; æstatem vero, qua Athanasius obiisset, non Antiochiæ, sed procul in bello contra Saporem Persarum regem traduxit, e quo victor Antiochiam ad stativa hiberna remeavit. Ita ex Ammiano et Zosimo Tillemontius, tom. V *Hist. imperatorum*, pag. 105. Quare Valens A. D. 372 æstatem agens Antiochiæ nuntium accepit de morte Athanasii, imperavitque, ut auctor est Socrates, Magno comiti largitionum et Palladio, qui Tatiana in præfectura Ægypti tunc recens eodem anno successerat, ut impii Euzoii propositum copiis militaribus adjuverent. In hoc Theodoriti etiam testimonium concurrat, qui lib. iv, cap. 21, tradit, post collocatum in throno pontificali Petrum, *confestim* provinciæ præfectum Palladium, hominem cultu idololatram, cum gentilium et Judæorum phalange ecclesiam Catholicorum vallasse, ut in Petrum manus iniceret.

V. Fortassis hæc tam fuse persequendo nimius videar; sed tamen quando huc pervenit oratio, novum adhuc robur ex sancto Hieronymo adjungam, de quo peropportune me monent qui ejus auctoritatem vel temere elevant, vel perperam citant. Hieronymus ergo in Chronico Eusebiano ab se aucto Petri Athanasio suffecti ordinationem statuit sub anno i Olympiadis 288, cui respondere putant annum Dionysianum 373; atque hinc fit, ut certantes pro anno emortuali 371, Hieronymi chronologicos canones insuper habeant: qui vero pugnant pro A. D. 373, illorum se præsidio tueantur. Sic porro Hieronymi auctoritas variam fortunam subit. Sed viri docti ad alia properantes animadvertisse haudquaquam videntur, sub illo eodem anno in Chronico Eusebiano nonnulla alia, Petri ordinationi conjuncta, memorari, quæ tamen nullo pacto in A. D. 373 conjici possunt. Hæc ut exploratus patefiant, integrum Hieronymi laterculum, ut prostat in editione Scaligeri, hic lubet enucleare.

quærendum. Nec profecto florum sententia male A procederet, dummodo et reliqui characteres, quemadmodum ab A. D. 371 abhorrent, ita et cum vulgato Proterii calculo in annum 373 sponte sua et æquo pede concurrerent. Verum hic Rhodus hic saltus; ubi enim hæc supputationem amplecti velimus, annos Athanasii non tantum *quadraginta sex integros* ex veterum scriptorum consensu illi attributos numerabimus, sed *quadraginta septem*, universa antiquitate reclamante, numerari videbimus. Atque hæc causa est cur tutius et commodius existimem, ne latum quidem unguem deflectere a Baronii sententia, qui A. D. 372, § 12, Socratis collegio consulari posthabito, licet ab se olim excepto in notis ad Martyrologium, hæc litteris consignavit: *Hoc item anno, iisdemque consulibus (Modesto et Arintheo), sanctus Athanasius episcopus Alexandrinus post innumeros pro tuenda fide catholica susceptos labores, cum sedisset annos QUADRAGINTA SEX, sexto nonas Maii solutus carnis vinculis, accepturus immortalitatis coronam migravit in cælum. Hic primo corrigimus quod aliquando cum Socrate nos dixisse meminimus, ipsum anno superiori, nempe trecentesimo septuagesimo primo, defunctum esse. Porro cum constet anno sequenti a Nicæno concilio, nempe Domini trecentesimo vicesimo sexto, fuisse creatum episcopum Alexandrinum; ad hunc usque annum oportuit pervenisse; licet apud Hieronymi Chronicon anno sequenti ponatur substitutio successoris.* Ita Baronius: cuius tamen calculis Hieronymum etiam concinere, secus atque ipsi visum est, inferius monstrabo. Idem vir purpuratus postquam Rufini tum in Ægypto cum Melania versantis, et Cyrilli quoque Alexandrini testimonia de annis ab Athanasio in episcopatu transactis, recitasset, *Cyrillum hæc omnia exploratissima habuisse merito censet, utpote ejusdem Ecclesiæ episcopum; atque hinc mendacii Socratem arguit, qui cum totidem ejus sedis annos Athanasio tribuat, decessisse tamen ait anno superiori, Gratiano et Probo consulibus; quanquam haud sane mentitum Socratem puto: sed humani aliquid passum, ut viris etiam summis non raro accidit, unum par consulum oscitanter pro alio, eidem proximo, sumpsisse non dubito. Ad Proterianam epistolam, quam, utpote suo tempore necdum editam, Baronius non vidit, postmodum revertemur.*

Sane præter exactum et præfinitum annorum numerum, cætera omnia huic A. D. 372 prorsus conveniunt, quæ neque A. D. 371, neque 373 aptari ullo modo possunt, ut statim visuri sumus. Et primum illud peculiarem observationem meretur, quod non solum Pagius A. D. 372, § 13, sed etiam Montefalconius pag. 41, uno ore confirmant, Rufinum scilicet ac Melaniam, qui A. D. 371, *ingruente jam hieme*, ex Hieronymi epistola 22, alias 25, in Palæstinam profecturi, ex Urbe discesserant, Alexandriæ visos A. D. 372, quo Melania ab sancto Athanasio pelle ovina donata est, quam hyena in

mercede restituti catulo suo oculorum usus, Marco abbati, Marcus postea Athanasio obtulerat. Et ex ore Melaniæ se accepisse tradit Palladius in *Paradiso Heraclidis*, cap. 6, pag. 954 editionis u Heriberti Rosweydi. Hac enim antiqua versione *Historiæ Lausiacæ* hic libenter atque alibi utimur, quotiescunque recentior interpres Gentianus Herivelus ob Græci codicis corruptionem ab errore non vacat. Sane haudquaquam vacare deprehenditur cap. 20 de ovina pelle sermonem faciens. Adi Pagium A. D. 372, § 19, ubi locum ex conjectura feliciter emendavit, ad quem multiplici limo turbatum, hæsisse comperio non solum Rosweydem in notis ad Palladium pag. 786, § 52, sed præterea Chiffletium in *Paulino illustrato*, parte II, pag. 41, et Tillemontium ad *Vitam sancti Macarii*, tomo VIII, pag. 811. Alium, sed similem eventum, Rufinus de Macario narrat lib. XI, cap. 4. Alium item de alio monacho Sulpicius in Dialogo I, cap. 9, locum Palladii nuper adductum ad mentem Pagii ex codicibus mss. postea restituit Montefalconius pag. 40.

III. Constat ergo *Melaniem*, ipsa *Melania* apud Palladium suum necessarium narrante, pellem ovinam accepisse ab Athanasio. Hanc tamen accepisse non potuit, nisi A. D. 372, quo Ægyptum intravit; nam teste Palladio, cap. 117, sex menses tantum in Ægypto morata est. Et quemadmodum Marcus moriturus pellem Athanasio reliquerat, ita et Athanasium nonnisi moriturum eodem A. D. 372 Melaniæ illam reliquisse pro certo habeo. Cur enim tam cito antequam moreretur pretiosas exuvias a viro sancto postremis tabulis sibi relictas, in matronæ insignis quidem, sed peregrinæ, et vixdum sibi fortasse notæ possessionem transferre voluisset? Aliud in hac disceptatione validum argumentum suppetit ex Rufino, in re quam vidit, fide dignissimo; is enim in lib. XI, cap. 2, et 3 testatur, Alexandriæ continuo post Athanasii obitum persecutionem in Catholicos excitatam ab Arianis, quibus Valens Augustus favebat, *Tatiano Alexandriæ præside*: quod nonnisi A. D. 372 contingere potuit. Etenim anno sequenti 373, non amplius *Tatianus*, sed *Palladius*, qui eidem in præfectura Ægypti successerat, Alexandriæ præsidebat, ex Socrate lib. IV, cap. 20, et ex Theodoro lib. IV, cap. 22. *Rufinus* porro omnem hac in causa dubitationem convellit, dum præfectum nominat, sub quo continuo post Athanasii obitum ea persecutio exarsit: in qua et ipsemet *Rufinus* exsilia et carceres subiit; unde ait: *Quæ præsens vidi, loquor; et eorum gesta refero, quorum passionibus socius esse promerui.* Melaniam in hac eadem persecutione, continuo post Athanasii obitum conflata, intra illos *sex menses*, quos in Ægypto transegit A. D. 372, fugatos et apprehensos fovendo, Christiana virtute excelluisse, auctorem habeo Paulinum Nolanum, qui epist. 29 alias 10, § 11, hæc non perfunctorie legenda scribit ad Severum Sulpicium: *De multis tamen in illa (Melania)*

virtutibus Dei, unam saltem, de qua ejus omnia *actinentur opera, prædicabo: Tempore illo Valentis, quando Ecclesiam Dei rivi furor Arianorum, rege ipso impietatis satellite, persequeretur, hæc erat princeps vel particeps cunctis pro fide instantibus. Hæc fugatos recipiebat, aut apprehensos comitabatur. Sed cum eos recepisset in latebram, qui propter insignem fidem majore et hæreticorum odio infestabantur, et occultantium detegebantur invidia, gravi tunc seditione diabolicis facibus inflammata, quasi contra legem publicam contumax protrahi, ac pnti jussa est, quæ illos manebant, nisi prodere maluisset. Processit impavide cupida passionis et injuria publicationis exsultans, quamvis non expectasset trahi, tracturos antevolans ad judicem: qui confusus veneratione præsentis, non exsecutus est infidelitatis iram, dum fidei miratur audaciam. Hæc Paulinus de Melania, in æstu Alexandrinæ persecutionis intrepida: quæ Latine referre visum est, propterea quod multum ad hoc argumentum illustrandum conferre videantur. Ne vero alios quam Ægyptios ab strenua muliere adjutos intelligamus, hæc Nolanus antistes ibi statim subjungit: *Eadem tempestate per triduum quinque millia monachorum latentium panibus suis pavit.* De monachis Nitriæ, tunc post cives Alexandrinos ab eadem procella compressis, agit Rufinus in loco a nobis superius indicato*

Tatianus mense Maio A. D. 367, Ægypto præerat, ex Gothofredo in Chronologia codicis Theodosiani, pag. 70. Auctor Farraginis Alexandrinæ testari videtur Tatianum Ægypto præfuisse per quadriennium, scilicet integrum, non computato primo anno, quo cœpit; neque ultimo, haud integro, quo præfecturam finiit, fortasse propterea quod illi duo anni pleni non essent; sive primum decessori, ultimum successoris potius reliquerit. Sed idem auctor vel sarcinator, utpote confusus et barbarus, magna luce non raro indiget, ut critici norunt. Ait tamen diserte, sub *Tatiano Augustalio* Athanasium obiisse, eique suffectum Petrum archiepiscopum. Eundem Tatianum A. D. 374, ex præfecto Ægypti comitem sacrarum largitionum habemus in Chronologia Gothofredi, pag. 94, sed iterum postea per triennium Ægypto præfuit A. D. 374, 375, 376, de quo auctor Farraginis Alexandrinæ pag. 84, ubi tamen consules turbatos esse observat Gothofredus. Quia vero in eadem Farragine, *Hodesto et Arintheo* coss. statim post Tatianum, *Publius Augustalio* occurrit (quod fortasse fuerit Palladii prænomen, nisi cum Pagio A. D. 372 § 12, *Palladium* pro *Publio* legere malimus), hinc discimus, hoc eodem A. D. 372, quo iidem consules processerunt, Tatianum egressum et Palladium ingressum præfecturam Ægypti; ita ut prius semestre spatium Tatianus, qui statim post mortuum Athanasium mense Maio, in Catholicos præferociter sæ-

A viit; posterius vero Palladius, qui persecutionem ab Tatiano inceptam, eadem ætate continuavit, res Alexandrinæ pro Valente Augusto supremi judices administraverint. Agebat eo tempore Valens Antiochiæ, ubi legem jussit die xiii Maii ex Chronologia Gothofredi, pag. 94. Quare teste Socrate lib. iv, cap. 21, *Ariani absque mora imperatori, tunc Antiochiæ agenti, curaverunt significandam Athanasii mortem.* Idem historicus hæc postea subjungit: *PAUCIS DIEBUS interjectis, Euzoii Antiochenæ sedis simul et hæreseos Arianæ præses, temporis occasione captata, decrevit ire Alexandriam, uti administrationem Ecclesiarum ibidem Lucio pariter Ariano traderet.*

IV. Hæc sine mora et paucis interjectis diebus a morte Athanasii fieri omnia non potuissent A. D. 373, quia Valens hieme tantum hujus anni mansit Antiochiæ; æstatem vero, qua Athanasius obiisset, non Antiochiæ, sed procul in bello contra Saporem Persarum regem traduxit, e quo victor Antiochiam ad stativa hiberna remeavit. Ita ex Anniano et Zosimo Tillemontius, tom. V *Hist. imperatorum*, pag. 105. Quare Valens A. D. 372 æstatem agens Antiochiæ nuntium accepit de morte Athanasii, imperavitque, ut auctor est Socrates, Magno comiti largitionum et Palladio, qui Tatiana in præfectura Ægypti tunc recens eodem anno successerat, ut impii Euzoii propositum copiis militaribus adjuvarent. In hoc Theodoriti etiam testimonium concurret, qui lib. iv, cap. 21, tradit, post collocatum in throno pontificali Petrum, *confestim* provinciæ præfectum Palladium, hominem cultu idololatram, cum gentilium et Judæorum phalange ecclesiam Catholicorum vallasse, ut in Petrum manus iniiceret.

V. Fortassis hæc tam fuse persequendo nimius videar; sed tamen quando huc pervenit oratio, novum adhuc robur ex sancto Hieronymo adjungam, de quo peropportune me monent qui ejus auctoritatem vel temere elevant, vel perperam citant. Hieronymus ergo in Chronico Eusebiano ab se aucto Petri Athanasio suffecti ordinationem statuit sub anno Olympiadis 288, cui respondere putant annum Dionysianum 373; atque hinc fit, ut certantes pro anno emortuali 371, Hieronymi chronologicos canones insuper habeant: qui vero pugnant pro A. D. 373, illorum se præsidio tueantur. Sic porro Hieronymi auctoritas variam fortunam subit. Sed viri docti ad alia properantes animadvertisse haudquaquam videntur, sub illo eodem anno in Chronico Eusebiano nonnulla alia, Petri ordinationi conjuncta, memorari, quæ tamen nullo pacto in A. D. 373 conjici possunt. Hæc ut exploratius patefiant, integrum Hieronymi laterculum, ut prostat in editione Scaligeri, hic lubet enucleare.

Laterculus Chronici Eusebiani, auctore sancto Hieronymo.

Annus Christi secundum Eusebium 574.	Annus I Olympiadis 288.	Annus Abrahami 2389.	I.	Saxones cæsi Deusone in regione Francorum.
			II.	Burgundionum octoginta fere millia, quod nunquam ANTE, ad Rhenum descenderunt.
			III.	Clearchus præfectus urbis Constantinopolis AGNOSCITUR; a quo necessaria et diu expectata votis aqua inducitur civitati.
			IV.	Alexandriæ ORDINATUR episcopus Petrus, qui post Valentis interitum, tam affabilis in recipiendis hæreticis fuit, ut nonnullis suspicionem acceptæ pecuniæ intulerit.

1. Nunc locus postulat ut hujusce laterculi Hieronymiani singula segmenta explicem, unde magnam lucem anno emortuali sancti Athanasii affulgere nemo, ut auguror, in dubium vocabit. Saxones per Theodosium comitem *bellis navalibus* consumptos sub Valentiniano imp. A. D. 369 erui-  
mus ex Pacato in cap. 5 Panegyrici ad Theodosium Magnum, ejusdem comitis filium. Iterum postea occisione occisi fuerunt Valentiniano et Valente Augustis in coss., nempe A. D. 370, ex Ammiano lib. xxviii, cap. 5. Ob hanc injuriam popularibus illatam cum Saxones A. D. 372 tertium in Gallias erupturi per Germaniam magno agmine ingruerent, Valentinianus Deusonem illorum clade nobilitavit: quod præter Hieronymum scribit Paulus Orosius in lib. vii, cap. 32, quorum prior in regione *Francorum*, alter in *Francorum* terris eosdem Saxones ab Valentiniano devictos litteris prodidit. Deusonem porro oppidum cultu Herculis in nummis Postumi Augusti olim insigne, nunc vulgo *Duitsium* ex adverso Coloniae Agrippinae in regione *Francorum* stetisse, docet Joannes Isacius Pontanus in *Originibus Francicis* lib. ii, cap. 3, et Thomas Reinesius epist. 35 ad Rupertum, pag. 276. Hanc duplicem Saxonum cladem ab aliis in unum conflataam distinxit Adrianus Valesius in *Rebus Francicis* lib. i, pag. 47, propterea quod altera incursio navalis, altera pedestris exstiterit. Illam Ammianus, Valentiniano et Valente Augustis in consulis factam testantur. Sed quia Hieronymus C  
posteriorem locat initio anni i olympiadis 288, quod A. D. 372 separandum non esse mox apparebit, ideo illam sub finem ejusdem anni contigisse crediderim, quam postea in longinquis regionibus initio anni sequentis vulgatam, Cassiodorus illi anno defixerit, nisi potius ex male perceptis Hieronymi calculis illam Cassiodorus in eundem annum reject; quod libentius existimaverim.

2. Valesius ut duas Saxonum clades, ita et duas Burgundionum expeditiones iisdem annis illigatas distinguit; alteram quidem ab Ammiano, alteram ab Hieronymo, Orosio et Cassiodoro uno eodemque numero *octoginta millium* determinatam. Profecto hæc verba Hieronymi: *Burgundionum octoginta fere millia, quod nunquam ANTE, ad Rhenum descenderunt*, argumento sunt alias expeditiones contra Gallos a Burgundionibus ante susceptas; neque Hieronymum, testem æqualem, in re tam nova legitimo tempore consignanda, falli debuisse facile reputaverim. Petavium in hanc eandem sententiam ivisse conspicio in lib. xiii *De doctrina temporum*, ubi periodo Juliana 5085, A. D. 372, Burgundionum ad Rhenum descensum signat.

3. Clearchus Constantinopoli præesse cœpit A. D. 372, ex Gothofredo in *Chronologia* codicis Theodosiani pag. 90; quo in munere biennium insumpsit, deque exordio præfecturæ Clearchi Hieronymum loqui, pandit verbum *agnoscitur*.

4. Ubi Hieronymus isti exordio conjungit ordinationem Petri, Athanasio suffecti, cujus obitum silet, satis aperte indicat eandem ordinationem ab se copulari cum A. D. 372, non autem cum anno insequenti 373. Eusebius pariter atque ejus continuator Hieronymus annum primum Olympiadis cum auspicantur ab Kalendis Octobribus, Olympiadas vulgares ab solstitio æstivo, sive ab die xix Junii inchoatas, antecedentibus, eidem anno olympiastico ita deducto cæteras epochas jungunt. Hoc adnotarunt Petavius *De doctrina; temporum* lib. ix, cap. 1 et 46, et Pagius in *Dissertatione de periodo Græco-Romana*, § 83. Hic tamen legitur *Septembris pro Octobris*, manifesto errore typographi vel exscriptoris, propterea emendando ex § 29 præfationis, ubi idem Pagius initium anni Abrahamitici, cui initium quoque anni Olympiastici apud Eusebium copulatur, deducit ab Kalendis Octobribus, non vero Septembris. Cum ergo quilibet annus olympiadi



cus ex anni præcedentis autumno trabatur, eundem A quoque annum Olympiadicum inde secum res trahere necesse est, quæ illi tempori adherent; ita ut annus primus Olympiadis 288 in annos vulgares 372 et 373 se extendat. Quare non semper quæ annis singulis olympiadicis assignantur ad unum tantummodo Christi annum, sed ad alterutrum, vel ad utrumque pertinere dicenda sunt. Huc totum laterculum proxime expositum venire, quæque ibidem clauduntur, citra A. D. 372 nequaquam egredi, certissimum est. Rursus aliunde astruitur annus Dionysianus 372, in præsentem quæstionem vocatus. In laterculo a nobis exhibito Petri Alexandrini ordinatio connectitur anno Abrahamitico 2389. Deme hinc numeros millenarios et septemdecim, supererit annus Dionysianus 372, quo obitus Athanasii et Petri ordinatio evenerunt, cyclo solis xvii, lunæ xii, litteris Dominicalibus A. G., indict. xv. Quia vero anni Abrahami duobus cyclis lunaribus cyclos Dionysianos superant, deme illos, et habebis cyclum lunæ xii, jam adnotatum. Hæc ex methodo quam Pagius ad annos Abrahamiticos cum Dionysianis in *Chronico* Eusebii copulandos tradidit in *Dissertatione de periodo Græco-Romana* § 79, quæ quidem methodus, quanquam est facilis, nemini tamen antea observata. Postremo hæc omnia mirifice solidantur ex A. D. 374, cui annus primus Olympiadis in Hieronymiano *Chronico* adnectitur, nam epocha incarnationis, qua utitur Eusebius et ejus continuator Hieronymus, biennio Dionysianam antevertit, ex Pagio proxime adducto § 78, adeoque annus Christi 374, qui ibidem signatur, detracto biennio, exprimit annum vulgarem Dionysianum 372. Vereor ne tam spissa tricarum hujusmodi conglobatio fastidium pariat; sed illa quodammodo necessaria erat ad demonstrandum tot et tam luculentis chronologiæ characteribus, ordinationem Petri in eundem annum esse defixam; atque hinc tantum abest ut Hieronymus eorum sententiam astruat, qui in A. D. 373 Athanasii obitum referunt, ut e contrario Baronianam et nostram omnino tueatur, dum Petri ordinationem eidem anno 372 conjungit, quo Athanasius in cælum migravit. Desinant ergo Hieronymi calculos aspernari, qui eosdem suis divinationibus adversantes offendunt. Huc faciunt verba Montefalconii, ad Hieronymum, non pro illo quidem, sed pro nobis loquentem, accommodata: *Ille vero, utpote Athanasio æqualis, et oculatus, ut dicam, testis, hac in re fide dignus est, tum quia tanti antistitis, qui illo avo pro Ecclesiæ lumine passim habebatur, annum obitus non videtur ignorare potuisse; tum quia fide dignioribus, nempe ipsis Athanasii successoribus, accinit.* Eadem in Quesnellum regeruntur, qui Hieronymi auctoritatem ab se male perceptam cum Proterio componi posse immerito censuit. Hæc omnia ob oculos repræsentare visum est, ut plenius intelligatur annum emortualem Athanasii ab A. D. 372 non esse amoveendum.

5. Nunc reliquum est, ut argumento occurramus ex Athanasii epistolis Paschalibus derivato; quæ licet nondum recentioribus visæ, et fortasse olim prorsus deperditæ, cum tamen numero *quadraginta septem* in Arabum scriptis recenseantur, inde clarissimus Montefalconius consequi putat Athanasium, post A. D. 326, totidem Paschata suis epistolis prænuntiasse, quot præter lapsa numerantur ab A. D. 327, quo primum Pascha Athanasius episcopus celebravit, ad A. D. 373, quo virum sanctissimum defunctum fuisse contendit. Sed enimvero, si jam dicta hucusque probe consistunt, neque numerus earundem epistolarum fatiscit, necesse est Athanasium adhuc superstitem A. D. 372, epistolam Paschalem 47 exarasse pro insequenti A. D. 373, ut non leve indicium nobis suppeditat epistola sancti Proterii, de qua postea. Quod si Athanasius A. D. 373 exspirasset, non 47 sed 48 paschales epistolas edidisset, quarum ultima anni insequentis 374 Pascha denunciare debuisset. Neque enim litem intendam de die et mense emortuali sancti Alexandri pontificis Alexandrini et ejus successoris Athanasii, cum persuasum habeam illum denatum die 17 Aprilis A. D. 326, hunc vero die 2 Maii A. D. 372: unde effluunt *quadraginta sex anni integri* Athanasianæ sessionis. In hos dies vetustissima Christianorum monumenta conspirant, et si qua ab his diversos assignant, ad alias omnino causas, quam mortis, referendos esse non ambigo.

6. Multis consulto præteritis, quæ sicut contra A. D. 374 optime pugnant, ita pro anno 373 nequaquam faciunt, silentio prætermitti nequaquam debet Proterii Alexandrini epistola; quandoquidem in ea, velut in arce munitissima, viri docti consistunt. Illam Græce, ut Proterius scripsit, post sæculorum memoriam nemo hactenus vidit, Latinamque Dionysii Exigui versionem ex mendoso codice post Petavium eduxit Bucherius, ut dictum est; qui nec illam erroribus scatere dissimulavit, tum in ipso nomine sancti Athanasii, tum in notis etiam numeralibus, et in aliis nonnullis, de quibus in ora lectores identidem monuit, eaque Bollandistæ recensuerunt die 11 Maii pag. 248, § 401. Id tanto ante Proterius prædixerat in fine epistolæ se passurum per librariorum audaciam et interpretum Latinorum inscitiam; qui *Græca non valentes diligenter exprimere, læderent veritatem.* Ergo his omnibus circumspicis, haudquaquam mirari subit, si isthæc Latina translatio, utpote saltem ex apographo minus integro accepta, se in pluribus oppido vitiosam prodit; ita ut ubi ait A. D. 373, *superstite Athanasio*, Pascha in *subsequentem* hebdomadam *translatum* fuisse, absque alia explicatione, perpauca fidem mereatur. Hoc sane jamdudum criticis majorum gentium suboluit, quos nequaquam movit hujus epistolæ auctoritas, ut in A. D. 373 obitum Athanasii conferrent. Nec auctor novæ editionis Operum sancti Leonis Magni, qui illam epistolam tomo I, pag. 646 ex codice Oxoniensi emendatiorem in-

seruit, ab omni macula immunem reddere potuit. Hinc Bollandianos continuatores suspicio incessit, primitus in codice Græco lectum fuisse ἀποβιώτος, defuncto, in cujus postea locum facili errore ἐπιβιώτος, superstite, ab librario scriptum, vel ab interprete lectum fuerit. Petavius in notis ad eandem epistolam ex codice Jacobi Sirmondi ab se editam sub finem tomi II *De doctrina temporum*, Proterium hallucinatum existimavit, quasi nempe Athanasium, qui ante decesserat, adhuc illo tempore vixisse crediderit. Tillemontius tomo VIII, pag. 720, errorem inde oriri potuisse consentit, quod Proterius in tabulario Ecclesiæ Alexandrinæ Pascha pro A. D. 373 pridem ab Athanasio digestum comperisset, ordinatumque, ut eo anno celebraretur die xxxi; non, vero xxiv Martii: quod, inquit, ordinasse potuit A. D. 371, imo vero 372, ut statim patebit. Idipsum pridem coniecerant Bollandi continuatores, Proterium narrasse rati, non quid factum A. D. 373 adhuc superstite Athanasio, sed quid Athanasius adhuc superstes pro ejusdem anni celebratione Paschatis, biennio citius fecisset; quandoquidem in Ecclesia Alexandrina tabulæ Paschales in antecessum digerebantur ex præscripto concilii Nicæni, cujus iudicium res paschales subierant.

7. Sed conjecturis præstantium ingenio et doctrina virorum sepositis, omnes difficultatum nodi facile dissolventur, si veterem et sacrum illum rei paschalis denuntiandæ ritum penitus introspexerimus. Enimvero cum episcopo Alexandrino cura incumberet investigandæ dici, qua Pascha quotannis celebrandum, ut patet ex epistola 94, alias 64, sancti Leonis Magni ad Marcianum Augustum; Athanasius non A. D. 371, sed 372, investigare debuit diem Paschatis anni sequentis 373, de quo mature certa redderet apostolica sedes, ut hujus scripti ad longinquiores Ecclesias indicium generaliter percurreret, ait idem pontifex; nam post acceptum ab Alexandrino consilium, ad eandem sedem apostolicam pertinebat diem Paschatis secuturi omnibus Occidentalium partium sacerdotibus denuntiare, ut inquit idem Leo Magnus epist. 112, ad Marcianum Augustum; nimirum cunctis Romani patriarchatus metropolitibus per Italiam, Illyricum solidum, Britannias, Gallias, Hispanias et Africam, nempe toti Europæ usque ad Thraciam, idque secundum canonem 1 concilii 1 Arelatensis in editione Lalbei tom. 1, pag. 1427. Vide Norisium in Responsis ad Gerras germanas Francisci Macedi pag. 41, et, si lubet, consule etiam Franciscum Bernardinum Ferrarium in libro 1, cap. 25, *De ritu sacrarum concionum*. Ejusdem Romani patriarchatus amplitudinem his verbis innuunt Patres Arelatenses in epistola synodali ad sacrum Silvéstrum pontificem, pag. 1419, *Qui majores diœceses tenes utique patriarchales*, quas superius nominavi. Eadem ratione sanctus Basilius epist. 10, ad Gregorium Nazianzenum, vocat Romanum pontificem *Occidentalium antesignanum*. Quamobrem Athanasius neque A. D.

A 471 anticipare, neque usque ad A. D. 373 differre debuit, nec potuit, investigationem et prænuntiationem diei paschalis pro eodem A. D. 373. Porro diem paschalem, per universas Ægypti Ecclesias denuntiandum, in præcedenti festo Epiphaniæ, diaconorum præconio apud Alexandrinos vulgari consuevisse, præcipue constat ex Cassiani collatione x, cap. 2. At vero litteras paschales ab antistite Alexandrino ad Romanum, a quo reliquæ accepturæ essent Ecclesiæ, anno superiori præmissas, jam adnotavit Baronius A. D. 399, § 52, a Norisio perperam refutatus lib. 1 *Hist. Pelagianæ*, cap. 2. Siquidem Leo Magnus, accepta a Proterio Alexandrino epistola, de qua agimus, ut celebratio Paschatis A. D. 455 explicabatur, idem summus pontifex de more episcopis per Gallias et Hispanias constitutis Pascha anni secuturi denuntiavit v *Kalendas Augustas* præcedentis anni 454, ut liquet ex epistola 109, alias 95. Leo autem epistola 112 Marcianum Augustum certiore reddidit de die paschali mox secuturo, ut ab se dudum episcopis, sive, ut ipsa ejus verba usurpem, omnibus *Occidentalium partium sacerdotibus intimato: quem Alexandrini episcopi declaravit instructio*. Profecto hoc ipsum, nulla pene vi epistolæ Proterianæ illata, haud obscure subsequentia verba loqui videntur: *in octogesimo nono quidem anno ab imperio Diocletiani, superstite beatæ memoriæ Patre nostro et episcopo Athanasio*. Latinus interpres verborum ordinem nonnihil invertit, unde quædam obscuritas orta est, cum scribere debuisset: *superstite beatæ memoriæ Patre nostro et episcopo Athanasio* (nempe A. D. 372), *in octogesimo nono quidem anno* (nempe A. D. 373), *Pascha translatum est*, etc., adeo ut vir sanctus adhuc superstes A. D. 372, Pascha anni 373 in subsequentem hebdomadam transferendum curaverit. Annus Diocletiani 89, ex Petavio lib. x, cap. 72, iniiit a Thoth fixo, nempe ab die xxix Augusti A. D. 372, post jam mortuum Athanasium, qui tamen adhuc superstes Ecclesiam monuit epistola paschali 47 de translatione Paschatis anni 373, proxime secuturi. Hæc nobis in re hactenus maxime dubia, vero propiora, et quantum assequi possumus clara, et quodammodo certa visa sunt. Quare jam tandem in comperto est, annum 372, quo Modestus et Arinthæus consules processerunt, obitu magni viri insignem fuisse, totque ac tanta testimonia junctim coeuntia idipsum confirmant, ut ea quæ aliorum abire videntur, vel explicari, vel cum nostris calculis in concordiam redigi, vel omnino rejici debeant. Sed rem omnino unico testimonio adhuc conficiam, eoque locupletissimo, huc adducto, ex epistola sancti Cyrilli ad Aurelium Carthaginensem aliosque episcopos in Africana synodo congregatos apud Petavium t. II *De doctrina temporum*, pag. 503, editionis II. Verba Cyrilli hæc sunt: *De Pascha, vero, ut scripsistis, mandamus vobis 1x Kalendas Mxias nos futura indictione celebrare*. Hæc futura indictio eo anno

420, fuit III, inique, de more, a Kalendis Septem-  
bribus. Ergo epistola, hoc idem prænuntians, scri-  
pta est A. D. 419, indictione II; adeoque Cyrillus  
ante Septembrem ejusdem anni 419, Pascha futuri  
anni 420 Patribus Africanis significavit. Desunt  
enim in primigenio codice Græco verba hæc, v *Kal.*  
*Decembris*, quæ perperam assuta leguntur initio  
versionis Latinæ ejusdem epistolæ, ut Petavius  
lib. II, epist. 8, indicavit Ægidio Bucherio. Jam  
vero quod pertinet ad diem mortis sancti Athana-  
sii, variæ sententiæ, æque ac de anno, circumneunt;  
quas omnes accurate recenset Tillemontius, t. VIII,  
pag. 722, qui tamen cum Bollandianis observat,  
Latinos, Græcos, Ægyptios eum colere die II Maii,  
nempe VII mensis Bescinas, sive Pachonis: qui  
dies A. D. 372 incidere debuit in Feriam III, cur-  
rentibus tunc litteris Dominicalibus A. G. Ipso au-  
tem die VII Bescinas sanctum præsulem decessisse  
docet Chronicon Orientale, ex Arabico in Latinum  
sermonem translatum ab Abrahamo Ecchellensi,  
ubi tamen pag. 117, perperam legitur die Jovis  
pro die Martis, errorem que satis produnt an. XLVI,

et dies XV, Athanasianæ sessionis, ibidem expressi,  
et deducti ab die XXII Pharmuti, seu XVII Aprilis  
anni 326, quo obiit sanctus Alexander, Athanasii  
decessor; quanquam alias adeo in tuto posita res  
est, ut fulciri non egeat auctoritate Chronici Ori-  
entalis, quæ sane extra res Muhamedicas haud magni  
sunt, ubi cum antiquioribus non convenit; auctor  
enim est recens, quippe qui scripserit Hegira 655,  
nempe A. D. 1257. Cæterum pro eodem mense  
Maio emortuali invictum argumentum suppeditare  
videntur, quæ de Melania retulimus. Hæc enim cum  
*ingruente jam hieme*, hoc est circa Novembrem A.  
D. 371, trajecerit in Ægyptum, ibique intra seme-  
stre[m] moram pellis ovinæ ab Athanasio morituro  
donum acceperit, consequens est Athanasium  
obiisse intra illam semestrem moram, quæ Junium  
quidem non transcendit; nam Hieronymus in  
epist. I, alias 41, *Mediæ fervore ætatis Rufinum et*  
*Melanium in Ægypto* adhuc esse putabat, cum  
tamen *Ægypti confessores, et voluntate jam mar-*  
*tyres* tunc exsulasset, quos continuo *post Atha-*  
*nasii obitum* exsulasse jam patefecimus.

## DE CULTU S. ATHANASII.

(Acta Sanctorum Bolland., Maii die 2, tom. I, pag. 248, *Vitæ Athanasii*  
num. 398-435.)

*Annus et dies mortis atque cultus: Vitæ scriptores* C  
*posteriores.*

Quod ad annum pertinet, quo e vivis abiit sanctus  
Doctor, eum Socrates, proximus ævo scrip-  
tor, lib. IV, cap. 16, notatum reliquit, « Gratiano  
II et Probo consulibus, cum annis quadraginta sex  
inter multa pericula episcopatum administrasset. »  
Eundem consulatum, qui annum 371 notat, eum-  
demque annorum episcopatu[m] impensorum numerum  
notant auctor *Vitæ* anonymus et Metaphrastes, So-  
crateni secuti. Baronius, ad an. 69, num. 36, ita  
loquitur: « Tempora annumerata per consules,  
libertioribus sunt accipienda auribus, cum cæteris  
illa frequentior, liberalior et verior noscatur esse  
chronographia, quæ a fastis deducta est consulari-  
bus. Certe quidem cum vetera monumenta in anti-  
quis scriptoribus interdum invenimus consulibus  
esse signata, magno afficimur gaudio, perinde ac si  
in tenebris oberranti fax aliqua exoptata præful-  
geat. » Hæc ille, sed postea, sui oblitus voti, præla-  
tam sibi a Socrate faciem ipse exstinguit, acturus  
de S. Athanasii morte; eamque in notis ad Marty-  
rologium, « Modesto et Arintheo coss., » annum 372  
notantibus et apud neminem antiquorum inventis,  
prius signat. Quo autem argumento « mendacii  
arguitur Socrates? » Quia, inquit, ad an. 372, num.  
65, « ex sententia Cyrilli, quem hæc omnia explo-

ratissima habuisse oportuit, utpote ejusdem sedis  
episcopum, quadraginta sex annos (quos etiam ha-  
bet Socrates) eosque integros Athanasius sedisse  
traditur;... constat autem anno sequenti a concilio  
Nicæno nempe Domini 326 fuisse creatum episco-  
pum Alexandrinum. »

Cyrilli verba in epistola I ad solitarios hæc sunt: «  
τῆς αἰδίου μνήμης Πατὴρ τῶν Ἀθανάσιος,  
τῆς Ἀλεξανδρέων Ἐκκλησίας κατακοσμήσας τὸν  
θρόνον ἐφ' ὅλοις ἔτεσιν τεσσαράκοντα καὶ ἕξ τὸν  
ἀριθμὸν. Sed non ita clara hæc verba sunt, ut se-  
cundum Græcæ locutionis proprietatem annos inte-  
gre completos designent, et non salvari possint eo  
sensu, quo Rufinus, Cyrillo senior, dixit Athana-  
sium « quievit in pace quadagesimo et sexto  
anno sacerdotii sui: » et τὸ ὅλοις, *integris*, licet  
videatur afficere vocem *ἔτεσι*, *annis*, immediate se-  
quentem; ex mente tamen loquentis trahi potest ad  
solam integritatem numeri, ut si dicat, *annis omnino*  
*sexaginta sex*, quomodo loquimur etiam cum ul-  
timus non plene decursus habetur. Habentur autem,  
a die 18 Januarii anni 326, usque ad anni 371 diem  
2 Maii, anni 45, menses 3 et dies 16. Græcis porro  
Ægyptiisque, a Septembri mense annum inchoan-  
tibus, adeoque in primo Athanasii ad communem  
æram aptato menses fere octo, in postremo menses  
rursus octo invenientibus, tanto fuit facilius utrius-

que incompletos annos numerare pro integris, quanto minus ad plenitudinem deesse videbatur.

Theophanes in *Chronographia*, ultimum S. Athanasii annum cum anno Alexandrinæ æræ 365 componens, eundem cum anno communis æræ 373 conjungit; quem annum etiam S. Hieronymus in *Chronico* ascribit initio Petri, post Athanasium ordinati, et eundem Labbæus noster præfert, atque indubitabilem esse credit, propter auctoritatem S. Proterii, qui et ipse episcopus Alexandrinus fuit, paucis post S. Cyrilli mortem annis in locum Dioscori, propter hæresim depositi, subrogatus. Hic autem an. 454 ad S. Leonem papam scripsit epistolam de Paschate, quam ex ms. acceptam Bucherius noster inseruit ad Victorii Canonem Commentario, ubi pag. 84 sic legitur: « In octogesimo anno ab imperio Diocletiani, superstite beatæ memoriæ Patre nostro et episcopo Anastasio (imo Athanasio) cum 14 luna Paschalis 28 die mensis Phaminioth, id est, nono Kalendarum Aprillum die provenisset, die Dominico; in subsequentem translatum est Dominicum, ita ut quinta die mensis Pharmoti, hoc est pridie Kalendarum Aprilium celebraretur Pascha Dominicum. » Omnes isti characteres annum procul dubio notant 373: quo si adhuc usque ad Maium aut ultra vixisset Athanasius, jam non solum 46 annis, sed 47 et amplius in episcopatu exlesse dicendus foret: quod omnium omnino auctorum, ipsiusque Theophanis consensui repugnaret; maxime autem Cyrillo, qui non debuisse numerum imminuere eo loco, ubi ex ipsa annorum multitudine, quibus Ecclesiæ præfuit, Athanasii auctoritatem exaggerat in materia fidei, circa sacram Virginem, ut vere Deiparam, tenendæ.

Quod autem ad Proterii auctoritatem attinet, ea major foret si vel ipsum Græcum textum haberemus incorruptum, vel saltem Latinam versionem ex autographo incorrupto acceptam: nunc vero ea reperta est in manuscripto aliis pluribus locis vitioso, uti in margine notat Bucherius; non tantum ipsum Sancti nomen, sed et numeros annorum, jubens successive corrigi, et pag. 85 pro 255 legi 171, pag. 86 pro 275 scribi 198, et pro die 28 mensis diem 30. Sane id passus videtur Proterius per librarium socordiam, aut interpretum ignorantiam, quod ne sibimet ipsi aut suis notariis eveniret, ait in fine, « transferre hanc epistolam in Latinæ vocis eloquium non satis certum esse putavimus; ne forte Græcizantes apud vos, nec etiam valentes hæc diligenter exprimere, læderent veritatem propter informem sermonem atque incongruum; et qui forte non ita possit attendenter scienterque transferri atque causa poscebat. »

Quid igitur, si eo loco, ubi Græce legebatur ἀποθνήσκων, defuncto, scripserit vel legerit aliquis ἐπιθνήσκων, superstite? Quid si exciderint verba aliqua,

A scripseritque Proterius, non quid factum sit eo anno superstite Athanasio, sed quid pro eo anno aliquandiu ante sit ordinatum ab eodem vivente; nec enim incredibile est quod tabellæ Paschales, uti nunc ad multos annos consequenter notatæ inveniuntur in antiquissimis mss. Latinis, sic etiam in Ecclesia Alexandrina pro pluribus annis haberentur digestæ. Has igitur statim post Nicænum concilium, a quo quæstio de Pascha discussa fuerat, renovandas curaverit Athanasius; et rursus iterum ante mortem, dum pacatior Ecclesiæ Alexandrinæ status otium ejusmodi curis idoneum suggererat. Hieronymi *Chronicon* scriptum ab eo admodum juvene, ut alibi sæpe in digerendis per annos rebus, ita hic etiam si erraverit, sicut postea erravit Theophanes, ex eo quod totos 46 annos poneret inter annos ordinatio-

B nis et mortis, non valde nobis curandum est, nec ullatenus tolerandum ut propterea consules commutentur.

De die minus videtur ambigendum, quin omnino fuerit 2 Maii: in hoc enim omnes omnino conveniunt fasti Ægyptii, Græci, Latini. Ægyptii quidem; nam in eo Martyrologio quod Romæ apud Maronitas servatur, nobisque Latinum fecit Gratia Simonius, ad 2 Maii notatur « Memoria S. Athanasii Magni, » cum hac seu oratione seu antiphona, « Fuisti columna veræ doctrinæ et Ecclesiæ, divina confessione, o pontifex Athanasi, quia prædicasti Filium Patri esse consubstantialem, et confudisti Arium, o sancte Pater, precare Christum Deum ut concedat nobis magnam misericordiam. » In duplici simili *Heortologio Coptico*, Arabice (ut et Romanum illud) scripto, similiter invenitur ad 7 Baschnes, id est, ad 2 Maii. Ac primum quidem in eo quod apud Abulaibsan Achmed Calcasendum, scriptorem Mahumetanum perinsignem, reperisse se ms. dicit Seldenus, lib. iv, cap. 15, *De synedriis Hebræorum, Festum Asasii*, perperam indubie scriptum, pro *Athanasii*. Iterum vero apud eundem Seldenum ex simili manuscripto ad calcem Evangeliorum, anno 1268 exaratorum descripto, *Sancti Athanasii*: et additur *apostoli*, pro quo in *Historia patriarchali* melius ponitur cognomen *apostolici*, quod sane labores ejus pro fide meruerunt. Notandum est autem quod in nullo istorum Arabicorum scriptorum alibi usquam habeatur nomen S. Athanasii nisi hoc 2 Maii. Exstat tamen in prædicto collegio Maronitico Chaldaicum Kalendarium, a Simone Moysis Maronita Italice transcriptum, ubi ad 18 Januarii memoria S. Athanasii iteratur, quemadmodum et in omnibus mss. Græcis; nisi quod hæc conjungant eidem memoriam S. Cyrilli, ut diximus.

Denique in *Historia patriarcharum Coptitarum*, usque ad an. 1258 deducta, quam Abrahamus Echellensis Latinam fecit et vulgavit, dicitur quod obiit sanctus patriarcha, septima Bescinas, die Jovis. Diem mensis, ex communibus, uti vidimus, Kalendaris auctor accepit; feriam ex suo calculo,

nimum quam sæpe exorbitante, addidit : nam cum A deatur ab aliis in Italia Ecclesiis exemplum accepisse quod imitaretur.

Vitæ scriptores, tam Græci quam Latini, fuere multi : sed, si Gregorium Nazianzenum excipias et ætate proximos ecclesiasticæ historiæ scriptores, sæpe in hoc commentario citatos, nemo aliquid edidit quod huic operi inseri mereatur. Inter opera exstat duplex Græca, altera auctoris anonymi, quam nova Latinitate donaveramus, priusquam ejus vitia haberemus comperta ; altera solo fere stylo politiori differens a priori, editaque sub nomine Metaphrastis : tertiam in *Bibliotheca* describit Photius, aliquanto contractiorem prioribus ; et omnes iisdem laborant defectibus, quos etiam me tacente curiosus lector facile per se cognoscet, postquam hunc commentarium legerit.

Præcipua sunt, quod ad Alexandrum et Athanasium datas dicant Constantini Magni litteras pro Ario, quæ fuerunt Alexandro et Ario communiter scriptæ, absque ulla Athanasii mentione. Secundo quod Arsenium, de cujus cæde accusatus fuit Athanasius, et quem hic pluries episcopum nominat, Vitæ istæ faciant lectorem Alexandrinum, metu commertarum ob pudendum aliquod facinus pœnarum ab Athanasio profugum. Tertio quod pro conciliabulo Antiocheno, contra Athanasium ex mandato Constantii coacto, inducant secundum quoddam conciliabulum Tyrium ; de quo ea narrant omnia quæ sub Constantio Tyri acta sunt. Quarto quod narrent Athanasium istic damnatum, sex annis latuisse in fovea, priusquam in Euphratem transiret ad Julium et Constantem ; cum tamen Romam adierit Sanctus interim dum contra se conspirarent adversarii ; atque illuc redierit eodem anno, opem imploraturus adversus Gregorium suæ sedis invasorem et iniqua Arianorum judicia : et deinceps mansit in Occidente. Quinto quod post conciliabulum Mediolanense iterum ad sexennium concludant Athanasium cum virgine sacra, quando eum constat in eremo apud monachos delitasse.

Græci in gemino cultus die conveniunt : et quidem pro 18 Januarii allegat Baronius in Notis ad Martyrologium Emmanuelis imperatoris constitutionem ; quando etiam in Menæis inveniuntur odæ, ab iis quæ 2 Maii præscribuntur diversæ, sub acrosticho tali :

Ἀθανάσιος εὐχος ὀρθοδοξίας ἔφυ.

*Decus Athanasius orthodoxiæ fuit.*

Sintne eæ odæ S. Germani patriarchæ Constantinopolitani opus, cujus alia sunt *Sticharia*, etiam 2 Maii recurrentia, non est facile definire : quæ ipso 2 Maii præscribuntur nulli acrosticho illigantur, atque adeo vetustiores videntur iis quæ in Januario recitantur ; ut verosimile sit prius festum in Constantinopolitana Ecclesia serius fuisse receptum, quando scilicet comunior cœpit esse acrostichorum usus ad odas ejusmodi componendas.

Inter Latinos, qui S. Athanasii nomen sacris factis ad 2 Maii inscribere, primum locum sibi vindicat Beda ; non suppositivus ille, quem solum novit viditque Baronius ; sed genuinus, qualem ante totum II Martii dedimus, cum his verbis, « IV Nonas Maii, sancti Patris nostri Athanasii Alexandrini episcopi, » quod Rabanus transcripsit. Florus addidit « orthodoxi, qui pro Christi fide multa perperus est. » Plura, et fere ex Rufino sumpta, subjungunt Ado et Notkerus. Medius inter horum proximitatem et breviter Bedæ incedit Usuardus, cujus phrasim in hodierno Romano Martyrologio modice auctam expolitamque habemus, postquam Pius V annue de eo agendum officium sub ritu duplicis ordinavit : quod antea sub ritu simplicis agendum quis primus decreverit haud ita liquet. Gavantus in rubricis Breviarii sect. 7, cap. 7, sic invenisse ait in Breviario anni 1550 : sed multo ante cardinalis Quignonius, in suo per Paulum III approbato Breviario, officium de Athanasio recitandum proposuit, et nomen inscriptum Calendariis reperitur. Breviarium quoque Capuanum anni 1499 officium simplex cum tribus propriis lectionibus habet, ut in hoc Sancto colendo Romana Ecclesia omnino vi-

PATROL. GR. XXV.

Latina legendaria antiqua in pergameni, referentia S. Athanasii Vitam, habemus quædam, plura vidimus ; quin et transcribi fecimus aliqua, primum ex ms. Ultrajectino S. Salvatoris, deinde ex codice 145 Cassinensis bibliothecæ Longobardicis litteris exarato. Sunt autem omnia fere ex Rufino collecta ac sæpe iisdem plane verbis atque pro rerum ab Athanasio gestarum et toleratarum amplitudine nimis profecto arcta. Recentioris autem compositionis est primum, quam ut considerari mereatur. Cassinense in tres lectiones sic dividebatur, ut tota Vita simul legi ad secundum nocturnum posset ; neque ultra prædictum cœnobium extendisse se usus illarum lectionum videtur, certe non transiisse Alpes, ad nobilissima alias Benedictinæ professionis cœnobio. Ergo Adelbertus, prior cœnobii SS. Udalrici et Afræ, Augustæ Vindelicorum in Suevia, primum se creditit « Vitam S. Athanasii Alexandrini episcopi, fidei defensoris, qui symbolum *Quicumque*

vult saluus esse composuit, » singulari opusculo colligendam ex diversis antiquis historiis suscepisse, hæc inter alia præfatus, « Anno exacto, cum operam delissem ordinandi et scribendi ad vigiliis matutinales in festis sanctorum legendas, totum libri confessorum respiciens, et S. Athanasii Vitam inter alias non reperiens adnotatam, repente obstupui; et suspirando cæpi mirari, et intra me protestari, quod vir tantus, toti orbi notus, tanta pro fide catholica passus, in partibus nostris de Actibus suis saltem libellum manuales non haberet specialem. Nil ergo innotatus, historias, *Ecclesiasticam* videlicet Eusebii Casarensis, et *Tripartitam* Theodoretii, Sozomeni et Socratis, Græcorum disertissimorum, ac librum illustrium virorum, nec non librum chronicalem pertractans » (hi duo quinam sint nec divinare lubet, nec vacat operosius indagare) « et capita in distinctionibus librorum diligenter examinans, legi in quodam capitulo de Rufino, qui vitam illius suo nobilitavit eloquio: reperi etiam abunde in eisdem libris ad desiderium meum. » Narrat deinde, quomodo expleto legendarum volumine, desideratum opusculum de S. Athanasio scribere exorsus varias difficultates in eo recte ordinando objectas superaverit, atque concludit: « Si qua ergo in hoc opusculo reprehendenda reperiuntur, non inscitæ meæ aut ignaviæ reputentur, sed illorum qui antiquitas illa scripserunt: quia in nullo verba ipsorum permutavi, nisi quod locorum et civitatum nomina, non bene cognita, aliquo additamento explanavi: »

Quandonam Adelbertus iste vixerit, mihi non constat; nec puto scient dicere Udalriciani monachi, quorum cœnobium totum conflagrasse anno 1333 scribit Bernardus Hertfelder, in brevi ipsius loci *Chronico*, luculenter descriptam SS. Udalrici et Afræ basilicam, ante hos 60 annos ibidem prior. Isto autem incendio etiam prædictum de S. Athanasio opusculum, fortassis haud diu ante conscriptum, periisse hoc verosimili indicio credo, quod anno 1660 bibliothecam celeberrimi monasterii et mss. codices omnes diligenter scrutatus (erant autem in iis aliqui ab annis circiter trecentis scripti) nihil tale invenerim. Sed quod in loco suo natali non inveniebatur, invenerat ante dictus Gainsius noster in Blaburensi prope Ulmam ordinis Benedictini abbatia, insertum parti 1 Passionalis, ibidem a Fr. Bartholomæo Kraft circa annum 1480 exarati. Idem Gainsius suum Blaburensis ms. egraphum curiose contulerat anno 1649, cum alio vetustiori quam prius Passionali, vicini Wiblingensis monasterii; unde conjectura nostra de Adelberto priore, quod sæculo XIII vixerit, utcumque confirmatur. Incipit ille ab enumeratione sex omnino civitatum, quæ idem Alexandria nomen antiquitus tulerunt; ac deinde opus cœptum pluribus interstinguit titulis, in propositum argumentum sic ingrediens: « Regnante Constantino imperatore, egregii confessores et catholicæ fidei fideles defen-

sores, Alexander apud Alexandriam, Maximus Hierosolymis, Alexander æque Constantinopoli sacerdotio, fungebantur. » Minus operose, et contextu absque titulorum interpositione et absque præloquis ullis continuato, eandem rem videtur egisse, nescio an Adelberti exemplo, alius in S. Maximini prope Treviros abbatia, unde similem collectionem habemus tali principio: « Cum apud Alexandriam post Achillam, qui Petro episcopo et martyri successerat, Alexander sacerdotium suscepisset, » etc., verbis pene Rufini, ac deinde aliis aliorum. Eodem fere stylo et initio habemus ipsam Athanasii Vitam, in præclaro grandium sex tomorum Passionali, quod ecclesiæ S. Mariæ de Valcellis aliquando fuit, et primo tomo excepto venditum clar. v. Balthasari Moreto, ne ad usum typographiæ laceraretur, ab eodem redemimus; ac deinde Vitam illam contulimus cum codice 696 reginæ Sueciæ in quo ipsa aliquanto contractior habebatur; multo etiam magis contracta in Passionali Bodecensi, unde sua manu eandem nobis descripsit prælaudatus Gainsius, in duos quasi libros divisam.

Sed hæc omnia, et si quæ alia, ut nomine auctoris carent, ita non merentur operosius distingui: laudandus vero nominatim est Joannes Aretinus, Romanæ Ecclesiæ subdiaconus, qui sub Eugenio papa IV, circa ann. 1440, ex auctorum Græcorum fontibus, Eusebio præsertim, Socrate, Theodoro atque Sozomeno, necnon ex Vita sub nomine Metaphrastis inventa, prolixam satis contexuit historiam, dictoque pontifici dedicavit, ut innumeras persecutiones eatenus injuste perpasso, inter quas suæ illi æque ac S. Athanasio non defuerint consolationes. Nam sicut hic multa interim pro Dei Ecclesia se perfecisse gavisus, tandem suæ propriæ Alexandrinæ pacem redditam vidit: sic et illi gratulatur Joannes inveteratum Græcorum atque Armenorum schisma perduxisse ad unionem, infinitis pene impensis ac summis laboribus, rem multis decessorum tentatam, perfectam nemini. Nullam hic mentionem facit Jacobitarum, qui missi altero post prædictam unionem anno et 41 istius sæculi, nullam etiam legatorum, qui anno mox sequenti venerunt a Prosciannie; ut scriptæ dedicationis tempus nullatenus possit in dubium revocari.

Vitam hanc Aloysius Lipomannus vulgavit tomo III *De Vitis sanctorum*; nos autem anno 1660 eandem, sed absque auctoris nomine, manuscriptam invenimus Senis in armario quodam bibliothecæ Pontificiæ, olim Pii II cura juxta cathedrallem ecclesiam ornatae instructæque, nunc autem fere vacuæ; eique adjunctam reperimus epistolam Justiniani imperatoris ad Menam patriarcham, quæ quinto concilio celebrando dedit occasionem, cujus contextum Græcum profitebatur se habuisse interpres (idem haud dubie qui Vitæ collector) a Theodoro Feltrensi episcopo. Qualem cum in toto Feretratorum episcoporum Catalogo nullum reperiamus; vide num hic non possit internoni inter

Joannem de Arimino, cujus pro anno 1424 exstat memoria, servata in calice tunc per ipsum oblato; et Franciscum Angelum de Claravallibus, anno 1444 ad cathedram illam admotum. Circa eundem annum composita est Venetiis quædam ejusdem sancti Vita, ad usum monialium Sanctæ Crucis, ad quas recens fuerat corpus translatum: quæ Vita cum non satis certa cultaque videretur, Hermolaus Barbarus episcopus Veronensis etiam ex Eusebii scriptis compilavit. De utraque infra plura dicentur.

Exstat etiam alia Actorum S. Athanasii collectio, ex prædicto Aloysio Lipomanno, post ipsius Sancti Opera; estque veluti catena ex Socrate, Theodoro, atque Sozomeno: cui ibidem subjungitur « Oratio de vita, certaminibus, et laudibus Sancti, a viro quodam docto ante multos annos conscripta: » quod hic sufficit indicasse, ut tandem suam cum Nazianzeno, Sanctum sic alloquente: « Ast tu, o sacrum et charum caput... benignus de cælo nos respicias, populumque hunc regas, perfectum perfectæ Trinitatis cultorem, quæ in Patre, Filio, et Spiritu sancto intelligitur et adoratur; meque, siquidem in pace agere liceat, manu teneas, simul gregem pascens; sin autem vivendum est in bello, abducas hinc sive assumas, tecumque et cum tui similibus colloques, tametsi grande est quod petitur, in ipso Christo Domino nostro, cui omnis gloria, honor et imperium in sæcula. Amen. » Quibus verbis et ipse suam de maximis Athanasii meritis fiduciam explicat, et exemplo præbit ipsum invocandi, etiam in his quæ Ecclesiam nunc turbant variarum novarumque opinionum tempestatibus: quas veluti in speculo proponere videtur noster Ludovicus Maimbourg, duobus tomis Gallice editis et *Historia Ariarismi* appetatis, ubi S. Athanasius præcipuas ubique partes agit.

Quæ autem quantæque virtutes ejus in tam varia fortuna et jactatione exstiterint, si quis velit ex ipsiusmet scriptis collectum videre, habet ultimum ibrum Vitæ Gallicæ, in principio laudatæ, cujus summariam synopsis per capitula titulos hic lubet proponere.

## LIBER XII.

- CAP. I.** De fide S. Athanasii, fundamento constantiæ ejus.  
**II.** De soliditate et eminentia scientiæ ejus, Scripturis et traditioni innixæ.  
**III.** De spe ipsius et fiducia in Deum.  
**IV.** De chritate ejus erga Deum.  
**V.** De amore ejus erga Ecclesiam in genere, et specialiter erga Alexandrinam.  
**VI.** De prudentia et justitia S. Athanasii.  
**VII.** De fortitudine et magnanimitate ejusdem.  
**VIII.** De frequentii ejus recessu et fuga, pusillanimitatis haudquaquam accusanda.  
**IX.** De patientia ejus, quantique in regimine animarum fecerit exercitium hujus virtutis.  
**X.** De ejus temperantia, vitæ austeritate et perfectissima continentia.  
**XI.** De humilitate et mansuetudine S. Athanasii.  
**XII.** Quid senserit de statu episcopali, et quibus regulis ingressum ad eundem præmunierit scribens ad Dracontium.

**XIII.** *Quantum solitudinem et solitarios semper amaverit.*

**XIV.** *Qualem de sacris virginibus curam gesserit, regulas eis opportunas præscribens.*

**XV.** *Quanti fecerit Psalmos Davidicos, psalmodiæ ecclesiasticæ æstimator præcipuus.*

*De corpore S. Athanasii Constantinopoli Venetiis translato et ejus ibidem cultu.*

Quæ de corpore S. Athanasii, Alexandria Constantinopolim translato, diximus supra per conjecturam duntaxat, certitudinem accipiunt ex certitudine ædificatæ ibidem ei ecclesiæ et post secutæ translationis Venetiis. Hoc illuc in ædem S. Zachariæ delatum dum dicunt Baronius et Ughellus, erraverunt sine dubio in nominanda ecclesia: quia ibi nulla est S. Athanasii memoria: corpus vero prædictum adhuc hodie servatur in monasterio, ad quod delatum initio fuit, Sanctæ Crucis de Judaica; earum insularum una, quæ Veneticam urbem quadam veluti concatenatione præcingunt, ex ea parte qua S. Marci basilica et forum mare respiciunt. Distinctiorem de præsentii corporis statu factaque olim translatione notitiam requirenti mihi, R. P. Aloysius Gonzaga, professæ domus nostræ Venetiis præpositus, cum per se nequiret servire, ad urgentiora officii sui negotia evocatus in agrum Patavinum, curavit ut unus e suis responderet, vir sane accuratissimus, uti ex sequenti ejus scripto, in publici testimonii formam digesto apparet.

« In nomine Domini. Amen. Aloysius Carnofius, Bononiensis, Societatis Jesu professus, annorum 59, accessi die 15 Septembris anno 1676 ad ecclesiam monialium Sanctæ Crucis, ordinis S. Benedicti, positam Venetiis in Judaica: et vidi super altare, situm in medio ecclesiæ, arcam ingentem, ligneam, conopæo serico Damasceno, aureis fimbriis terminato, opertam, assabre sculptam, ac totam inauratam: ubi aiunt asservari corpus S. Athanasii, episcopi Alexandrini, qui fuit auctor symboli, *Quicumque*, nam ita denominatur. Amoto conopæo, sublata est pars versatilis anterior prædictæ arcæ, ac per nitidissimas ingentes crystallos, admota etiam per me qui contenderam altare una ex candelis, de more quoties patetis arca accensis; vidi sanctum corpus supinum, veste sacrificali pretiosissima indutum: per cujus vestes et amplas ex arte rimas, vidi brachium alterum et femur, manum etiam utramque ac digitos gemmatis annulis ornatos. Pedes habet calceatos: capitis autem loco, quod pridem Romam delatum aiunt, involucrum est quoddam ex subtilissima bysso, serico phrygiato distinctum, cui mitra est imposita. Parieti ecclesiæ dextero affixa est prægrandis tabula, non ineleganter depicta, in cujus altera parte exprimuntur gesta S. Athanasii celebriora, ea præsertim quæ in Romano Breviario ad 2 diem Maii notantur; in altera parte series et historia translationis ad urbem Venetam atque ad hanc ædem. Ex eodem pariete videre est pendentia anathemata plura votiva ex argento, tabellasque ligneas depictas, in fidem ac memoriam,

sanitatum ac beneficiorum acceptorum malorum- A  
que depulsorum per S. Athanasium.

Præterea in Calendario Veneto, sive Ordine recitandi divini officii, quotannis imprimi solito, ubi notatur nomen S. Athanasii, semper additum legitur, Ejus corpus in ecclesia monasterii Sanctæ Crucis in Judaica. In libro quoque Venetiis impresso, cui titulus *Chronologia Veneta*, diserte asseritur, in Judaica penes ecclesiam Sanctæ Crucis jacere corpus S. Athanasii patriarchæ Alexandrini. Tandem monachi Græci, qui Venetiis colunt ecclesiam S. Georgii Græcorum, singulis annis stata die accedunt ecclesiam Sanctæ Crucis in Judaica, ut in ea devenerentur corpus S. Athanasii, suamque coram ipso psalmodiam peragunt ritu solemniori. In templo S. Laurentii servatur adhuc, et quidem ab aliquot sæculis, digitus e sancto corpore revulsus: apud moniales vero S. Zachariæ Venetis nusquam est S. Athanasius: non ejus corpus, non pars corporis, non reliqua ulla; non monumentum, non tabula privata aut publica; non rumor sive fama de hoc aliqua, neque apud ipsas moniales. Et hæc post exactissimam inquisitionem, atque adeo ut certo certiora attestor.

His ita inspectis reverendissima cœnobii illius abbatisa, D. Cæcilia Cesara, exorante nobili senatore D. Livio Sañudo, obtulit mihi librum, apud se solitum asservari, cum hoc titulo Italiane scripto, *Liber in quo de Vita et translatione gloriosi S. Athanasii*. Est codex in quarto, ut aiunt, ad crassitiam pollicis humani consueti compactus ex crassissima charta, ligneis tabellis armatus, sibusque coriaceis oclusus: in quo post narratam cursim Italiano, sed inconditissimo sermone vitam S. Athanasii, occurrit hic titulus: *Incipit translatio gloriosi S. Athanasii patriarchæ Alexandrini*: quam fideliter in linguam Latinam deinde transtuli et translatam una cum hisce mitto. Meminit idem liber anni 1600, quo ex priori arca corpus S. Athanasii repositum fuit decentius in elegantiorum, quæ hodie visitur, arcam; nec sine pompa populari affluxu restitutum solemniori ritu in eundem locum die 1 Maii. Anno autem 1633, jubente cardinali Cornelio, patriarcha Veneto, ad ornamentum atque tutelam apposita eidem crystallus est.

Atque hæc una cum prædicta translationis historia excerpti ex libro ms. prædicto: quem cum redderem abbatisæ, ab eadem ostensus mihi est alter liber, parvi magnitudinis et formæ, rubro corio contextus, item manuscriptus; in quo eadem prorsus continentur quæ in altero, ast sermone Latino, cum hac præliminari epistola. Hermolaus Dei patientia episcopus Veronensis ad venerabiles sanctimoniales Sanctæ Crucis de Judaica. Petiistis a me, sorores ac filie in Christo dilectissimæ, ut Athanasii sanctissimi viri vitam, quam constat olim ab Eusebio Græco sermone conscriptam, vobis in Latinam linguam traducerem; ut vir ille, singularis excellentiæ atque vir-

tutis, Latinis quoque litteris decantaretur; et quales fuerint ejus mores ac disciplina, qualisque pro Christi fide concertatio animique constantia, vere fideliterque dignosceretis; cum existimetis veterem illam de eo viro pervulgatam historiam, quæ ob vestram in eum devotionem quotidie in vestris versatur manibus, haudquaquam fidelem esse, nec ejusmodi, ut ejus oratio viri illius gravitati ac præstantiæ possit ulla in parte respondere; judicetisque eam in multis apocrypham esse, nec ubique veritatem continere: eamque per reverendum Patrem meum virumque devotissimum Bartholomæum, S. Nicolai in Littore abbatem, ad me misistis, ut non vestro magis quam meo quoque judicio aut comprobaretur aut refelleretur.

Verum etsi ego non sim ejusmodi qui existimem me posse, aut orationis elegantia aut conversionis dignitate, vestræ de me expectationi respondere; et potissimum cum omnem illam pene litterarum Græcarum cognitionem, quam ab adolescentia mea imbiberam, hæc pastoralis meæ adjuncta dignitati cura aut præoccupasse videatur, aut ad alios utiliores ac sanctiores usus divertisse; tum etiam quia nulla exstat apud nos Græca historia, in qua contemplari viri illius vitam possemus: turpe tamen judicavi id vobis a me negari, quod intelligebam vos zelo quodam virtutis ac mira in eum virum veneratione et charitate deposcere: maluique imprudens forte cæteris videri, quam vobis defuisse, ac tam honestæ petitioni et cupiditati vestræ aliquid de officio meo subtraxisse: et præsertim cum certum esset, pristinam, quam ad me misistis de viro eo historiam, plerisque in locis, præsertim cum ad finem devertitur, prorsus a veritate deflectere.

Feci igitur, ut a me petistis; non ea forte dignitate aut elegantia, quam videmini a me desiderare, aut quæ tanti viri gloriæ conveniret, quem constat elegantissimum fuisse; sed eam, quam mihi pro sua benignitate ineffabilis ac immensa Spiritus gratia conspiravit. Unum certissimum est, me veritatem de eo viro conscripsisse, Eusebium potissimum secutum, quem fidelissimum scriptorem nostra semper Ecclesia comprobavit. Adjuuxi præterea quo pacto sanctissimum illius corpus ad nos translatum est, ne memoria tantæ rei aliquo ætatis casu interiret; sed potius semper perstaret, et æternis litterarum monumentis futuræ ætati commendaretur; intelligerentque posteræ, quantum benignitatis suæ immortalis Deus præstitit huic civitati nostræ. Non enim factum esse id sine singulari illius Divinitatis beneficio et munere semper existimavi, ut tam pretiosum monile, ex mediis illius prope civitatis flammis ac ruinis ereptum, ad eam civitatem deduceretur, cui semper gloriæ fuit sanctorum corpora magnopere venerari; et hæc mulieres id



« possiderent, quæ religione et sanctitate in eadem civitate præstarent, et quæ semper cultrices exstiterint ejus viri et continentiæ et integritatis. »

« In calce ejusdem libri exstat officium quoddam de S. Athanasio, per devotum sacerdotem et doctum dominum Ægidium de Sarzana secundum ritum monasticum : cujus primus hymnus ad Vesperas incipit :

*Ecce defensor fidei supernæ.*

In progressu autem hæc strophæ leguntur, præter alias :

*Vosque thesauro Veneti reperto  
Corporis sancti, civitas beata,  
Atque donati jubilate læti  
Munere tanto.*

*Vos quoque, o matres Crucis in Judaica,  
Cantica et laudes resonent frequentes :  
Atque Patris corpus honore digno  
Semper habete.*

In tertio nocturno hujus officii, post Evangelium, ponuntur lectiones de homilia Hermolai Barbari, episcopi Veronensis, et incipiunt : *Vidistis, sorores in Christo dilectissimæ* : unde constat et prologum et totam historiam Latinam, in hoc libro contentam, esse Hermolai Barbari. »

Hactenus Aloysius Carnolius, jamjam Venetiis migraturus ; pro reliquo tamen, si quod restaret opere, relinquens ibidem R. P. Danielem Sinonetti, ad cæpta ab illo obsequia prosequenda paratissimum. Tam prompta igitur voluntate usus, cum suspicaret ex Latina Hermolai historia sumptum esse contextum Italicum, qui libro priori continebatur, ac proinde eam fore operi nostro magis idoneam, in quo profitemur singula monumenta dare primigenia auctorum phrasi, petii et obtinui, ut ex Latino quoque libro describeretur historia translationis et miraculorum : nam quæ de Vita ex Eusebio collegisse profitebatur Hermolaus non erant usum habitura, rem totam accuratius deductam habentibus. Verum ut legi, quæ transcripta erant, et cum historia a Carnolio traducta contuli, cognovi illam, quamvis Italice scriptam, antiquiorem tamen esse, multoque accuratiorem compositione Hermolai, qui eloquentiam impendens sermonibus, inter translationis auctores ultro citroque habitis, prout D haberi potuisse videbantur, explicandis adornandisque, rem ipsam strictius retulerit, multisque notabilibus circumstantiis imminuerit ; miracula autem prorsus omiserit. Quare eo seposito prætulit versionem Carnolii, strictiorem verbis, rebus uberiorem, tanquam historia ex fide publicorum Actorum, ipso

(a) In hac oratione adornanda dimidiam fere descriptionis suæ partem insumit Hermolaus, utpote in recenti clade : capta enim erat urbs præcedenti anno die 19 Maii.

(b) Trigona namque Constantinopolis est, cujus unum latus secundum Bosphorum porrectum, terminatur regione urbis duodecima, quæ hic designatur, de qua infra pluribus.

(c) In Italica plerumque præponitur titulus *Mes-*

quo res gesta est anno 1454, scribi Italice cœpta, cum Hermolaus ad Veronensem cathedram promotus anno præcedenti, usque ad 1471 vitam in eo munere propagavit, adeoque pluribus annis post rem gestam et scriptam suam opusculum composuisse potuerit

*Quomodo Constantinopoli deportatum sit corpus, ex veteri ms. Italico, interprete Aloysio Carnolio S. J.*

« Sub annum millesimum quadringentesimum quinquagesimum quartum, mense Decembri, Constantinopolim cum sua nave appulit D. Dominicus Zotarelli : quod cum metropolita quidam sive Græcus episcopus intellexisset, qui tum Constantinopoli morabatur, pridem cupidus videndi aliquem hominem Catholicum, accessit ad navim : in eamque gratiose ac reverenter, uti par erat, receptus, cœpit cum navis patrono agere de variis sanctæ catholicæ fidei persecutionibus, quas inter numerabat abscissionem nobilissimi unius membri, urbis scilicet Constantinopolitanæ (a). Id vero cum maximum esse damnum affirmaret navarchus, multaque invicem lamentarentur de facto ibidem exterminio, quot ecclesiæ erant destructæ, dissipatæ res sacræ, sanctorum corpora atque reliquiæ expositæ ludibrio ; navarchus, tanquam verus catholicus multumque desiderans aliquam insignem reliquam subducere manibus Turcicorum illorum canum, dixit episcopo : « Utinam, Pater, auxilio vestro aliquam ejusmodi reliquam obtinere possem, et Venetias deferre, isthic cum honore debito habendam atque colendam, neque amplius conculcandam pedibus infidelium istorum canum ! Certe nihil ea re gratius mihi facere posses. »

« Ad hæc metropolita, considerans pium navarchi desiderium, contemptumque quotidianum sacerorum corporum in loco, ac zelo religioso motus, dixit ei : « Si tibi suppetit ad eam rem animus, monstrabo ego insignem unam et valde pretiosam. » Cum autem recepisset navarchus cuncta se, quæ suggereret, sidenter exsulturum ; « Vade, inquit episcopus, ad extremum procurrentis in mare teluris angulum (b), ibi in tali platea (et hanc nominabat) invenies capellam opertam plumbo ; et in ea corpus (c) S. Athanasii patriarchæ Alexandrini, qui fecit tertium Ecclesiæ catholicæ Symbolum (d) : quod si potueris inde auferre, habebis certe reliquam pulcherrimam : ego autem constitui cito ab hac regione discedere ; nec enim ultra sustineo videre tantas iniquitates. » Talibus ejus dictis fidem adhibens navarchus, accessit (e) naupegium suum,

*sir, id est Dominus.*

(d) S. Athanasii Symbolum tertium dicitur, cum respectu ad priora duo apostolicum, quo vulgo utimur ; et Nicænum, quod in missarum solemnibus decantatur.

(e) Iterum hic Hermolaus inducit navarchum oratione proluxa suos hortantem ad opus ; et eum qui se obtulit, *fabrum lignarium* appellat ; recte, si nauticum intelligas, Venetis *marangon*.

sermonis Græci peritum et regionum urbis; qui A promptissimo animo sese obtulit ad Opus, dicens navarcho: « Rem mihi credite, et ego promitto « quod ipsum sanctum corpus salvum tibi ad navim « deferam. »

« Cumque deliberasset negotium aggredi die ali- quo turbido ac pluvio, crastinus mox talem ei se præbuit, ex quo divina voluntas evidentius patuit. Videns ergo naupegus consilium suum a Deo dirigi, cælumque ex voto suo dispositum, nautica sese veste longa induit, et saccum (a) sumpsit, atque ad desi- gnatam sibi capellam accessit, ubi benedictum istud corpus in grandi lignea capsâ reperit, in cujus oper- culo ab intus depicta erat figura expressumque no- men S. Athanasii: videbaturque ipsa capsâ per capellam raptata fuisse a Turcicis canibus, erat B enim aperta maleque composita. Tunc naupegus (b) acceptum corpus gloriosum immisit in saccum quem ferebat, sed minus quam ipsum erat longum, ideoque necesse habuit complicare ejus ti- bias (c): itaque meliori ut potuit modo compositum ad hoc ut ipsum auferre posset, sub veste sua ab- didit.

« Prodiens autem foras, in ipsa via haud longe capella prædicta vidit eminens contra se venientes sex Turcas: a quibus sibi metuens ingressus est Græcanicam quamdam maceriam (d), alicujus olim ut videbatur vimæ, tanquam necessitatis naturalis causa: ibidemque sanctum corpus abscondit, ut potuit, infra vepres, in loco vilissimo, ut videri non posset: et mox in viam rediit, ne quam suspicio- nem Turcis ingereret, simulabatque ceptum se iter prosequi. Interrogaverunt autem eum illi, quo iret et quis esset. Ipso autem respondente hominem se esse nauticum, atque ad navem redire; euntes porro via sua liberum quoque ipsum transire permiserunt, nihil ultra querentes, uti voluntas Dei fere- bat. Eos ergo procul transgressos videns naupegus extraque conspectum, regressus est ad tollendum sanctum corpus; quo sublato vehementissimus im- ber descendit e cælo, tam opportune, ut non inter- mitteretur donec ad navem veniret inobservatus atque securus; non absque insigni Dei favore; ne- que enim crediderat naupegus futurum ut citra periculum grande tam longam viam emetiretur: D quo autem evidentius appareret miraculum, mox ut in navim illatum est sacrum corpus. serenatum subito cælum fuit.

(a) *Linteæ* in genere vertit Hermolaus.

(b) Idem describit prævium naupegi horro- rem, ad conspectum sacri corporis in terram procidentis ac tremebundi, donec divinitus confir- maretur.

(c) Idem has tam notabiles circumstantias præ- terminit, ex quarum una discimus non tantum in- corruptum, sed etiam membris omnibus flexile fuisse corpus sanctum. Cætera quæ deinceps ille transiit plurima adnotare prætermitto: ad finem enim ei exhibet præcipitur narratio, quæ vixdum nobis bene cæpta.

(d) *Italice un certo terzen Greco.*

« Tum desiderationem tæsanum devotè ac reve- renter suscipiens navarchus (e), vovit sese illum portaturum Venetias, oblaturumque venerabilibus dominabus Sanctæ Crucis in Judaica. Deinde mair- davit gubernatori abducere navim ab eo in quo stabat loco, ad alium magis securum: ad Columnas (f) dictum, ubi solent naves armari: ipse vero abiit terra ad negotia sua. Gubernator autem ad alium quam qui præscriptus erat locum navem applicuit. Noctu ergo cum revertisset navarchus, locumque considerasset attentius, utpote quem præcipua cura spectabat; minime securam esse stationem vidit, neque navim ibi esse ubi jusserat intellexit. Quo cognito dixit navarcho gubernator: Domine patro- ne, nihil formides: profunda hic enim aqua est B plus quam novem passus.

« Acquievit ejus verbis navarchus: ipsa autem nocte gravis tempestas exorta est, judicabaturque necessarium esse ut pluribus anchoris firmaretur navis, prout navarchi jussu factum est. Sed nihil damni tempestas attulit, per Dei gratiam et gloriosi Alitius Sancti, cujus hic primum effulsit miraculum. Nam cum tempestas noctu exorta, mane cessasset, navis stetit prorsus immobilis. Quod admirans navarchus, « Quid hoc, inquit, est rei? An forte spu- ma intra navim est (g)? » Currentes et inspicien- tes navim nautæ renuntiarunt nullam ibi spumam esse. Tum jacta bolide placuit explorare fundum, et inventa est navis supra terram stare. Tum enim- vero tam ipse quam cæteri omnes dixerunt: Eia f solis sancti hujus ac gloriosi Athanasii meritis ascribendum est, quod hæc navis, cum omnibus nobis, salva integraque permauserit, ab hoc tam grandi periculo: certo enim certius per eam quam sustinimus hac nocte tempestatem, navis adhæ-rens terræ debuisset dissolvi frangique in partes. Et sane quisquis rem intelliget pulcherrimum mi- raculum fuisse affirmabit, quod in tam sæva pro- cella damni nihil sit passa navis, quam credere licet ea durante fuisse veluti a terra suspensam, meritis et intercessione S. Athanasii. Etenim ubi malacia rediit, non potuit in altum navis adduci, nisi levata onere, multisque viribus et machinis adhibitis: quod tamen etiam citra damnum est D factum.

« Cum porro aliquanto adhuc tempore ibidem mo- ram facere deberent, occasionem habuit navarchus interim scribendi Venetias, significandique prædi-

(e) Addit Hermolaus, quod « allato cophino inter sericeas vestes illud jussit collocari. »

(f) Satis apparet designari locum qui hodie *Arsenale* vocatur, et lateris istius quod mare spectat fere tenet umbilicum: ut proinde videatur navis antea non longe ab ea ripa stetisse, unde proxime ad S. Athanasii templum ascendebatur; incuria autem gubernatoris solum ad eam partem fuisse provecta, que *Lavulaca* nunc appellatur.

(g) *Italice bava*: cum autem nequeat aqua, ne- dum spuma, navi recepta ipsam immobilem red- dere, superstitionæ alicujus inter nautas obser- vationis suspicio mihi ex hoc loco nascitur.

et: dominabus Sancte Crucis in Judaica, quale A minus eis donare vellet, corpus videlicet gloriosi S. Athanasii: ipsæ vero rem totam indicarunt reverendissimo domino patriarchæ Mozenico Justiniano (a). Qui ea intellecta dedit operam per mensem Februarium, ut priusquam prædicta navis ad nos appelleret, inveniretur aliquis Constantinopolitanarum rerum peritus, a quo haberi certa informatio posset pro exploranda veritate istius sancti corporis. Divulgata autem per urbem fama, re-  
peritus est quidam magister Jacobus, professione tonsor, origine Venetus, qui totis octodecim annis fuerat Constantinopoli commoratus: ipsiusque sancti corporis optimam se dicebat habere notitiam, eo quod, cum esset familiarissimus calogero ipsius ecclesiæ, in quo ipsum servabatur, illud frequenter  
inspexisset.

Hunc ergo arcersit patriarcha, et caute cœpit examinare, interrogans primo de regione: quam ille respondit, Ixirolaphum (b) nuncupari Græce: ubi est columna altissima, sculpta (c) sicut illa quæ Romæ visitur; et ex una quidem parte est locus qui nominatur Christus in cruce, ex altera S. Athanasius, totus autem locus dicitur Ixirolaphus. Quæsit deinde reverendissimus patriarcha quantum ab eo loco distarent fora (d); respondit ille, ad duo vel tria passuum millia. Tum patriarcha, « An etiam aliæ ibi erant ecclesiæ? — Sex, respondit ille, vel septem, sed ruinosæ, inter quas etiam ecclesia S. Athanasii: cujus corpus ibidem habere-  
retur in capella cooperta plumbo, intra arcam ligneam et pictam. » Interrogatus an aliquo in honore ipsum corpus ibi esset, respondit, esse apud Catholicos aliquos. Ad alia denique multa de variis

minutioribus circumstantiis tonsor ille interrogatus respondit, quæ sigillatim hic recensere prætermissio brevitatís studio (e).

Sed revertamur ad navim, quæ Constantinopoli solvens, cum itinerè prospero Methonem (f) præterveheretur, visæ sunt obviam venire duæ naves, quas Venetorum esse rati nautæ, magna cum lætitiâ expectavere, sperantes aliquid novæ rei ex illis discere de familiaribus suis, ut fieri assolet: apparuit deinde etiam navis tertia: quibus propius factis cognitum est Catalanorum eas esse naves, quibus nescio qua via innotuerat S. Athanasii corpus ea navi vehi, quemadmodum ex post secutis apparuit. Verum disponente sic Deo factum est, ut aliquanto infra navim Venetam appellentes illæ, non potuerint ipsi se applicare tam prope quam vollebant, ad hoc ut corpus sanctum eriperent Venetiis, nihil minus quam quod Catalani meditabantur suspicantibus. Cumque sequenti nocte solvisset navis Veneta, iter suum prosecutura, litigium super ea re magnum exstitit inter Catalanos, elapsam e manibus navim Venetam conspiciat, quemadmodum postea Venetiis certo innotuit per ipsosmet Catalanos, qui iis navibus vehebantur, atque appulsi in Catalauniam commorantibus istis mercatoribus Venetis narraverunt quæ contigerant in via circa Venetam navem.

Hæc ergo per Dei gratiam et Sancti sui merita sic liberata in Istriam appulit, ubi navarchus excursionem fecit et Venetias venit: ipsa dein vela fecit versus portum, notabili spatio foris extra suam (g). Ad eam ibi consistentem navarchus rediit, cum duobus nepotibus ac tribus famulis suis incymba, salvus quidem, sed non sine labore, quia

(a) Nemo alius hic intelligi potest, quam primus Venetæ urbis patriarcha, ut infra dicitur; et ut proprio eum nomine Hermolaus, qui optime norat, appellat. B. Laurentius Justinianus, eum titulum consecutus a Nicolao V anno 1451, et vita functus anno 1455, 8 Januarii, uti ex epitaphio constat. Ideoque initio hujus historiae, ubi notabatur absolute mensis December anni 1454, posuit, « sub annum 1454, » a Januario scilicet proximo inchoandum. Neque enim alia eo vivente geri potuissent, quæ proximo Febuario, Aprili et Maio gesta esse infra narrantur. Sed quomodo hic Mocenigi nomen additur cognomini Justiniani, non Laurentii? An ex Moceniga familia fuit mater Quirina? ut hujus quoque cognomen cum paterno cognomento usurparit? an vero gens Justinianæ in duos divisa ramos, altero nomine addito distinguebatur? Veneticæ nobilitatis studiosis considerandum hoc relinquo: sic enim clare scribitur: « la Signoria reverendis. de monsignor patriarcha Mozenigo Giustinian. »

(b) Recte ac vere *Ἐξρόλοφος*, id est *Aridus collis*. Est autem ultimus et maximus e septem, quibus secundum Bosphori litus spectatur civitas velut vallata. Describit eum accurate Petrus Gillius lib. iv *De topographia Constantinopolitana*, cap. 7: libro autem i, cap. 18, ait, « plus minusve duodecim millia passuum in circuitu complecti, ac plusquam tertiam urbem partem continere; » sed ea haud dubio laxior acceptio est.

(c) Etiam hujus columnæ, quam Arcadius imperator exstruxit, et statua sua desuper collocata or-

navit, exactissimam descriptionem habet idem Gillius dicto jam lib. iv, cap. 7. Est autem columnæ scapus, ut idem ait, « sculptus pugnis variis; et sculptura procedit in modum columnæ, quæ Romæ Trajano sacra est, inter elices binas cochleæ more surgentes. »

(d) Italice pluraliter *dalle piazze*: Quamvis autem singulæ regiones urbis sua haberent fora, et quædam plura, unumque esset nominatius cæteris, Forum autonomastice dictum, alias a Constantino auctore appellatum: apparet tamen certum aliquem locum intelligi, in plura divisum fora, unde determinata posset distantia accipi; et hunc puto ad ripam Bosphori concipiendum extra urbem inentia, ubi singulæ nationes suum distinctum forum et consequenter etiam stationem habent cum suis mercibus venum exponerent, ut passim in magnis ad mare aut flumina laxiora emporiis fieri scimus; adeo ut proprie hic intelligatur peti, quantum a ripa sive littore distaret S. Athanasii ecclesia, sive locus in quo stabat columna.

(e) Totam hanc inquirendi diligentiam Venetiis adhibitam, et quæ deinceps sequuntur ad sanetæ corporis veritatem comprobendam, transiit Hermolaus.

(f) Methone Messeniæ oræ urbs antiqua, in extrema Peloponneso, ubi Archipelagum totum emensus naves Adriaticum mare versus cursum flectere incipiunt.

(g) Italice, *verso el porto di fuora della Foca un grand pezzo*. « Locus qui hodie la Foca dicitur, et

ventus vehementior insurrexerat. Dominus autem patriarcha intelligens advenisse navim, auferri ab ea sanctum corpus jussit : sed quia invalescebat ventus, opus fuit mittere onerariam robustiorem (a), et hæc ipsa ubi in mari fuit nonnulli ex naviculariis nauseam pati cœperunt, alii autem turbari propter violentiam tempestatis. Cum autem accesserunt ad navim, viderunt cymbam navarchi abnavigasse eum sancto corpore; Ideoque mutuo se animantes dicebant : « Eia insequamur cymbulam istam ; ut auxilio ei esse possimus, si quid forte sinistrum contingat. » Verum navigabat illa tam quiete, ut supra marinos fluctus, non cymba, sed avis volare videretur ; et per Dei gratiam salva citra periculum appulit ; cum oneraria patriarchalis non nisi multo cum labore viam ac portum tenere potuerit. Et tamen cymba illa, præter sacrum corpus, sex homines ferebat, et varias insuper merces, pondus ipsorum vectorum multum superantes.

*Veritas sancti corporis a patriarcha examinata et probata. Translatio ejusdem solemniter ad ecclesiam Sanctæ Crucis.*

« Detulit autem cymba illa corpus sanctum usque Castellum (b), ubi illud præsentatum est reverendissimæ dominationi D. Mocenigi Justiniani, primi Venetiarum patriarchæ, qui jussit ut secreto deportaretur ad dominas Sanctæ Crucis in Judaica, districtè prohibendo ne illi honor aliquis aut reverentia exhiberetur, priusquam certior esset factus ipsum vere esse corpus S. Athanasii, doctoris Ecclesiæ catholicæ, qui fecit pulchrum istud symbolum quod incipit : *Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est ut teneat catholicam fidem.* Volens ergo de re tota certificari, quamvis jam antea locutus fuisset cum supradicto Mag. Jacobo tonsore, qui sæpius visitaverat et inspexerat ipsam sanctum corpus, uti supradictum est ; statim tamen atque navis appulit, jussit dominatio sua patriarchalis illum accersiri, simulque naupegum qui gloriosum corpus ex sua capella Constantinopoli abstulerat ; cum unus nihil sciret de altero, et naupegum nunquam allocutus fuisset nedum examinasset tonsor prædictus.

« Tum hoc præsentante cœpit patriarcha, juxta ea quæ antea ex tonsore audiverat, interrogare naupe-

gum, unde corpus illud sustulisset. Qui respondit, E regione et civitate Constantinopolitana. Ex quo vico ? inquit patriarcha. Ex eo, respondit naupegus, qui Ixirolaphus dicitur, ubi est columna grandis et pulchra. De qua ecclesia ? inquit. De ecclesia S. Athanasii, respondit alter. Ille iterum, De qua capella ? De una, retulit alter, quæ plumbo tegitur. Interrogatus autem de forma sepulturæ, respondit, capsam fuisse ligneam : sed et de signis unde cognosci distinctius posset requisitus, dixit aforis et deintus pictam esse. Quin et circa ipsas figuras ibidem depictas examinatus, respondit figuram abintus videri S. Athanasii. Denique ad omnem quæ sibi fiebat quæstionem respondit naupegus ita congrue et conformiter ad ante relata a tonsore, ut dubitari non posset, quin omnia cum veritate consistenter ; et dominatio sua patriarchalis, cum omnibus super eo negotio constitutis, satisfactum sibi plenissime fateretur ; quia autem tonsor antea dixerat, ipsum corpus sanctum habere retro in tergo duas maculas nigras, etiam hoc exploratum fuit, inventæque reipsa maculæ illæ sunt. Postremo interrogatus naupegus, num de illo corpore fama esset certa et constans, ipsum esse S. Athanasii doctoris Ecclesiæ, respondit omnino talem ibi esse.

« Alterum præterea testimonium veritati prædictæ obtigit hoc modo. Nobilis quidam e familia Justinianæ, Constantinopolim propter quædam negotia sua erat profectus, eo tempore quo istæ grandis pestilentia sæviebat : a cujus contagione ut securior et remotior esset nobilis prædictus, hospitium sibi delegerat apud illum sacerdotem, in cujus cura erat prædictum sanctum corpus ; cum eoque manserat mensibus sex, ab eodem linguam Græcam discens, et interea sæpius ipsum sanctum corpus inspiciens. Hic interrogatus num illud agnitus esset si videret, respondit, se id non posse promittere, eo quod jam anni sex transissent ab eo tempore quo ultimum vidit ; unum tantum se recordari, quod scilicet digitus unus deesset manui dexteræ. Rogatus deinde est ut dignaretur per sese accedere ad moniales Sanctæ Crucis in Judaica : quod ille libenter fecit : statimque ut vidit manum digito mutilam, Certissimo, inquit, hoc est corpus quod vidi : digitus autem qui hic deest, servatur ab antiquo in ecclesia S. Laurentii Venetiis (c).

olim (ut videtur) dicebatur *la Fuca*, tribus millibus Italicis distat ab utroque portu, id est a portu Malemoci, quem intrant majores naves, et a portu Litioris seu del Lido, quem etiam mediocres intrare solent. Locus vero *Fosa* dictus, extendit se ad duo Germanica milliaria quoad latitudinem et longitudinem, in quo aqua est satis profunda et mare nudum, ita ut facile possint projicere anchoras, et ibi sistere naves donec habeant tempus commodum intrandi et auxilium periti ductoris, qui naves per profundum recurvumque meatum ad portum introducat, ne ad arenam impingentes prope portum (ut

præfidentioribus solet nonnunquam contingere) naufragium faciant. »

(a) *Onerariam* etiam vertit Hermelaus, Italice *peota*.

(b) Exigua insula, ubi prima Veneti episcopi sedes fuit, unde et Castellanus episcopi dicebantur, estque civitati ex parte orientali extrema, eique per pontem connexa ipsum Portum proxime prospiciens.

(c) Sanctimonialium hæc est ecclesia, ei in qua S. Marci basilica est insulæ vicinior, in qua etiam est ecclesia S. Georgii Græcorum.

« Maxima præterea et exactissima diligentia nostri reverendissimi domini patriarchæ actum est, ut plura alia veritatis prædictæ argumenta clara haberentur, a die decima (a) Aprilis, usque (b) in diem undecimam Maii: tempus enim intermedium totum exactum est interrogandis et diversimode examinandis, tam ipso naupego, qui corpus a capella S. Athanasii sustulisse se affirmabat, quam navarcho seu patrono ipsius navis, omnibusque iis, a quibus indicium aliquod vel documentum haberi circa rem istam posset, ad certo dilucideque sciendum ipsum esse verum corpus S. Athanasii. Habita igitur tam plena certitudine, magno cum fervore convertit se sua reverendissima dominatio ad honorandum tam sacrum pignus; neque patriarcha tantum, sed et multi alii episcopi ac prælati, ipseque illustrissimus senatus Venetus cum omni populo, consenserunt ad celebrandam, quam maxima fieri posset et conveniebat pompa, translationem gloriosissimi Isthii sancti, quem Deus ipse, per tam evidentem demonstrationem veritatis, singulari prorsus honore dignum significarat.

« Parata sunt autem omnia huc spectantia in Dominicam infra octavam Ascensionis sanctissimæ: quando sub auroram misit dominatio sua reverendissima, qui sanctum corpus secreto transferrent, a Sancta Cruce in Judaica, ad ecclesiam S. Marci: ubi debita cum devotione et reverentia collocatum fuit supra aram principem, pannis aureis pretiosissime splendidissimeque vestitum. Præparatum insuper fuerat ex maximis navibus, inter sese firmiter concatenatis contabulatisque, pegna spatiosum, instructum sedilibus, pannisque sericis diversi coloris aureisque speciosissime adornatum, ut gravissimum cominus eminusque intuentibus præberet spectaculum. Competenti autem hora convenerunt reverendissimus dominus patriarcha cum suis suffraganeis (c), et D. episcopus Patavinus (d) cum aliis episcopis et prælati, qui tunc Venetiis inveniebantur quindecim aut sedecim, mitrati omnes: item cunctæ sacerdotales congregationes numero novem, cunctique religiosi cum suis capitulis solemniter apparatus, intra suas quique planas naves. Tum quatuor majores scholæ cum suis luminari-

bus, ac denique serenissimus princeps (e) cum suo nobilissimo ornatissimoque senatu, ad debitam reverentiam sancto corpori exhibendam.

« Verum ubi hæc splendidissima pompa (f) ad aream S. Marci appulit, vehementior mari incubuit ventus, quam processioni ordinate faciendæ convenire videbatur per aquas sic turbatas. Procedendum nihilominus censuit reverendissimæ suæ dominatio, confidens in Domino et servo ejus. Itaque procedere ceperunt primum quatuor scholæ, tum religiosi, deinde congregationes, ac denique capitulum S. Marci cum illustrissimo senatu. Quibus procedentibus, jussit patriarcha ut episcopi octo pontificaliter vestiti atque mitrati subjicerent humeros sacro feretro, collocando supra contabulationem prædictam loco excelso et eminenti, prout factum, sedentibus circumquaque reverendissimo patriarcha cum episcopis et prælati, serenissimoque principe et senatoribus ejus. Quibus omnibus in destinata sibi sedilia receptis, posuit ventus, conquievit mare, et facta est tranquillitas magna et admirabilis.

« In hunc modum discessum a littore est versus Judaicam, magno cum jubilo et lætitia universorum, personantibus tubis tibiisque et omnis generis instrumentis musicis. Excensionem autem omnes fecerunt eodem quo venerant ordine, scholæ, religiosi, congregationes sacerdotum, et cæteri ad parochiam S. Euphemiæ (g), atque ad Sanctam Crucem processerunt per insulam, totam virentibus ranis herbisque instratam ac convestitam: campum vero illius omnem implebant tentoria, ordinate atque devote disposita. Interim paulatim adnatabat machina, sanctum corpus cum suo reverendissimo ac serenissimo comitatu ferens: quæ ubi etiam ipsa in modum currus triumphalis applicuit, progredientibus obviam pluribus parochiarum Venetarum plebanis, cereos grandes ardentes gestantibus, sublatus est feretrum humeris prædictorum prælatorum, atque intra ecclesiam Sanctæ Crucis delatum, in ejusque medio inpositum excelso pegmati ad id præparato.

« Neque vero sine mysterio fuisse videtur, quod prælaudatus navarchus ejus sancti corpus, qui dum

(a) Anno 1454 Pascha fuit 21 Aprilis: cœptum ergo examen ante hebdomadam sanctam, die Jovis post Dominicam Passionis.

(b) In Italico dicitur « usque in diem translationis, qui fuit undecimus Maii. » Verum inferius dicitur Translatio facta « Dominica infra octavam Ascensionis, » quæ Dominica eo anno, littera Dominicali F, fuit dies 2 Junii. Itaque crispationem scriptoris claram corrigens, delevi verba loco non suo posita. Voluit fortasse auctor dicere, 2 Maii finito examine, constitutum fuisse, ut fieret solennis translatio jam dicta Dominica. Nec vero apparatus necessario brevius tempus, quam trium hebdomadarum, sufficere poterat; tot autem præcise numerantur ab 11 Maii ad 2 Junii.

(c) Chæreepiscopos intellige, pro ecclesiis Castellana et Gradensi sub uno Veneti patriarchatus titulo

D unitis.

(d) Fantinus Dandulus, nobilis Venetus, Patavinæ Ecclesiæ præfuit ab anno 1448 ad 1459.

(e) Franciscus Fuscarius, dux seu princeps Venetiarum, ab anno 1423 ad 1457, longævo regimine id assecutus, ut successorem vivus acciperet; quod ei mortem acceleravit.

(f) Totam hanc pompam prætermittit Hermonlaus: econtra primam receptionem, qua sanctum corpus ad Castellum exceptit patriarcha, commendat a festivo apparatu totius prope civitatis in occursum effusæ, et gratiarum agris corporibus impetrandarum spe visere ac contingere gestientis.

(g) Parochia S. Euphemiæ in ipsa Judaica, inter 110 parochias urbis Venetæ censetur ultima, vulgo S. Fumia.

vixit pro fidē sanctæ crucis adeo viriliter decertavit, donandum censuerit ejusdem Sanctissimæ Crucis ecclesiæ : quandoquidem etiam Domino Deo placuerit, ut vitam finiret atque ad perpetuam gloriam transiret in pervigilio Crucis inventæ. Collocato autem, ut diximus, corpore, recitata fuit brevis oratio, qua Deus laudabatur de tali dono ac munere, huic benedictæ civitati Venetiarum oblato, quod esset verum corpus unius ex sanctæ Ecclesiæ doctoribus. Actæ deinde gratiæ sunt reverentissimo D. patriarchæ, omnibusque episcopis et prælatis eum comitantibus, tum serenissimo principi totique illustrissimo senatui, et omnibus eos secutis, de tali ac tanto honore.

« Neque vero ab hominum memoria visa est solemnitas tam ornata tamque devota. Rapuerat illa omnium oculos animosque statim a principio, quando sanctum corpus deferrebat ab ecclesia S. Marci ; magis vero in progressu per aquam : maxime autem dum poneretur loco suo, cum tanta quiete ac reverentia, in adeo grandi populi undique affluentis multitudinie, ut nullus strepitus, nullum usquam scandalum fuerit notatum, nihil etiam amissum perditumve. Quare consolatissimi omnes recesserunt, agnoscentes rem totam certissimo actam esse ex Dei omnipotentis voluntate, ad honorandum Servum suum in hoc benedicto loco Sanctæ Crucis : quod et demonstrare non cessat quotidianis evidentibusque miraculis ac signis, quæ isthic divina majestas operatur, in favorem omnium qui se meritis et intercessioni S. Athanasii commendant. Unde licet probationes prædictæ deficerent, ad declarandum quod hoc sit verum corpus S. Athanasii, qui scripsit pulchrum istud symbolum, *Quicumque vult salvus esse* ; miraculosæ tamen gratiæ, quas fecit Deus specialibus quibusdam personis, ad ipsum symbolum ejusque gloriosum auctorem pie devotis, sufficerent ad plenam certitudinem faciendam. Aliquas earum, ne longior prolixitas fastidium pariat, hic consequenter subnectam. »

*Miracula S. Athanasii præcipue post translationem corporis.*

« Primum quod S. Athanasius fecit miraculum, censi debet suavissimus odor, procedens ab ejus corpore, eo in loco in quo fuit depositum, cum maxima circumstantium omnium admiratione. Quanto enim ad eum locum quisque accedebat propius, tanto magis illum suaviusque percipiebat, et cum stupore dicebat : Quæ ista est fragrantia ? quam mirabilis ! In ipso autem suæ translationis glorioso die, quacunque sacrum corpus transibat, idem odor percipiebatur.

« Fuerat præsens Venetiis juvenis quidam Parmensis, cum sacrum corpus ex navi elatum primo deponeretur apud Sanctam Crucem : huic deinde pestis advenit : qua invalescente, apparuit ei noctu sanctus quidam episcopus, eumque confortans : « Ne animum, inquit, desponde : sed vade ad Sanctam Crucem in Judaica, ibique devote recitans ter *Pater*

*A et Ave*, jube tibi admoventi reliquias illius Sancti, et statim liber eris. » Fecit postridie quod jussus erat æger circa horam Vesperarum, accessit ad ecclesiam Sanctæ Crucis, ubi reperit occupatos sacerdotes in sancto corpore apte decenterque collocando ; reliquias ejus affectæ corporis parti admovit, moxque convaluit : quod cum ejus quidam proximus consanguineus, in cuius comitatu advenerat, dubitaret credere : « Tuis, » inquit juvenis, « manibus explora num veritatem loquar. » Exploravit ille, et ita rem se habere cognovit ac credidit.

« Mulier quædam gravissimam patiebatur infirmitatem per annos quindecim, qua omnes ejus nervi contrahebantur, adeo ut toto corpore assiderata instar paralyticæ tremere. Nulli eam medici, medicinæ nullæ juvare potuerant ; sed magis magisque aggravabatur malum. Cum ergo intellexisset delatum esse Venetias gloriosum corpus S. Athanasii, sæpius sæpiusque ejusdem precibus se commendare cœpit. Quadam autem die plus solito patiens, auxit etiam devotionem ac fidem, rogans Deum per benedicti illius Sancti merita, ut siquidem saluti animæ suæ expedire cognosceret, hanc infirmitatem a se auferret. Et hanc orationem faciens melius sibi fieri sensit, ipsoque die persanata exstitit, nec amplius morbum illum est passa.

« Mulier quædam, totis quatuor mensibus cum maximo capitis cruciatu conflictata, nec minori in brachio, statim ut se commendavit S. Athanasio utriusque membri sanitatem obtinuit, et utriusque cereum simulacrum attulit, ad visitandum sanctum corpus cum gratiarum actione veniens. Alia mulier filiolum habebat, capite tantum inflato ut nullam lucem oculis admitteret : posuit autem eum super altare S. Athanasii, et puer coram multis præsentibus aperuit oculos ac clare videre cœpit. Tertia, eaque nobilis continuo anno brachium dolebat adeo graviter ut ipsum nulla posset ratione movere : quæ Sancto se commendans, et *Quicumque* recitans, atque affectam partem cruce signans, subito liberatam a cruciatu illo sese experta et mirata est.

« Altera sedem in facie morbum patiebatur, nec a medicis vel medicinis ullum ferebat auxilium : quare multum anxia decrevit visitare corpus S. Athanasii, coram quo orans dixit : « Domine Deus, « per merita hujus gloriosi Sancti, dignare mihi redere sanitatem, quam medici ac medicinæ restitueri nequeunt : » tum globulorum precatoriorum sertum, quod corpori sancto admoventi, applicuit vultui, eo se loco devote signans ubi malum sedebat, et sanata fuit. Nobilis quidam grandi et continua, quam patiebatur, febri ad mortem adductus, vocit prædicto glorioso Sancto, quod si a febre liberaretur, nullum alium ad locum prius iret, quam ad visitandum ejus corpus, ibique pulchram missam cantari faceret : moxque sanatus votum suum cum singulari devotione implevit.

« Mulieris cujusdam infirmus filius magis magisque quotidie vergebat ad mortem : sed ad votum matris, ceream pro eo statuam cum missa, si sanaretur dicenda, promittentis, subito convaluit. Alius puer, quatuor mensium spatio assideratus, erat sub cura medicorum ; sed eam nihil proficere experiens mater huic glorioso Sancto eum commendavit, et brevi spatio persanatum habuit. Juvenis quidam incurabili infirmitate novem annis laborans, signavit se candela quæ corpus sacrum attigerat, subitoque convaluit, atque vovit ipsum sanctum corpus visitare : sed quia votum implere neglexit, eadem ipsi infirmitas et multo quam antea gravior rediit. Femina quædam habebat filium qui spatio quinque mensium diu noctuque non desinebat ejulare, præ cruciatu quem sustinebat : quod cernens afflicta mater pueroque compatiens, recordata est hujus benedicti sancti, vovitque deferre filium in ecclesiam ubi ejus corpus servatur. Nec mora : sanatus est puer, et votum suum læta mater implere festinavit.

« Alia femina, quadam sui corporis parte impedita, commendabat se variis quibus devote affliciebatur sanctis, præcipue in eorundem festivitibus gratiam postulans sanitatis : denique etiam ad S. Athanasium se convertens, subitoque curata, nescivit cuiquam potissimum, ex pluribus quos invocaverat, acceptam deberet sanitatem referre. Hinc vario cogitationum æstu jactata cum multum anxietur, et die quadam orto inter ipsam et consortem litigio coacta fuisset domo egredi, denuo se commendavit S. Athanasio, dicens : « O sancte Athanasi, si tu es ille per cuius merita Deus mihi contulit sanitatem, fac obsecro ut domum reverteus pacem inveniam : » eodemque die desideratæ gratiæ compos facta, vitam deinceps cum consorte egit in pace, quemadmodum antea.

« Triremis quædam peregrina jactabatur tempestate in mari, cum superveniens fluctus quindecim ex eo homines rapuit, et cæteros ita conterruit, ut de vita sua desperantes peccata invicem confiterentur. Erat inter eos quidam, qui Constantinopoli existens fuerat devotus S. Athanasio : huic ergo votum facit ; et ecce fluctus ab alio latere in navim veniens ipsos illos quindecim quos prior excusserat in eam reposuit, factaque est subito tranquillitas magna. Scientes autem quod corpus S. Athanasii Venetiis jam esset, quam primum potuere istuc venerunt : votoque quo erant obligati expleto, sanctimonialibus narraverunt miraculum quod sibi acciderat.

« Nobili cuidam matronæ famula erat assiderata, multumque afflicta, eo quod nullam haberet absque subaxillaribus fulcris gradiendi facultatem. Huic in visione apparuit episcopus quidam dicens : « Vade ad Sanctam Crucem in Judaica, et isti Sancto te commenda : ipse enim, Dei gratia mediante, te sanabit. » Evigilans porro dixit dominæ suæ quæcunque videret et audierat, rogans ut ipsam duce-

ret ad Sanctam Crucem, ubi est istud corpus sanctum. Ipso ergo illo matutino tempore deduxit eam matrona prædicta cum suis furcillis ad prædictum sanctum, mandans duobus famulis ut eam de cymba elatam carrucæque impositam veherent ad ecclesiam : quæ multum devote se commendavit benedicto isti Sancto, ac deinde domum revecta est cum domina sua. Sequenti autem nocte apparuit eidem episcopus, prædictus, eamque palpavit per omnes eas partes corporis in quibus erat assiderata : dixitque, « Scias te esse sanam ; » abstulitque furculas juxta positas, detulitque ad alteram cubiculi partem. Evigilans autem illa somniasse se credebat, atque ad furculas capiendas manum extendens, deesse illas deprehendit. Tentavit ergo num absque iis movere se posset, movebatque se optime : quare subito assurgens, maxima cum lætitia perrexit ad cubiculum dominæ suæ ; et quidquid acciderat sibi eidem narravit. Die autem facto venit ad Sanctam Crucem in Judaica cum gaudio magno, curavitque ibi cantandam missam in honorem hujus gloriosi S. Athanasii : et in monumentum facti in se miraculi ibidem appendit furculas suas, laudans Deum et hunc benedictum Sanctum, qui tam pulchrum miraculum in se fuerat operatus.

« Vir quidam honestus ex Pastena et duo ejus filii patiebantur gravem infirmitatem : cumque ei venisset in memoriam egregia festivitas qua celebrata fuerat S. Athanasii translatio, eidem sese et filios suos devovit : eademque hora sanati sunt omnes ab infirmitate illa. Similiter subito convaluit puer, quem animam agere videns mater, eidem Sancto devoverat. Mulier quædam ex Herza, mensibus octo infirma, et tam dire cruciata ut diu noctuque vociferaretur ejulans, nulloque invento remedio ad mortis articulum deducta judicaretur ; recordata est gloriosi S. Athanasii, eique se commendavit cum desiderio tangendi aliquid de reliquiis ejus. Venit autem ei in mentem annulus, quem ab episcopo Patavino acceperant reverendæ matres monasterii a corpore Domini nuncupati, qui annulus sancti corporis tactu erat consecratus. Petiit ergo illum sibi offerri ex dicto monasterio, allatumque posuit eo loci ubi majorem sentiebat cruciatum, ac subito dormire cœpit, viditque pueros multos albis vestitos, interque eos virum illustrem, et qui dixit : « Quid tibi est mulier ? » Illa vero, « Ah ! malum grande. » Ipse autem capiti ejus imposuit manum dicens : « Redde te mihi sponte, nullum enim amplius malum senties. » Tunc illa curiosius intuens vidit eum esse absque capite : et experrecta narravit viro suo per ordinem quæ viderat. Cui vir suus : « Scias, inquit, eum sanctum, qui habetur ad Sanctam Crucem, cuique te commendasti, non habere caput. » Ab eaque hora et deinceps remansit sana ab omni infirmitate.

« Mulier alia. a primis pueritiæ annis, maximum

dolorem patiedatur in tibia ex quodam ejus defectu; adeo ut nonnisi pauxillum posset ambulare. Cum igitur annis multis eam infirmitatem tolerasset, commendavit se S. Athanasio, cui jam antea multum devota fuerat, haud paucis ab eo gratiis aliis munerata. Quamvis autem difficilis impetratu ipsi videretur sanitas sua, cum magna tamen fiducia et devotione etiam hanc gratiam ab eodem decrevit petere, votis et precibus ad eum directis: subitoque liberam se sentiens, ambulare coepit, solita deinceps dicere saepius, quod libenter fecisset manus unius jacturam pro facultate ambulandi obtinenda. Quare ex eo quod sibi acciderat consolatissima remansit, nec videbatur expleri posse agendis Deo gratiis et benedicto ejus Sancto, pro favore tam singulari. Infans quidam ita leprosus in mundum natus erat, ut cum fasciae ei ac panni mutarentur, carnes deciderent et tenella ossa totius corporis nuda apparerent. Non audebat illius mater medicamentorum quidpiam admovere ei, metuens ne pejus exinde haberet: solum cum devotione et fide maxima recursum habuit ad S. Athanasium: cui mox atque votum fecit, infans totus sanus integerque apparuit, tanquam nihil mali unquam passus.

« Juvenis quidam, annis quatuor incurabili consumptus lepra, erat a medicis depositus: quare ad S. Athanasium vota et spem convertit, ac subito melius habere coepit, cuteque siccata nihil ei veteris morbi remansit praeter exiguum vestigiun, eo loci ubi primum apparuerat. Erat autem tunc dies Sabbati, Lunae autem sequenti venit ipse ad visitandum benedictum hunc S. Athanasium: et in memoriam tanti miraculi, posito veteri, assumpsit nomen Athanasii. Puer quidam annis jam tribus quartana laborabat febrim admodum vehementi, et nullum in medicis aut medicinis reperiebat levamen, donec pater suus eum commendavit S. Athanasio, cujus meritis ille mox persanatus fuit. »

*De cultu sacri capitis in Hispania et Gallia.)*

Sacrum S. Athanasii corpus, non modo nunc carere capite deprehendit R. P. Aloysius Carnolius; sed a principio suae ad Venetos translationis absque eo fuisse, manifeste apparet ex verbis supra relatis, cum S. Athanasius moribundae mulieri esset sine capite conspectus. Quamvis enim in tota praecedenti narratione et examine, super allati aut afferendi corporis veritate habito, nulla fiat mentio capitis deficientis; satis tamen id colligitur, primo ex verbis nobilis illius Veneti, qui dubitabat an saepe sibi visum corpus esset agnitus, post annos sex quibus Constantinopoli non fuerat, nisi ex digiti unius defectu; ex duabus maculis nigris, in tergo ejusdem corporis requisitis, juxta Jacobi temporis testimonium. Quanto enim distinctiora magisque obvia indicia seu signa distinctiva desumi potuissent, ex forma et statu vulvis integri, aut extremitatibus narium, aurium, vel labiorum deficientium

minuti; qualia in plerisque eorum, quae post mortem integra quadamtenus monstrantur, corporum sanctorum passim conspexisse memini? Deinde ordinarii sacci mensura, qui corpus capere non potuisset, nisi flexis in tergo pedibus immissum foret; suadet, capite imminutum fuisse truncum, nam etiam hoc altius sacco exstitisset, nec sivilisset naupego eundem saccum abscondere sub eo quem indutus erat bardocucullo: absque illo autem sarcina, haud multo plus quam tres et medium pedes longa, deferri sub axilla haud difficulter in sacco potuit.

At quonam delatum caput dicemus? Venetiis creditur, pridem illud Romae haberi. Id si fuit, admodum pridem fuisse oportuit: nam modo nulla ejus ibi notitia aut memoria. Fr. Gregorius Bravus de Sotomayor, in historia monasterii Vallis-Venarum vulgo Valvanera, in termino Calagurritanae dioeceseos, part. 1, cap. 8, f. 40, inter alia argumenta quibus conatur probare, veram esse traditionem loci, quo creditur S. Athanasius Alexandriae episcopus ibidem persequente ipsum Constantium, delituisse, et caenobii coquum egisse, quarto loco allegat, « quod hac traditione instante, antiqui Patres hujus caenobii a quodam summo pontifice adepti sunt casulam S. Athanasii, et caput cum lingua: quae honorifice asservantur inter alias reliquias in majori ara. » Traditionem ipsam probare non possum: Ideoque Antonio de Yopez magis assentior, coquum monasterii Athanasium, cujus ibi memoria cum sanctiatis opinione vigeat, et cujus occasione nata sit opinio de latebra S. Athanasio Alexandrino isthic praebita, fuisse ordinis Benedictini monachum. Idem cum Yepesio censet Tamayo de Salazar ad hunc diem, in suo Martyrologio Hispanico: neque movetur eo argumento Bravi, « quod fere in omnibus privilegiis, gratiis et indulgentiis, quibus hunc locum locupletarunt summi Romani pontifices, asseritur ea illos concedere in honorem B. Mariae et S. Athanasii doctoris magni, qui in illa habitavit domo; et quod Innocentius III pontifex maximus, qui Ecclesiam ad an. 1117 gubernavit, et Athanasii Vitam scripsit, concessit huic domui magnas indulgentias, contemplatione sancti Doctoris, referens habitaculum in ea. » Si tamen pars altera traditionis de casula, capite, lingua Roman allatis subsistit, quam credere volo ipsarum reliquiarum exhibitione praesenti probari posse; eo illa evaderet verosimilior, quo integritas hactenus servatae linguae vero quoque similis facit ex corpore hactenus integro ipsam esse.

Verum Hispanis adversantur Franci, apud quos in dioecesi Turonensi pagus est, *du Serrin* dictus, in eoque ecclesia parochialis, quae S. Athanasii Alexandrini caput hodieque ostentat: quod, uti super his rogatus R. P. Guilielmus Quirini nobis scripsit, « creduntur Alexandria attulisse et isthic deposuisse domini de Sanblanse, pagi Serrenio vicini, qui et ducés Andegavenses olim et reges Hic-



r. salem. » Tabulæ geographicæ tertia ab urbe leuca notant oppidum *Samblançay*, eique ad occidentem vicinum *te Serrain*, in quo jam dictus Pater (quem suus pro hoc opere zelus compulit ipsummet eo ire) invenit an. 1676 « caput S. Athanasii, argenteo capiti inclusum, et honestius quam alias viderat asservatum, sed absque scripturis ullis: » accepit tamen a pastore « loci, qui in apostolicis litteris appellatur S. Athanasii, » exemplar archiepiscopalis mandati ante non multos menses editi, quod ex Gallico placet Latinum facere.

« Michael, Dei misericordia et sanctæ sedis apostolicæ gratia archiepiscopus Turonensis, charitativis fidelibus nostræ diœcesis salutem et benedictionem in Domino Jesu Christo, qui est Deus pax et charitatis. Nescio quomodo fiat, ut res magis sanctæ et majori veneratione dignæ, majori plerumque premantur pauperie. Certe non absque gemitu nostro intueri possumus, veterem illam Serrini ecclesiam, non minus antiquitate sua quam pretiosarum reliquiarum thesauris commendabilem, eo redactam paupertate loci ut ruinam undique minitetur. Cogimur ergo charitatem fidelium diœcesis nostræ et aliarum implorare, ut conferre velint aliquid de suo abundanti ad restorationem istius loci, supra quem eam benedictionum cœlestium largitatem effudit cœlum, quam testantur indulgentiæ plenariæ eidem concessæ, intuitu magui S. Athanasii, cujus caput illa integrum possidet, cum aliis pluribus pretiosis reliquiis: quarum indulgentiarum thesaurus aperietur ad primas Vesperas festi ejusdem Sancti, prima die proximi Maii, omnibus personis charitativis, qui de suo illic tribuent aliquid, pollicendo, quod futuri sint participes, generatim et particulatim, omnium precum, quæ ibidem loci fiunt. Dilectos autem nostros priores et curatos vicinos exhortamur, ut cum sua quisque plebe illuc processionaliter accedant, reddentes vota sua; et commissos sibi populos efficaci

A exemplo ad Idem præstandum invitantes, ut scilicet præsentibus adsint processioni et prædicationi ibidem faciendæ, et cum benedictione sanctissimi Sacramenti terminandæ. Datum Turonibus, sub signo nostro et sigillo archiepiscopali, cum sub-signatione secretarii quoque nostri, xviii Aprilis 1676. »

Non est meum componere controversiam, quæ hinc existit inter Hispanos et Francos: nam si his difficile est probare, Alexandria acceptum esse quod habent caput; nihilominus laborabunt Hispani, ut probent se Roma accepisse quod obtinent. Si objiciatur Hispanis credibile esse, reliquias quas ostentant, capitis præsertim et linguæ, esse fortassis illius coqui, unde sumpta occasio comminiscendi incolatum S. Athanasii episcopi in illo loco: reponebant Hispani, æque facile fieri potuisse, ut ex Constantinopolitano potius quam Alexandrino patriarchatu acceperint Galli caput cujuspiam S. Athanasii episcopi, puta Corinthiorum, qui colitur 5 Maii. Ad hæc, quam est incertum an coquus ille sanctus unquam in rerum natura fuerit, aut saltem an Athanasii nomine appellatus; tam videtur certum casulam simul asservatam cum capite signum episcopi esse, non fratris laici: itemque sola crannii ossa, omni carne nudata esse in Gallia; caput autem quod est in Hispania, uti linguam adhuc imputrem servat, ita et servare carnem saltem exsuccam; quod magis convenit ei statui in quo est reliquum corpus Venetiis. Quod si ita quis judicaret de capite Serriniensi, multo magis sic judicaret de brachio, quod nos an. 1661, 17 Martii vidimus in sacrario monasterii Cassinensis, et de costa, quam Joannes Schekmannus in *Epitoma seu Medulla gestorum Trevirensium* an. 1617 excusa, fol. 55, asserit in monasterio S. Maximini servatam; scilicet eam non posse credi S. Athanasii Alexandrini, si ejus est corpus servatum Venetiis, de quo non videtur dubitandum amplius.

ELOGIA

A QUIBUSDAM VETERUM ATHANASIO TRIBUTA.

*Greg. Naz. Orat. de S. Athan. in Edit. Græco-Latina suorum operum, pag. 373, vel in appendice Encomiorum, quæ posteriori tomo operum D. Athanasii subjecta est.*

Athanasium laudans virtutem laudabo ; idem enim est illum dicere, quod virtutem laudibus efferre, quoniam omnes virtutes collectas tenebat, vel, ut verius loquar, tenet.

Ἀθανάσιον ἐπαινῶν, ἀρετὴν ἐπαινέσομαι· ταύτων γὰρ ἐκεῖνόν τε εἰπεῖν, καὶ ἀρετὴν ἐπαινέσαι· ὅτι πᾶσαν ἐν ἑαυτῷ συλλαβῶν εἶχε τὴν ἀρετὴν, ἢ, τό γε ἀληθέστερον εἰπεῖν, ἔχει.

*Et paulo post :*

Athanasius, quandiu nobiscum versatus est, vera Ecclesiæ columna fuit.

Ἀθανάσιος ἡμῖν ἕως παρῆν, ὁ στῦλος τῆς Ἐκκλησίας.

*Et sub finem :*

Cum autem eum vitæ cursum tenuisset, atque ita institutus fuisset, ipseque alios instituisset, adeo ut vita ipsius morumque integritas episcoporum norma esset, et ipsius dogmata fidei orthodoxæ tegeles haberentur, quodnam tandem pietatis suæ oravium reportat ?

Ζῆσας δὲ οὕτω, καὶ παιδευθεὶς καὶ παιδεύσας, ὥστε ὄρον μὲν ἐπισκοπῆς εἶναι τὸν ἐκεῖνου βίον καὶ τρόπον, νόμον δὲ ὀρθοδοξίας τὰ ἐκεῖνου δόγματα, εἶνα μισθὸν τῆς εὐσεβείας κομίζετα ; [Plena est insignium encomiorum tota illa Oratio.]

B

*Basilii Magnus in epist. ad Athanasium, quæ est inter epistolas Basilii in ordine 48 edit. Paris.*

Quis autem ad ea perficienda prudentia tua valentior est ? Quis acutius, quid faciendum sit, expendet ? Quis ad ea, quæ utilia sunt, agenda efficacior ? Quis ad considerandam fratrum necessitatem condolentis affectu magis præditus ? Quis universo Occidentis honorabili canitie tua venerabilior ? Relinque monumentum aliquod ista tuæ conversationis vita dignum, colendissime Pater, innumeros illos, quos pro pietate tulisti labores, uno isto opere condimenta.

Τίς οὖν ταῦτα διαπράξασθαι τῆς σῆς συνέσεως δυνατώτερος ; Τίς συνιδεῖν τὸ δέον ὑψύτερος ; Τίς ἐνεργῆσαι τὰ χρήσιμα πρακτικώτερος ; Τίς πρὸς τὴν κατανόησιν τῶν ἀδελφῶν συμπαθέστερος ; Τίς τῆς σεμνοτάτης σου πολιᾶς πάσῃ τῇ δύσει αἰδεσιμώτερος ; Κατάλιπέ τι μνημόσυνον τῷ βίῳ τῆς σῆς ἐπάξιον πολιτείας, τιμώτατε Πάτερ, τοὺς μυρίους ἐκεῖνους ὑπὲρ τῆς εὐσεβείας ἀθλοῦς ἐνὶ τούτῳ κατάστησον ἔργῳ.

*Et in sequenti ad eundem.*

Quantum Ecclesiarum languores auctiores evadunt, tantum universi ad tuam convertimur integritatem, unam nobis malorum consolationem in tua tutela relictam esse credentes, qui et precum virtute et scientia rerum gerendarum, qua quid optimum factu sit admonere potes, ex horribili ista tempestate conservare nos ab omnibus, qui aliquantulum integritatem tuam vel auditu vel experientia cognoverunt, crederis.

Ὅσον τῶν Ἐκκλησιῶν τὰ ἀρρωστήματα ἐπὶ τὸ μέζον πρόκεισι, τοσοῦτον πάντες ἐπὶ τὴν σὴν ἐπιστροφόμεθα τελειότητα, μίαν ἑαυτοῖς ὑπολείπεσθαι τῶν δεινῶν παραμυθίαν τὴν σὴν προστασίαν πιστευκότες· ὃς καὶ τῇ δυνάμει τῶν προσευχῶν, καὶ τῷ εἶδέναι τὰ βέλτεστα τοῖς πράγμασιν ἀποτιθεσθαι, διασώσασθαι ἡμᾶς ἐκ τοῦ φοβεροῦ χειμῶνος παρὰ πάντων ὁμοίως τῶν καὶ κατὰ μικρόν, ἢ ἀκοῆ, ἢ πείρῃ γνωριζόντων τὴν τελειότητά σου, πιστεύῃ.

*Item in alia epistola ad eundem.*

Ὅταν μὲν πρὸς τὰ πράγματα υποβλέψωμεν, καὶ τὰς δυσκολίας κατῴωμεν, ὕψ' ὧν πᾶσα ἀγαθοῦ ἐνέργεια ὁλον ὑπὸ τινος δεσμοῦ ἐμποδιζομένη κατέχεται, εἰς ἀπόγνωσιν ἑαυτῶν ἐρχόμεθα παντελῆ· ὅταν δὲ πάλιν πρὸς τὴν σὴν ἀπίδωμεν σεμνοπρέπειαν, καὶ λογιζόμεθα, ὅτι σε λατρὸν τῶν ἐν ταῖς Ἐκκλησίαις ἀββωστημάτων ὁ Κύριος ἡμῶν ἐταμειύσατο, ἀναλαμβάνομεν ἑαυτῶν τοὺς λογισμοὺς, καὶ ἐκ τοῦ κατὰ τὴν ἀπόγνωσιν πτώματος πρὸς τὴν ἐλπίδα τῶν χρηστοτέρων διανιστάμεθα.

A Quando ad res ipsas quidem respicimus, et difficultates expendimus, a quibus omnis boni efficax operatio, quasi quodam retinaculo impedita detinetur, eo relabimur, ut prorsus de nobis ipsis desperemus. Quando vero ad honestam illam gravitatem tuam convertimur, ac cogitamus [quod te ecclesiasticarum infirmitatum Dominus noster medicum constituerit, animos resumimus, et ex desperationis lapsu ad spem rerum meliorum erigimur.

*Et paulo post :*

Πρὸς ταῦτα τίς ἱκανὸς κυβερνήτης ; τίς ἄξιος διαναστῆσαι τὸν Κύριον ἐπιτιμῆσαι τῷ ἀνέμῳ καὶ θαλάσῃ ; τίς ἕτερος ἢ ὁ ἐκ παιδὸς τοῖς ὑπὲρ εὐσεβείας ἀναθλήσας ἀγῶσιν ;

B Et ad ista quis sufficiens gubernator ? quis tantæ fidei, ut credatur excitaturus Dominum, qui et ventum increpet et mare ? quis alius quam qui a puero in pietatis agonibus decertavit ?

*Rursum in epistola sequenti.*

Τῶν ἄλλων τοῖς πλείστοις ἐξαρκεῖ τὸ καθ' ἑαυτὸν ἕκαστον περισκοπεῖν· σοὶ δὲ οὐχ ἱκανὸν τοῦτο, ἀλλ' ἢ μέριμνά σοι πασῶν τῶν Ἐκκλησιῶν τοσαύτη, ὅση καὶ ἰδίως παρὰ τοῦ κοινῷ Δεσπότῳ ἡμῶν ἐμπιστευθείσης ἐπίκειται, ὅς γε οὐδένα χρόνον διαλείψεις διαλεγόμενος, νοθετῶν, ἐπιστέλλων, ἐκπέμπων τινὰς ἐκάστοτε τοὺς ὑποτιθεμένους τὰ βέλτιστα. [Videantur iisdem in epistolis plura.]

C Quoniam aliorum plurimis hoc satis est, si sibi quisque circumspiciat, at tibi istud haud satisfacit, sed tantam geris omnium Ecclesiarum curam, quantam ejus, quæ tibi peculiariter a Domino concredita est, ita ut nullo non tempore de sacris edisseras, admoneas, scribas, frequenterque mitas aliquos, qui undelibet quid optimum sit admo-  
C neant.

*Julius Romanus in epistola ad Alexandrinos apud Socratem, lib. II Hist. eccles., cap. 23, Gr. edit. inter alia.*

Καὶ ἐγωγε, ἀγαπῆτοι, τὸν γενόμενον κατ' αὐτοῦ πάντα πειρασμὸν οὐκ ἄδοξον ἠγοῦμαι γεγενησθαι· καὶ γὰρ καὶ ἡ ὑμετέρα καὶ ἡ τούτου πίστις ἐγνωσθὲ παρὰ πᾶσι καὶ δεδοκίμασται. Εἰ γὰρ μὴ τοσαῦτα συμβεβήκει, τίς ἂν ἐπίστευσεν ἢ εἰς ὑμᾶς τοσαύτην κρίσιν, καὶ τοσαύτην ἀγάπην περὶ τὸν τηλικούτον ἐπίσκοπον ἔχειν, ἢ ἐκεῖνον τοσαύταις ἀρεταῖς περιβεβῆσθαι, δι' ἧς καὶ τῆς ἐν οὐρανοῖς ἐλπίδος οὐκ ἄλλοτριος γένοιτο ; Ἐπέτυχε τολῆναι οἶψ' ἤ ποτε τρόπω, καὶ ἐν τῷ νῦν καὶ ἐν τῷ μέλλοντι, καὶ ὁμολογίας ἐνδοξον μαρτυρίαν. Διαφόρως γὰρ κατὰ τε γῆν καὶ κατὰ θάλατταν πολλὰ πειρασθεὶς, τὴν σκευωρίαν πᾶσαν τῆς Ἀρειανῆς αἵρέσεως κατεπάτησε, καὶ πολλάκις διὰ φθόνον καὶ εἰς κίνδυνον ἐπιβουλεύθει, κατεφρόνησε θανάτου, φρουρούμενος ὑπὸ τοῦ παντοκράτορος Θεοῦ, καὶ τοῦ Κυρίου· ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἐλπίζων ἅμα καὶ τὰς ἐπιβουλὰς ἐκκλίνας καὶ ἀποκατασταθῆσεσθαι πρὸς ὑμετέραν παράκλησιν, φέρων ὑμῖν ἅμα ἐκ τῆς ὑμετέρας συνειδήσεως μείζονα τὰ τρόπαια· ἐν οἷς καὶ ἄκρι τερμάτων πάσης τῆς γῆς ἐνδοξος ἐγνωσθῆ, δοκιμασθεὶς ἐκ τοῦ βίου, παρῆρησιασάμενος μὲν τῇ προθέσει καὶ τῇ οὐρανίᾳ ἐδασκαλίᾳ, ἀποδειχθεὶς δὲ ἀθανάτῳ κρίσει παρ' ὑμῶν ἀγαπώμενος.

Atque res omnes adversas, quas expertus est, fratres charissimi, sua laude minime carere arbitror. Etenim hoc modo cum vestra, tum ipsius fides apud omnes perspecta explorataque est. Nam si tam gravis casus illum non amixisset, quis unquam credidisset vel tam stabile iudicium in vestris animis insedis, tantumque charitatis ardorem erga tam egregium episcopum incensum esse, vel illum tam præclaris virtutibus præditum, ob quas spei, quæ est nobis in cælis reposita, particeps fiet ? Quamobrem cum in præsentī tum in futuro sæculo eximium confessionis testimonium est consecutus. Nam multas calamitates variis modis terra marique expertus, omnes Ariæ factionis insidias quasi pedibus conculcavit. Ac sæpenumero invidiæ causa in vitæ periculum per adversarios insidiosè coniectus, mortem contempsit ille quidem : sed tamen Dei omnipotentis et Domini nostri Jesu Christi auxilio evasit incolumis. Unde spem animo concepit, se tum hostium insidias devitaturum, tum vobis ad vestrorum animorum solatium tandem restitutum iri, quo ex vestra recte factorum conscientia una vobiscum illustrissima trophæa reportaret, quibus sane ad extremas universæ terræ oras

eximie nobilitatus est, certissimaque vitæ præclare anteaactæ indicia omnium oculis subjecit, quippe qui non modo fidei suæ professionem et doctrinam cœlestem sit libere tutatus, verum etiam iudicio certo et quasi immortalis vestrum erga ipsum singularem amorem perspicue declaraverit.

*Et paulo post.*

Quid autem tanto viro dignum proferri possit, qui tot et tantis periculorum exantlatis laboribus, redditur tandem vobis incolumis, non beneficio nostri tantummodo, verum etiam totius concilii iudicio talis declaratus? Siquidem hoc sibi divinitus concessum esse decrevit, quod nimirum in tanti viri cognitionem venire potuerit.

Τί ἂν τις εἶποι κατ' ἀξίαν τοῦ τοσοῦτου ἀνδρός, ὅς, κινδύνους τοσοῦτων θλίψεων νικήσας, ἀποδίδεται ὑμῖν ἀθῶος, οὐ παρ' ἡμῶν (sic enim cum interprete malim legere) μόνον, ἀλλὰ καὶ παρὰ πάσης τῆς συνόδου ἀποδειχθεὶς; Ubi simul etiam sibi ipsi de hoc gratulatur, "Ὅτι θεόθεν καὶ τοῦτο αὐτῷ συγχωρηθεῖσθαι συνέστηκεν, ὅπως εἰς γνῶσιν τοῦ τηλικούτου ἀνδρός ἐλθεῖν δεδύνηται.

*Constantinus junior Constantini M. F. imp. in epistola ad Alexandrinos.*

Ego episcopum vestrum Athanasium libenti animo complexus sum, et ita cum illo collocutus sum, ut vere Dei hominem esse mihi persuaserim.

Ἐγὼ τὸν ὑμέτερον ἐπίσκοπον Ἀθανάσιον ἀσμένως προσηγάμην, οὕτω τε προσεφειγξάμην, ὡς ἄνθρωπον αὐτὸν Θεοῦ δοῦτα πεπεισμένους.

*Joviani imperatoris epistola, Athanasii laudes continens, exstat infra, tom. II*

*D. Hieronymus in Scriptoribus ecclesiasticis.*

*Sophronius interpres Hieronymi.*

Athanasius Alexandriae urbis episcopus multas B Arianorum perpressus insidias, ad Constantem Galliarum principem fugit: unde reversus cum litteris, post mortem ejus rursus fugatus usque ad Joviani imperium latuit, a quo recepta Ecclesia, sub Valente moritur. Feruntur ejus adversus gentes libri duo, et contra Valentem et Ursacium unus, et de virginitate, et de persecutionibus Arianorum plurimi, et de Psalmorum titulis, et historia Antonii anachoretæ Vitam continens, et ἑορταστικά ἐπιστολά, et multa alia, quæ numerare longum est.

Ἀθανάσιος Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπος, πολλὰς παρὰ τῶν Ἀρειανῶν ὑπομεινας ἐπιβουλὰς, πρὸς Κωνσταντὰ τῶν Γαλλῶν βασιλέα προσέφυγεν· ὅθεν ἀναζεύξας μετὰ γραμμάτων, καὶ αὐθις μετὰ τὴν αὐτοῦ τελευτὴν διωχθεὶς, ἕως τῆς βασιλείας Ἰουλιανοῦ διέλαθε, καὶ ἀναλαβὼν τὴν Ἐκκλησίαν, ἐπὶ Οὐάλεντος τελευτᾷ. Φέρονται αὐτοῦ κατὰ τῶν ἐθνῶν λόγοι δύο, κατὰ Οὐάλεντος καὶ Οὐρσακίου εἰς, περὶ ἀρθηνείας, περὶ διωγμῶν Ἀρειανῶν πλείστοι, περὶ ἐπιγραφῆς ψαλμῶν, καὶ ἱστορία Ἀγτωνίου ἀναχωρήτου τὸν Βίον περιέχουσα, καὶ ἑορταστικά ἐπιστολά, καὶ πλείστα ἄλλα τινὰ, ἅπσο ἀπαριθμεῖσθαι ὀκνῶ.

*Rufinus, Ecclesiasticæ Hist. lib. 1, cap. 14.*

Igitur apud Alexandriam defuncto Alexandro Athanasius susceperat sedem. Quod vero esset vir acris ingenii, et in ecclesiasticis negotiis apprime vigilans, satis jam tunc hæreticis innotuerat, cum ad concilium Nicænum cum episcopo suo sene Alexandro venerat, cujus suggestionibus hæreticorum ludi ac fallaciæ vigilanter detegebantur.

*Joannes Cassianus, lib. vii De incarnat., cap. ult.*

Athanasius Alexandriae urbis sacerdos, eximium constantiæ et virtutis exemplum; quem hæreticæ persecutionis procella non contrivit, sed probavit: qui similem semper splendenti speculo vitam habens, prius pene indeptus est martyris meritum, quam confessoris caperet dignitatem.

*Vincentius Lirinensis, in Commonitorio, contra profanas hæresum novationes, cap. 42.*

Sunt ergo hi viri, quorum in illo (Ephesino 1) concilio, vel tanquam iudicum, vel tanquam testium scripta recitata sunt: S. Petrus Alexandrinus episcopus doctor præstantissimus, et martyr beatissimus, sanctus Athanasius ejusdem civitatis antistes, magister fidelissimus, et confessor eminentissimus.

*Cyrillus Alexandrinus in epist. ad presbyteros, diaconos, et Patres monachorum, quæ exstat in Actis synod. Ephes. 1, cap. 1.*

Enimvero percelebris memoriæ Pater Athanasius, qui totos quadraginta sex annos Alexandriae

Καὶ γοῦν ἐ τῆς ἀοιδίμου μνήμης Πατὴρ ἡμῶν Ἀθανάσιος, τῆς Ἀλεξανδρέων Ἐκκλησίας κατὰ κρι-

σηήσας τὸν θρόνον ἐφ' ὅλοις ἔτεσι τεσσαράκοντα καὶ ἕξ τὸν ἀριθμὸν, καὶ ταῖς τῶν ἀνοσιῶν αἰρετικῶν εὐρειολογίαις ἄμαχόν τινα καὶ ἀποστολικὴν ἀντιτάττων σύνασιν, καὶ οἷον εὐσομοτάτω μύρω τοῖς ἰδίοις συγγράμμασι κατευφραίνων τὴν ὑπ' οὐρανὸν, ἐπ' ὀρθότητι καὶ ἀκριβεῖα παρὰ πάντων μαρτυρεῖται.

31. Primum ergo nec parvum indicium est, hominum animam ratione præditam esse, quod a bellois, quæ rationis sunt expertes, differat. Siquidem idcirco belluas animalia irrationalia appellare natura consuevit, quia hominum genus rationale est. Deinde, nec illud etiam ad id probandum levi est momento, quod solus homo res absentes et extra se positas animo et cogitatione comprehendat, quod eadem secum sæpius examinet ac perpendat, idque quod inter ea, quæ cogitat, sibi melius visum fuerit, iudicio eligat. Nam belluæ sola præsentia cernunt, et ad ea tantum, quæ ante oculos sunt posita, impetu feruntur, etiamsi postea damnum aliquod sequatur. At homo non ita ad ea quæ videt, cum impetu rapitur : sed ratione et cogitatione ea, quæ oculis cernit, dijudicat. Itaque sæpe incitatus, ratione retinetur : et ea quæ cogitavit, iterum recogitat. Denique quisquis veritatis amator est, hominum mentem aliam omnino esse a corporis sensibus se in seipso sentire fatebitur. Quia ergo mens alia est a sensibus, sensuum ipsa iudex est, et quæ illi apprehenderint, ipsa discernit et reminiscitur, quidque melius fuerit, illis commonstrat. Namque oculorum est tantum videre : aurium, audire : oris, gustare : narium, olfacere : manuum, tangere ; sed quæ videre, audire, tangere, gustare et olfacere conveniat, non sensuum sed animæ ejusque mentis est dijudicare. Manus quidem gladium accipere, et os venenum gustare potest : sed hæc nocere nescit, nisi mens discernat. Ut autem rem aliqua comparatione et imagine illustremus, id no-

(86) Sic omnes mss. præter Felckm. 3 anon. qui, ut et editi, ἔστιν οὖν habet, sed mendose.

(87) Sic Seguer. Gobler. Felck. 1 an. Alii cum editis πλεόν.

(88) Felckm. 3 anon. ut et editi, καὶ omittit.

(89) Sic Seguer. Gobler. Basil. Anglic. Felckm. 1 et 2 anon. Alii, ut et editi, τῶν omittunt. Felckm. 3 anon. habet ἐν ὀφθαλμοῖς.

(90) Sic Seguer. Gobler. Felck. 1 anon. At alii cum editis κεκράτηκε.

(91) Sic omnes mss. Editi autem ἐκεῖνα.

(92) Τὸ in Seguer. Gobler. Felckm. 1 anon. lo-

gitur : in aliis et editis deest ; ibid. ante στόματος, καὶ deest in Gobler. Felckm. 1 anon. Paulo post ἀλλ' & habent omnes mss. Editi vero ὢν pro & habent : quod additum fuisse videtur, eo quod in aliquot mss. ex ἀλλ' & factum sit ἀλλά, ut forte in Felckm. 3 anon, in quo ὢν deesse notat Felckmannus, et in reliquis mss. leg. &. Seguer. vero habet ἀλλ' &.

(93) Particula καί, quæ in Seguer. Gobler. Felck. 1 anon. non est, in aliis ut et editis hic legitur. Τῆς etiam addit editio Commel. quæ vox similiter deest in Seguer. Gobler. Felckm. 1 anon.

bis simile videtur lyræ apte dispositæ, et musico qui ea cum arte utitur. Nam ut in lyra nervi singuli propriam sonum habent, alius gravem, acutam alius, alius medium, alius acutissimum, alius denique alium, quorum omnium concentus et compositio nisi a viro hujus artis perito distingui et discerni non potest; tunc enim suavem harmoniam et gratissimum concentum efficiunt, cum is, qui lyram tenet, nervos pulsat, et singulos apte tangit. Eodem modo, sensibus in corpore instar lyræ dispositis, cum perita mens illis præverit, tunc discernit et novit anima, quid faciat, quidve agat. Id autem hominum duntaxat est proprium, ipsaque est animæ facultas ratiocinandi, qua utendo differt illa a beluis, et se diversam esse ab exteriori corporis specie manifeste testatur. Hinc homo sæpe, jacente in terra corpore, cœlestia cogitat et contemplatur. Sæpe item nihil agente, quiescente et dormiente corpore, intus homo movetur resque extra se positas intuetur, remotas regiones **25** petit et peragrat, amicis notisque occurrit, nec raro per hæc, quid per diem acturus sit prænoscit et præsigit. Quid vero aliud id esse potest, quam anima rationis particeps, qua homo ea quæ supra se sunt cogitat et intelligit?

**32.** Sed et illud quoque ad penitus coercendam eorum impudentiam, qui animam ratione privant, addere juvat: Qui sit ut cum corpus natura mortale sit, homo de immortalitate cogitet, sæpeque mortem virtutis amore expetat? Qui sit ut, cum corpus per aliquod tantum temporis spatium duret, æterna homo meditetur, atque idcirco præsentia contemnat, et ad bona illa futura tendat desiderio? Certe ipsum corpus nihil tale de seipso, nec res extra se positas potest cogitare. Namque mortale est, nec nisi per aliquod tempus durat. Necesse est autem illud quod contraria naturæ corporis cogitet, aliud esse a corpore. Quidnam porro illud fuerit, nisi anima rationalis et immortalis? Nec enim foris sed intus ipsa corpori, ut musicus lyræ, quod melius congruerit, sonat. Enimvero quare cum oculus ad videndum natura aptus sit et auris ad audiendum, alia tamen refugiant, alia eligunt? Quis enim oculum a videndo avertit? vel quis aurem, cui naturalis est audiendi facultas, ab audiendo arcet? Quis gustum ad gustandum ex natura idoneum sæpe a naturali appetitu refrenat? Quis item manum ex natura ad agendum aptam ab aliquibus rebus tangendis

(94) Seguer. ἐκάστη μὲν ἔχει.

(95) Sic Seguer. Basil. Gobler. Felckm. 1 et 2 anon. Alii et editi, ὅτι. Ibid. τὴν λύραν non legitur in Anglie.

(96) Sic Seg. Basil. autem et Felckm. 2 an. ἀρμονίως. Editi et alii mss. ἀρμονίας.

(97) Seguer. μόνων.

(98) Seguer. Gobler. Felckm. 1 anon. τὰ φαινόμενα. In hisdem ἐν σώματι non legitur. Omnibus et Ambros. Camaldul. ita legerant ut hic habetur. Nannius legisse videtur ut in Seg. Gobler. Felckm. 1 anon., nam ita hunc locum reddidit, præter ea quæ

καλῶς κατεσκευασμένη, καὶ τῷ ταύτην κρατοῦντι μουσικῷ μετ' ἐπιστήμης. Ὡς γὰρ αἱ ἐν τῇ λύρᾳ νευραὶ ἑκασταὶ μὲν ἔχουσι (94) τὸν ἴδιον φθόγγον, ἡ μὲν βαρὺν, ἡ δὲ ὀξὺν, ἡ δὲ μέσον, ἡ δὲ ὀξύτονον· ἡ δὲ ἄλλον· ἀδιάκριτος δὲ ἐστὶν αὐτῶν ἡ ἀρμονία καὶ ἀδιάγνωστος ἡ σύνθεσις χωρὶς τοῦ ἐπιστήμονος· τότε γὰρ καὶ ἡ ἀρμονία αὐτῶν δεικνύται καὶ ἡ σύνταξις ὀρθή, ὅταν (95) ὁ κατέχων τὴν λύραν πλήξῃ τὰς νευράς, καὶ ἀρμωδῶς (96) ἐκάστης ἀφήται· τοῦτον τὸν τρόπον καὶ τῶν αἰσθησέων ἐν τῷ σώματι ὡς λύρας ἡρμοσμένων, ὅταν ὁ ἐπιστήμων νοῦς αὐτῶν ἡγεμονεύῃ· τότε καὶ διακρίνει ἡ ψυχή, καὶ οἶδεν ὃ ποιεῖ καὶ πράττει. Τοῦτο δὲ μόνον (97) ἴδιον ἀνθρώπων ἐστὶ, καὶ τοῦτό ἐστι· τὸ λογικὸν τῆς ψυχῆς τῶν ἀνθρώπων, ᾧ χρωμένη διαλλάττει τῶν ἀλόγων, καὶ δείκνυσιν, ὅτι ἀληθῶς ἄλλη παρὰ τὸ φαινόμενον (98) ἐστὶν ἐν σώματι. Πολλάκις γοῦν κειμένου τοῦ σώματος ἐπὶ γῆς, τὰ ἐν οὐρανοῖς φαντάζεται καὶ θεωρεῖ ὁ ἀνθρώπος· καὶ πολλάκις τοῦ σώματος ἡρεμοῦντος καὶ ἡσυχάζοντος καὶ καθεύδοντος, κινεῖται ἔνδον ὁ ἀνθρώπος, καὶ τὰ ἐξωθεν ἑαυτοῦ θεωρεῖ, χώρας ἀποδημιῶν καὶ περιπατῶν, καὶ ἀπαντῶν τοῖς γνωρίμοις, καὶ πολλάκις διὰ τούτων τὰς μεθ' ἡμέραν πράξεις ἑαυτοῦ μαντεύμενος καὶ προγινώσκων (99). Τοῦτο δὲ τί ἂν εἴη ἕτερον ἢ ψυχῆ λογικῆ, ἐν ἣ λογίζεται καὶ νοεῖ τὰ ὑπὲρ ἑαυτὸν ὁ ἀνθρώπος;

**32.** Καὶ τοῦτο δ' ἂν εἴη πρὸς ἀπόδειξιν ἀκριβοῦς ἐστὶ πρὸς ἀναίδειαν τῆς ἀλογίας τετραμμένους· Πῶς, τοῦ σώματος θνητοῦ κατὰ φύσιν ὄντος, λογίζεται ἀνθρώπος τὰ περὶ ἀθανασίας, καὶ πολλάκις ἑαυτῷ τὸν θάνατον ὑπὲρ ἀρετῆς προκαλεῖται (1); Ἡ πῶς, προσκαίρου τοῦ σώματος ὄντος, τὰ αἰώνια φαντάζεται ἀνθρώπος, ὥστε τῶν μὲν ἐμποδῶν καταρροεῖν, εἰς ἐκεῖνα δὲ τὸν πόνον ἔχειν; Τὸ μὲν οὖν σῶμα οὐκ ἂν ἑαυτὸ (2) περὶ ἑαυτοῦ τοιαῦτα λογίσθαι, καὶ οὐκ ἂν τὰ ἐξωθεν ἑαυτοῦ λογίζοιτο· θνητὸν γὰρ καὶ πρόσκαιρόν ἐστιν· ἀνάγκη δὲ ἕτερον εἶναι τὸ τὰ ἐναντία καὶ παρὰ τὴν φύσιν τοῦ σώματος λογιζόμενον. Τί οὖν ἂν εἴη τοῦτο πάλιν, ἢ ψυχῆ λογικῆ καὶ ἀθάνατος; Καὶ γὰρ οὐκ ἐξωθεν, ἀλλ' ἐνδοθεν αὕτη τῷ σώματι (3), ὡς ὁ μουσικὸς τῇ λύρᾳ, ἐνηχεῖ τὰ κρείττονα. Πῶς δὲ πάλιν κατὰ φύσιν ὢν ὁ ὀφθαλμὸς εἰς τὸ ὄραν, καὶ ἡ ἀκοή εἰς τὸ ἀκούειν, τὰ μὲν ἀποστρέφονται, τὰ δὲ αἰρούνται; Τίς γὰρ ὁ τὸν ὀφθαλμὸν τοῦ ὄραν ἀποστρέφων; ἢ τίς τὴν ἀκοήν κατὰ φύσιν οὔσαν ἀκουστικὴν ἀποκλείει τοῦ ἀκούειν; Ἡ τίς τὴν γεῦσιν, κατὰ φύσιν οὔσαν γευστικὴν, καλύει πολλάκις τῆς φυσικῆς ὀσμῆς; Τίς δὲ τὴν χεῖρα, κατὰ φύσιν οὔσαν εἰς τὸ ἐνεργεῖν ἐπέχει (4) τοῦ ψαύειν τινός; Τίς δὲ τὴν

oculis apparent.

(99) Gobler. Felckm. 1 anon. γινώσκων.

(1) Sic Seguer. Gobler. Felckm. 1 anon. Alii cum editis προσκαλεῖται. Paulo post ἐμποδῶν quod ita in Basil. scribitur, ultimam circumflexit in Seguer. Gobler. et Felckm. 1, 2 et 3 anonym. Anglie. autem ἐμποδῶν habet.

(2) Gobler. Felck. 1 anon., ἑαυτῷ, atque ita legit Omnibus, qui veritit sibi. Mox ibid. Gobler. Felckm. 1 anonymus, αὐτοῦ pro ἑαυτοῦ.

(3) Basil. τοῦ σώματος.

(4) Sic omnes mss. Editi vero, ὑπέχει.

δσφρησιν, καὶ αὐτὴν εἰς τὸ ὀμᾶσθαι γενομένην, ἀποστρέφει τοῦ μὴ ἀντιλαμβάνεσθαι; Τίς ὁ ταῦτα κατὰ τῶν φυσικῶν τοῦ σώματος ἐνεργῶν (5); "Ἡ πῶς τὸ σῶμα, τὴν φύσιν ἀποστραφέν, ἐπιστρέφεται πρὸς τὰς ἐτέρου συμβουλίας, καὶ πρὸς τὸ ἐκείνου νεῦμα ἠνιοχεῖται; Ταῦτα γὰρ οὐδὲν ἕτερον ἢ ψυχὴν λογικὴν ἀποδείκνυσιν ἡγεμονεύουσαν τοῦ σώματος. Οὐδὲ γὰρ ἑαυτὸ τὸ σῶμα πέφυκεν ἐλαύνειν, ἀλλ' ὕφ' ἐτέρου ἄγεται καὶ φέρεται, ὥσπερ οὐδὲ ἵππος ἑαυτὸν ὑποζεύγνυσιν, ἀλλ' ὑπὸ τοῦ κρατοῦντος ἐλαύνεται. Διὰ τοῦτο γοῦν καὶ νόμοι μὲν ἀνθρώποις τὰ καλὰ μὲν πράττειν, τὴν δὲ κακίαν ἀποστρέφεσθαι· τοῖς δὲ ἀλόγοις ἀλόγιστα τὰ κακὰ καὶ ἄκριτα μένει, ἅτε δὴ τῆς λογικότητος (6) καὶ τῆς κατὰ λόγον διανοίας ἐκτὸς τυγχάνουσιν. Εἶναι μὲν οὖν ψυχὴν λογικὴν ἐν ἀνθρώποις ἐκ τῶν προειρημένων, νομίζω δεδειχθαι.

33. Ὅτι δὲ καὶ ἀθάνατος γέγονεν ἡ ψυχὴ, καὶ τοῦτο ἀναγκαῖον εἶδέναι ἐν τῇ ἐκκλησιαστικῇ διδασκαλίᾳ πρὸς Ἐλεγγον τῆς τῶν εἰδώλων ἀναίρεσεως. Γένοιτο δ' ἂν οὖν ἡ περὶ τούτων γνώσις ἐγγυτέρω μᾶλλον ἐκ τῆς περὶ τοῦ σώματος γνώσεως, καὶ ἐκ τοῦ πρὸς τὸ σῶμα διαλλάττειν αὐτὴν. Εἰ γὰρ ἄλλην αὐτὴν (7) ὁ λόγος ἀπέδειξε παρὰ τὸ σῶμα, ἔστι δὲ τὸ σῶμα φύσει θνητὸν· ἀνάγκη τὴν ψυχὴν ἀθάνατον εἶναι, τῷ μὴ εἶναι κατὰ τὸ σῶμα. Καὶ πάλιν εἰ ἡ ψυχὴ τὸ σῶμα (8) κινεῖ, ὡς δέδεικται, καὶ οὐχ' ὑπὸ ἄλλων αὐτὴ κινεῖται, ἀκόλουθόν ἐστιν ὕφ' ἑαυτῆς κινουμένην τὴν ψυχὴν, καὶ μετὰ τὴν εἰς γῆν ἀπόθεσιν τοῦ σώματος κινεῖσθαι πάλιν αὐτὴν ἀφ' ἑαυτῆς (9). Οὐ γὰρ ἡ ψυχὴ ἐστὶν ἡ ἀποθνήσκουσα· ἀλλὰ διὰ τὴν ταύτης ἀναχωρησιν ἀποθνήσκει τὸ σῶμα. Εἰ μὲν οὖν καὶ αὐτὴ (10) ὑπὸ τοῦ σώματος ἐκινεῖτο, ἀκόλουθον ἦν, ἀναχωροῦντος τοῦ κινουμένου, ἀποθνήσκειν αὐτὴν· εἰ δὲ ἡ ψυχὴ κινεῖ καὶ τὸ σῶμα, ἀνάγκη μᾶλλον αὐτὴν ἑαυτὴν κινεῖν. Ἐαυτῇ δὲ κινουμένη, ἐξ ἀνάγκης καὶ μετὰ τὸν τοῦ σώματος (11) θάνατον ζῆ. Ἡ γὰρ κίνησις τῆς ψυχῆς οὐδὲν ἕτερον ἐστὶν ἢ ἡ ζωὴ αὐτῆς· ὥσπερ ἀμέλει καὶ τὸ σῶμα τότε ζῆν λέγομεν, ὅτε κινεῖται, καὶ τότε θάνατον αὐτοῦ εἶναι, ὅτε τῆς κινήσεως παύεται. Τοῦτο δὲ καὶ ἀπὸ τῆς ἐν σώματι καθάπαξ ἐνεργείας αὐτῆς φανερώτερον ἂν τις ἴδοι. Εἰ γὰρ καὶ ὅτε τὸ σῶμα ἐπιβέβηκε καὶ συνδέεται (12) τούτῳ, οὐ κατὰ τὴν τοῦ σώματος σμικρότητα συστέλλεται καὶ συμμετρεῖται, ἀλλὰ πολλάκις, ἐπὶ κλίνης τούτου κειμένου καὶ μὴ κινουμένου (13), ἀλλ' ὡς ἐν θανάτῳ κοιμημένου, αὐτὴ κατὰ τὴν ἑαυτῆς δύναμιν γρηγορεῖ, καὶ ὑπερκαθαίνει τὴν τοῦ σώματος φύσιν· καὶ ὥσπερ ἀποδημοῦσα τούτου, μένουσα ἐν τῷ σώματι, τὰ ὑπὲρ γῆν φαντάζεται καὶ θεωρεῖ, πολλάκις δὲ καὶ τοῖς ἔξω τῶν γῆινων σωμάτων ἁγίοις καὶ ἀγγέλοις (14) συναν-

(5) Sic Seguer. Basil. Anglic. Felckm. 2 anon. Alii cum editis, ἐνεργῶν.

(6) Felckm. 3 anon., λογικότητος.

(7) Hanc vocem αὐτὴν habent Seguer. Gobler. Felckm. 1 anon. Cæteri omittunt.

(8) Totum id argumentum ex Platone sumptum est, quo multi post illum usi sunt ad probandum animam esse immortalem. Videtis ipsum Platonem in *Phædro*, et lib. *x De legibus*, ubi animam debent, τὴν δυναμένην αὐτὴν αὐτὴν κινεῖν κίνησιν, id est, id quod seipsum movere potest.

(9) Gobler. Felckm. 1 anon., ὕφ' ἑαυτοῦ, male.

PATROL. GR. XXV.

A cohibet? Quis odoratum ad odorandum factum ab odorando continet? Quis, inquam, ista omnia contra naturam corporis efficit? Qui sit ut corpus ab eo quod sibi naturale est, abhorreat, et alius consilium sequatur atque ad ejusdem nutum regatur? hæc sane omnia nihil aliud probant quam animam rationalem corpori præsidere. Nec enim seipsum corpus potest impellere, sed ab alio agitur et fertur, uti neque equus seipsum regit, sed ab equite regitur et agitur. Eam ob rem leges boni agendi et mali fugiendi hominibus datæ sunt. At belluæ nec expendere nec discernere mala queunt, utpote quæ ratiocinandi et cogitandi facultatis sint expertes. Itaque ex his quæ supra dicta sunt probatum fuisse arbitror homines anima rationali esse præditos.

33. Eandem vero immortalem quoque fuisse factam necesse est in ecclesiastica schola non ignorari, quo evidentius appareat idola plane esse deturbanda. Id porro facilius et propius, ex corporis cognitione, ejusque et animæ differentia percipere licebit. Enimvero si ut nostra oratione ostendimus, diversa illa est a corpore; cum corpus natura mortale sit, necesse est animam immortalem esse utpote quæ corpori non sit similis. Præterea, si anima corpus movet, ut ostensum est, nec ipsa ab aliis movetur, sequitur a seipsa moveri animam, atque etiam post corporis interitum eam iterum a seipsa moveri. Nec enim anima moritur, sed ejus discessu corpus moritur. Itaque si ipsa a corpore moveretur, recedente movente, necessario moreretur. Sed si anima **26** movet corpus, ipsam a seipsa moveri prorsus necesse est. Quia ergo ipsa seipsam movet, necessario sequitur etiam post corporis mortem vivere. Siquidem animæ motus nihil aliud est quam ejusdem vita: quemadmodum quoque corpus tunc vivere dicimus, cum movetur: et mortuum esse, cum moveri cessat. Id autem ex his quæ in corpore ipsa agit, clarius perspicitur. Namque si in corpore inclusa ac cum eo colligata, non pro corporis parvitate contrahitur et circumscribitur, sed sæpe in lecto jacente corpore, sine motu, ac veluti mortuo, ipsa propria sua facultate vigilat, naturamque corporis transcendit, et quasi ab eo digressa, quantum in ipso manens, ea quæ supra terram existunt cogitat et contemplatur: qui etiam sanctos a terreno corpore sejunctos, atque angelos non raro convenit, et ad illos mentis munditia fidens advolat: an non, quæso, multo magis soluta a corpore, cum placuerit Deo, qui eam colli-

(10) Gobler. Felckm. 1 anon., αὐτὴ. Paulo post eundem post κινεῖ, καὶ omittunt. eundem post κινεῖν seq. habent αὐτῇ. At Basil. Angl. Felck. 2 anon., αὐτῇ. Seguer., ἑαυτῇ. Editi, ἑαυτῇ.

(11) Seguer. Basil. Anglic., τῷ σώματι.

(12) Sic Seguer. Basil. Anglic. Gobler. et Felck. 1 et 2 an. Alii et ed. Commel., συνδέχεται.

(13) Καὶ μὴ κινουμένου desunt in Felckm. 3 an. et in Basil. recenti inanu addita fuere. Ibid. sic αὐτῇ scribitur in Segueriano.

(14) Καὶ ἀγγέλοις Anglic. omittit.

gavit, evidentiorē immortalitatis cognitionem est habitura? Si enim in corpore adhuc vinceta, vitam, quæ extra corpus est, vivit: multo magis post mortem corporis vivet, nec vivere desinet Dei beneficio, qui eam per suum Verbum Dominum nostrum Jesum Christum talem utique fecit. Idcirco enim immortalia et æterna cogitat et sapit, quia immortalis est. Namque ut mortalis corporis sensus nihil nisi mortale percipiunt: sic animam res immortales contemplantem et meditantem, immortalis quoque esse et semper vivere necesse est. Siquidem nunquam illam deserunt immortalitatis notiones et cogitationes, sed in ea ad immortalitatis securitatem instar fomitis constanter resident. Hinc ergo contemplationis Dei notionem et cogitationem habet, sibi que ipsi fit via, neque extrinsecus, sed ex seipsa Dei Verbi cognitionem et comprehensionem accipit.

ἔχει τὴν ἔννοιαν, καὶ αὐτὴ ἑαυτῆς γίνεται ὁδὸς, οὐκ ἔχει (15) γυνῶσιν καὶ κατάληψιν.

34. Itaque quod antea dictum fuit iterum dicimus, illos scilicet, quemadmodum Deum negaverunt, et res inanimas colunt, sic etiam animam rationis participem se non habere existimantes, hanc suæ insipientiæ poenam sponte sua luere, ut inter pecudes numerentur. Quare veluti inanissimi religionem in rebus inanissimis superstitiose constituentibus, miseratione profecto digni sunt et ductore opus habent. Si vero animam se habere putant, et de ratiocinandi facultate multum gloriantur, idque jure merito: cur tanquam anima carentes, contra rationem agere non verentur, nec ea quæ sapere oportet sapienti, sed seipsos Numine etiam præstantiores faciunt? Siquidem ipsi immortali anima, quam nec oculis videre possunt, præditi, Deum in rebus, quæ oculis videntur et caducæ sunt, figurant. Cur item quemadmodum a Deo recesserunt, ita rursus ad eundem non confugiunt? Namque ut Deum mente deseruere, et res quæ nullæ sunt deos effinxere, sic eadem suæ animæ mente ascendere et se iterum ad Deum possunt convertere. Possunt, inquam, si quas omnium cupiditatum sordes induerint, deponant, et tandiu abluant, donec quidquid alienum animæ accesserit abjecerint, eamque solam, qualis creata est, exhibuerint: ut hoc pacto Patris Verbum, ad cujus similitudinem ab initio facti sunt, in illa intueri valeant. Ad imaginem siquidem et similitudinem Dei facta et creata est anima, ut 27 et divina Scriptura indicat, quæ ex persona Dei ita loquitur: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* 18. Quocirca cum omnes peccati maculas, quibus aspersa fuerit, absterserit, et solam illam similitudinem puram

18 Genes. 1, 26.

(15) Basil. Anglic., περὶ τοῦ Θεοῦ.

(16) Seguer. Gobler. Felckm. 1 anon., σέβουσιν. Idem τὴν seq. non habent.

(17) Gobler. et Felckm. 1 anon., ἐπιμισθίαν, quo etiam modo legisse videntur Nannius et Ommibonus, qui hanc vocem vertunt, mercedem.

τῆ, καὶ πρὸς αὐτοὺς ἀφικνεῖται τῇ τοῦ νοῦ θαρρόουσα καθαρότητι· πῶς οὐχὶ μᾶλλον καὶ πολλῶ πλέον, ἀπολυθεῖσα τοῦ σώματος, ὅτε ὁ συνδήσας αὐτὴν βούλεται Θεὸς, φανερωτέραν ἔξει τὴν τῆς ἀθανασίας γυνῶσιν; Εἰ γὰρ καὶ συνθεθεῖσα σώματι τὴν ἐκτὸς τοῦ σώματος ζωὴν ἔξει, πολλῶ πλέον καὶ μετὰ θάνατον τοῦ σώματος ζήσεται, καὶ οὐ παύσεται τοῦ ζῆν διὰ τὸν οὕτως αὐτὴν ποιήσαντα Θεὸν διὰ τοῦ ἑαυτοῦ Λόγου, τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Διὰ τοῦτο γὰρ καὶ ἀθάνατα καὶ αἰώνια λογίζεται καὶ φρονεῖ, ἐπειδὴ καὶ ἀθάνατος ἔστι. Καὶ ὡσερ, τοῦ σώματος θνητοῦ τυγχάνοντος, θνητὰ καὶ αἰ τούτου θεωροῦσιν αἰσθησεις, οὕτως; ἀθάνατα θεωροῦσαν καὶ λογίζομένην τὴν ψυχὴν, ἀνάγκη καὶ αὐτὴν ἀθάνατον εἶναι καὶ αἰετὴ ζῆν. Αἱ γὰρ περὶ τῆς ἀθανασίας ἔννοιαι καὶ θεωρίαι οὐδέποτε αὐτὴν ἀφίπαισι μένουσαι ἐν αὐτῇ, καὶ ὡσερ ἔκκαυμα ἐν αὐτῇ γινόμεναι πρὸς ἀσφάλειαν τῆς ἀθανασίας. Διὰ τοῦτο γοῦν καὶ τῆς περὶ Θεοῦ θεωρίας ἔξωθεν, ἀλλ' ἐξ ἑαυτῆς λαμβάνουσα τὴν τοῦ Θεοῦ Λό-

34. Λέγομεν οὖν, καθάπερ εἴρηται πρότερον, ὡσερ τὸν Θεὸν ἠρήσαντο, καὶ ἀψύχα θρησκειοῦσιν (16), οὕτω καὶ τὴν ψυχὴν οὐκ ἔχειν λογικὴν νομίζοντες, αὐτὸθεν ἔχουσι τῆς παραφροσύνης τὴν ἐπιτιμίαν (17) ἐν ἀλόγοις καταριθμούμενοι· καὶ διὰ τοῦτο ὡς ἀψυχοὶ ἐν ἀψύχοις ἔχοντες τὴν δεισιδαιμονίαν, ἐλέους καὶ χειραγωγίας εἰσὶν ἄξιοι. Εἰ δὲ ψυχὴν ἀξιούσιν (18) ἔχειν, καὶ ἐπὶ τῷ λογικῷ μέγα φρονούσιν, εἰκότως τοῦτο ποιοῦντες· διὰ τί ὡς μὴ ἔχοντες ψυχὴν παρὰ λόγον τολμῶσι, καὶ οὐκ ἂν δεῖ φρονεῖν φρονούσιν, ἀλλὰ κρείττονας ἑαυτοῦς (19) καὶ τοῦ Θεοῦ ποιοῦσι; Ψυχὴν γὰρ ἀθάνατον ἔχοντες καὶ μὴ βλεπομένην αὐτοῖς, τὸν Θεὸν ἐν τοῖς βλεπομένοις καὶ θνητοῖς ἀπεικάζουσιν. Ἡ δὲ διὰ τί, ὡσερ ἀπεστῆσαν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, οὕτως οὐ καταφεύγουσι πάλιν πρὸς αὐτόν; Δύνανται γὰρ, ὡσερ ἀπεστράφησαν τῇ διανοίᾳ τὸν Θεὸν, καὶ τὰ οὐκ ὄντα ἀνεπλάσαντο εἰς θεοὺς, οὕτως ἀναθῆναι τῷ νῷ τῆς ψυχῆς, καὶ πάλιν ἐπιστρέψαι πρὸς τὸν Θεόν. Ἐπιστρέψαι δὲ δύνανται, ἐὰν ὄν ἐνεδύσαντο ῥύπον πάσης ἐπιθυμίας, ἀπόθωνται, καὶ τοσοῦτον ἀπονήψωνται, ἕως ἂν ἀπόθωνται πᾶν τὸ συμβεβηκὸς ἀλλότριον τῇ ψυχῇ, καὶ μόνην αὐτὴν (20) ὡσερ γέγονεν, ἀποδείξουσιν, ἐν οὕτως ἐν αὐτῇ θεωρήσαι τὸν τοῦ Πατρὸς Λόγον, καθ' ὃν καὶ γεγόνασιν ἐξ ἀρχῆς, δυνηθῶσι. Κατ' εἰκόνα γὰρ Θεοῦ πεποιήται, καὶ καθ' ὁμοίωσιν γέγονεν, ὡς καὶ ἡ θεία σημαίνει Γραφή ἐκ προσώπου τοῦ Θεοῦ λέγουσα· *Ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα καὶ καθ' ὁμοίωσιν ἡμετέραν*. Ὅθεν καὶ ὅτε πάντα τὸν ἐπιχυθέντα ῥύπον τῆς ἁμαρτίας ἀφ' ἑαυτῆς ἀποτίθεται, καὶ μόνον τὸ κατ' εἰκόνα καθαρὸν φυλάττει, εἰκότως, διαλαμπρυνθέντος τούτου, ὡς ἐν κατόπτρῳ θεωρεῖ τὴν εἰκόνα τοῦ Πατρὸς τὸν Λόγον, καὶ ἐν αὐτῷ τὸν

(18) Felckm. 2 anon., ἀγοῦσιν. Idem paulo post φρονούντες habet, ubi alii ποιοῦντες.

(19) Ἐαυτοῦς non est in Seguer. Gobler. et Felckm. 1 anon. Ibid. καὶ deest in Basil. et Anglic.

(20) Αὐτὴν abest a Felckm. 3 anonymo.

Πατέρα, οὗ καὶ ἔστιν εἰκὼν ὁ Σωτὴρ, λογίζεται. Ἡ Α εἰ (21) μὴ αὐτάρκης ἐστὶν ἢ παρὰ τῆς ψυχῆς διδασκαλία διὰ τὰ ἐπιθολοῦντα ταύτης ἔξωθεν τὸν νοῦν, καὶ μὴ ὄρῃν αὐτὴν τὸ κρεῖττον· ἀλλ' ἔστι πάλιν καὶ ἀπὸ τῶν φαινομένων τὴν περὶ τοῦ Θεοῦ γνῶσιν καταλαβεῖν, τῆς κτίσεως ὡσπερ γράμμασι διὰ τῆς τάξεως καὶ ἁρμονίας τὸν ἑαυτῆς δεσπότην καὶ ποιητὴν σημαίνουσης καὶ βούσης.

*bilibus Dei cognitionem haurire potest, quandoquidem res creatæ, admirabili ordine et concentu quo compositæ sunt, quibusdam veluti litteris, Dominum et Creatorem indicant et quasi voce prædicant.*

35. Ἀγαθὸς γὰρ οὖν καὶ φιλόανθρωπος ὁ Θεός, καὶ κηδόμενος τῶν ὑπ' αὐτοῦ γενομένων (22) ψυχῶν, ἐπειδὴ ἀόρατος καὶ ἀκατάληπτός ἐστι τὴν φύσιν, ἐπέκεινα πάσης γεννητῆς οὐσίας ὑπάρχων, καὶ διὰ τοῦτο ἔμελλε τὸ ἀνθρώπινον γένος ἀτυχεῖν τῆς περὶ αὐτοῦ γνώσεως, τῷ τὰ (23) μὲν ἐξ οὐκ ὄντων εἶναι, τὸν δὲ ἀγένητον· τούτου ἕνεκεν τὴν κτίσιν οὕτω διεκόσμησε τῷ ἑαυτοῦ Λόγῳ ὁ Θεός, ἵν', ἐπειδὴ τὴν φύσιν ἐστὶν ἀόρατος, κἂν ἐκ τῶν ἔργων γινώσκεσθαι δυναθῆ τοῖς ἀνθρώποις. Ἐκ γὰρ τῶν ἔργων πολλάκις ὁ τεχνίτης καὶ μὴ ὁρώμενος γινώσκεται· καὶ οἷόν τι λέγουσι περὶ τοῦ ἀγαματοποιοῦ Φειδίου, ὡς τὰ τουτου δημιουργήματα ἐκ τῆς συμμετρίας καὶ τῆς πρὸς ἀλλήλα τῶν μερῶν (24) ἀναλογίας ἐμφαίνειν καὶ μὴ παρόντα Φειδίαν τοῖς ὁρώσιν· οὕτω δεῖ νοεῖν ἐκ τῆς του κόσμου τάξεως τὸν τουτου ποιητὴν καὶ δημιουργὸν Θεόν, κἂν τοῖς του σώματος ὀφθαλμοῖς μὴ θεωρηταί (25). Οὐ γὰρ κατεχρήσατο τῇ ἀορατῷ φύσει αὐτοῦ ὁ Θεός· μὴ τις τουτου προφασίζέσθω· καὶ παντελῶς ἑαυτὸν ἔγνωστον τοῖς ἀνθρώποις ἀφήκεν· ἀλλ' ὡς προσέειπον, οὕτω διεκόσμησε τὴν κτίσιν, ὥστε καὶ μὴ ὁρώμενον αὐτὸν τῇ φύσει, ὁμῶς ἐκ τῶν ἔργων γινώσκεσθαι. Καὶ τουτου οὐ παρ' ἑμαυτοῦ φημι, ἀλλ' ἄφ' ὧν ἀπὸ (26) τῶν θεολόγων ἀνδρῶν ἔμαθον, ὧν εἷς ἐστὶν ὁ Παῦλος; Ῥωμαίοις μὲν γράφων οὕτω· *Τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται. Ἀυκᾶσι δὲ παρρησιαζόμενος καὶ λέγων· Καὶ ἡμεῖς ὁμοιοπαθεῖς ἐσμεν ὑμῖν ἄνθρωποι, εὐαγγελιζόμενοι ὑμᾶς ἀπὸ τῶν ματαίων ἐπιστρέφειν ἐπὶ Θεὸν ζῶντα, ὃς ἐποίησε τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν καὶ τὴν θάλασσαν, καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς, ὃς ἐν ταῖς παρρωχημέναις γενεαῖς εἴασε πάντα τὰ ἔθνη πορεύεσθαι ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν. Καίτοι γὰρ (27) οὐκ ἀμάτηρον ἑαυτὸν ἀφήκεν ἀγαθουργῶν, οὐρανόθεν ἡμῖν (28) ἔδοξεν ὑετοῦς καὶ καιροῦς καρποφόρους, ἐμπικλῶν τροφῆς καὶ εὐφροσύνης τὰς καρδίας*

<sup>19</sup> Rom. i, 20. <sup>20</sup> Act. xiv, 14-16.

(21) Anglicanus, ἢ δέ, forte pro et δέ. Idem paulo post περὶ habet pro παρὰ.

(22) Seguer., γενομένων. Paulo post idem et Basil. et Anglic. habent γεννητῆς. Alii, γεννητῆς.

(23) Basil. et Anglic. τῷ τόν. Anglic. ibid. habet ἀγένητον. Alii et editi, ἀγέννητον. Mox post Λόγῳ, ὁ Θεός non legitur in Gobler. et Felckm. 1 anonymo.

(24) Sic Seguer. Gobler. et Felckm. 1 anon. Alii et editio Commel., μελῶν. Ibid. mox Anglic., ἐμφαίνει.

(25) Sic Seguer. Alii autem cum editis, θεωρεῖται.

(26) Seguer. Basil. Angl. et Fel. 2 anon., παρὰ.

atque integram servaverit, merito in ea purgata ac splendescente, tanquam in speculo, Verbum imaginem Patris contemplabitur; et in Verbo Patrem, cujus et Salvator imago est, cogitatione comprehendet. Vel si ipsa per se anima hæc præstare jam non queat, cum ob ea quæ mentem extrinsecus turbant et inquinant, tum quia ipsa quid potius eligendum sit non videat: certe ex rebus aspectabilibus Dei cognitionem haurire potest, quandoquidem res creatæ, admirabili ordine et concentu quo compositæ sunt, quibusdam veluti litteris, Dominum et Creatorem indicant et quasi voce prædicant.

35. Bonus enim et clemens Deus, animarum quas creavit curam gerens, quia ejus naturæ est quæ videri et comprehendi nequeat, omnemque creatam substantiam transcendat, atque idcirco futurum erat ut humanum genus illius cognitionem non assequeretur, eo quod homo sit ex nihilo factus, et Deus sine ullo sit principio: eam ob rem naturam creatam suo Verbo tam apte composuit, ut quia ipse ex sui natura videri non potest, saltem ex operibus ab hominibus cognosci posset. Sæpe enim ex operibus artifex, etiamsi non videatur, cognoscitur: atque ut de statuaria Phidiam narrat, ejus nempe opera ex mutua partium inter se proportionem et dispositionem Phidiam licet absentem spectantibus exhibuisse; ita ex mundi constructione illius effector et opifex Deus intelligendus est, tametsi oculis corporis non aspicitur. Nec enim sua invisibili natura abusus est Deus (nemo id causetur), nec se hominibus plane ignotum reliquit: verum, ut modo dicebam, sic naturam creatam composuit, ut quamvis ipse ex natura sua videri non queat, ex operibus tamen cognoscat. Nec vero hæc a me ipso loquor, sed a viris theologis didici, inter quos est Paulus qui a Romanos ita scribit: *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* <sup>19</sup>. Idem quoque Lycaonius his verbis audacter docebat: *Et nos similes sumus vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum viventem, qui fecit cælum et terram, et mare et omnia quæ in eis sunt: qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. Et quidem non sine testimoniis semetipsum reliquit, beneficiens: de cælo nobis dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et lætitia corda nostra* <sup>20</sup>. Equis enim siderum positiones et circumvectiones, contrarias quidem ac dissimiles, sed in ipsa dissimilitudine

Gobler. Felckm. 1 anon., περὶ. Paulo post ante Παῦλος, ὁ ἀβστ a Gobler. Felckm. 1 anon. et μὲν seq. a Felckm. 2 anon.

(27) Sic Seguer. Gobler. et Fel. 1 anon., ut et legitur Act. xiv, 17. Alii cum editis particulam γὰρ omittunt.

(28) Sic Seguer. Gobl. Fel. 1 et 2 anon., ut et habetur eodem loco Act. Alii et ed. Commel. nec non ms. 1 Oxoniensis Novi Test. edit. Oxon. 1675, ὁμῶν. Paulo post Gobler. et Felckm. 1 anon. ζωῆς habent, ubi alii τροφῆς.

æqualem ordinem ab omnibus simul servatum intueri potest, quin secum cogitet hæc non a senet-ipsis sed ab alio, nempe ab auctore, administrari et regi? Quis solem die exoriri et lunam nocte apparere, immutabilique lege per æqualem omnino 28 dierum numerum decrescere et crescere, atque ex sideribus alia quidem discurrere cursusque varie immutare, alia vero inerrantia constantiter moveri aspiciens, non intelligat illa necessario ab opifice aliquo gubernari?

καὶ τῶν ἀστέρων τὰ μὲν διατρέγοντα καὶ ποικίλως νοούμενα, οὐκ ἂν ἔννοιαν λάβοι, ὅτι πάντως ἐστὶν ὁ κυβερνῶν αὐτὰ δημιουργός;

36. Quis contrarias naturas secum coniungi et consonam efficere harmoniam cernens, exempli gratia: quis ignem cum frigida natura conjunctum, et naturam siccam cum humida commistam videns, nec tamen sibi invicem resistere, sed unum quasi ex uno corpus consicere, non inde colligat alium ab his esse qui illa simul copulavit? Quis hiemem veri, ver æstati, æstatem autumno succedere observans, eaque quamvis contraria inter se sint natura (nam aliud refrigerat, aliud urit, aliud alit, aliud corrumpit et destruit), tamen omnino æqualem et securum sui usum hominibus præstare; quis, inquam, hinc non agnoscat aliquem esse his præstantiorem, qui æqualitatem omnibus præbeat, omniaque administret, etiamsi ille a nobis non videatur? Quis nubes per aerem ferri, et in nubibus pondus aquarum colligari considerans, non illum cogitet qui ista conjunxit et fieri jussit? Quis ipsam terram, quæ natura gravissima est aquis fundatam et immobilem super elementum natura mobile permanere conspiciens, non intelligat aliquem Deum esse qui hæc ita constituerit et fecerit? Quis annuos terræ fructus, pluvias e celo delapsas, annuum fluxiones, fontium scaturigines, animalium ex dissimilibus procreationes, hæcque non semper sed statutis temporibus fieri animadvertens: quis denique in tam dissimilibus et contrariis rebus æqualem et similem ab iisdem absolvi perficique ordinem attendens, non statim percipiat aliquam esse vim, quæ ipsa immobilis manens, illa ut sibi videtur disponat et regat? Siquidem nunquam illa propter naturarum discordiam per seipsa consistere vel etiam existere possent. Aqua enim natura gravis est et deorsum fluit: nubes contra leves et tenues sursum feruntur: et tamen nihilominus aquam graviolem in nubibus ferri videmus. Terra item gravissima est, et aqua levior est quam terra: attamen id quod gravius est ab eo quod levius est fertur, nec demergitur, sed stat terra immobilis. Si-

(20) Seguer. Gobler. Felckm. 1 anon., αὐτῶν, alii vero, ὁμῶν, forte pro ἡμῶν. Duo mss. Novi Test. ed. Oxon. 1675 habent ἡμῶν, ceteri ei editi, ἡμῶν.

(30) Gobier et Felckm. 1 anonymus, σωζομένων.

(31) Αὐτὰ deest in Felckm. 3 anon. Paulo post Seguer. Gobler. et Felckm. 1 anon. μέν addunt post ἡλίου, alii omittunt: iidem mox μεθ' ἡμέραν habent, alii καθ' ἡμέραν.

A ἡμῶν (29). Τίς γάρ, ὁρῶν τὸν οὐρανοῦ κύκλον καὶ τὸν δρόμον ἡλίου καὶ σελήνης, καὶ τῶν ἄλλων ἀστέρων τὰς θέσεις καὶ τὰς περιπολήσεις, ἐναντίας μὲν καὶ διαφόρους γιγνομένας, ἐν δὲ τῇ διαφορᾷ ὁμοίαν τὴν τάξιν παρὰ πάντων ὁμοῦ σωζομένην (30), οὐκ ἐνθυμεῖται, ὅτι οὐκ αὐτὰ ἑαυτὰ, ἀλλ' ἕτερός ἐστὶν ὁ διακοσμῶν αὐτὰ (31) ποιητής; Τίς δὲ, ὁρῶν ἡλίον μὲν ἀνατέλλοντα καθ' ἡμέραν, σελήνην δὲ φαίνουσαν κατὰ νύκτα, καὶ φθίνουσαν, καὶ πληρουμένην ἀπαρλλάκτως κατὰ τὸν τῶν ἡμερῶν ἴσον πάντως ἀριθμὸν, ἐναλλάττοντα (32) τοὺς δρόμους, τὰ δὲ ἀπλανῶς κυβερνῶν αὐτὰ δημιουργός;

B 36. Τίς, ὁρῶν τὰ ἐναντία τῇ φύσει συνημμένα, καὶ σύμζωνον ἔχοντα τὴν ἁρμονίαν, οἶον, τίς, ἰδίῳ πῦρ ψυχρῷ, καὶ ξηρὸν ὑγρῷ κεκραμμένον, καὶ ταῦτα μὴ ἀντιστατοῦντα πρὸς ἀλλήλα, ἀλλ' ἐν ἀποτελοῦντα ὡς ἐξ ἑνὸς τὸ σῶμα, οὐκ ἂν ἐνθυμηθεῖται ἕξωθεν εἶναι τούτων τὸν ταῦτα συνάψαντα (33); Τίς, ἰδὼν χειμῶνα παραχωροῦντα ἀέρι, καὶ ἕαρ θέρει, καὶ θέρος μετοπύρω, καὶ ὅτι ἐναντία ὄντα ταῦτα τῇ φύσει· τὸ μὲν γὰρ ψύχει, τὸ δὲ καίει, τὸ δὲ τρέφει, τὸ δὲ φθίνει· ὁμοῦ τὰ πάντα ἴσῃ καὶ ἀβλαβῆ τοῖς ἀνθρώποις ἀποτελοῦντα τὴν χρῆσιν· οὐκ ἂν ἐννοήσαιεν, ὅτι ἐστὶ τις κρείττων τούτων, ὁ τὴν ἰσότητά παρέχων πᾶσι καὶ κυβερνῶν τὰ πάντα, κἂν μὴ βλέπῃ τοῦτον; Τίς, ὁρῶν ἐν ἀέρι τὰς νεφέλας ὑποβασταζομένας, καὶ ἐν νεφέλαις τὴν τῶν ὑδάτων δεθεῖσαν βαρύτητα, οὐκ ἔννοιαν λαμβάνει τοῦ ταῦτα δῆσαντος καὶ προσταξάντος γενέσθαι; Ἡ τίς, ὁρῶν αὐτὴν τὴν γῆν βαρυτάτην οὔσαν τῇ φύσει, ἐπὶ τὸ ὕδωρ ἐδραστῆσαν καὶ ἀκίνητον μένουσαν ἐπὶ τὸ φύσει κινούμενον, οὐ διανοήσεται ἐνεῖναι τινὰ τὸν ταύτην (34) διαταξάμενον καὶ ποιήσαντα θεόν; Τίς, ἰδὼν τὴν κατὰ καιρὸν τῆς γῆς καρποφορίαν, καὶ οὐρανὸν ὑετούς, καὶ ποταμῶν ἐπιρροίας, καὶ πηγῶν ἀναβλύσεις, καὶ ζώων ἐξ ἀνομοίων γονάς, καὶ ταῦτα οὐκ ἀεὶ ἀλλὰ κατὰ καιροὺς ὠρισμένους γινόμενα· καὶ ὅλος τίς, κατανοήσας ἐν ἀνομοίοις καὶ ἐναντίοις τὴν ἴσῃ καὶ ὁμοίαν παρ' αὐτῶν ἀποτελουμένην τάξιν, οὐκ ἂν ἐνθυμηθεῖται, ὅτι ἐστὶ μία δύναμις ἡ ταῦτα διακοσμήσασα (35) καὶ διέπουσα, ὡς ἂν αὐτῇ δοκῆ, μένουσα καλῶς; Αὐτὰ μὲν γὰρ καθ' ἑαυτὰ οὐκ ἂν συσταῖ καὶ φανῆναι ποτε δυναθεῖ διὰ τὴν πρὸς ἀλλήλα τῆς φύσεως ἐναντιότητα. Τὸ μὲν γὰρ ὕδωρ φύσει βαρὺ καὶ κάτω βέον ἐστὶν, αἱ δὲ νεφέλαι κοῦφαι καὶ τῶν ἐλαφρῶν καὶ τῶν ἀνωφερῶν τυγχάνουσι· καὶ ὁμοῦ τὸ βαρύτερον ὕδωρ ὁρῶμεν ἐν ταῖς νεφέλαις βασταζόμενον. Καὶ πάλιν ἡ μὲν γῆ βαρυτάτη ἐστὶ, τὸ δ' αὖ πάλιν ὕδωρ κουφότερόν ἐστι ταύτης· καὶ ὁμοῦ ὑπὸ τῶν ἐλαφροτέρων τὸ βαρύτερον βαστάζεται, καὶ οὐ καταφέρεται, ἀλλ' ἔστηκεν ἀκίνητος ἡ γῆ. Καὶ τὸ μὲν ἄρβρον οὐ ταῦτόν ἐστι τῷ θῆλει, καὶ

(32) Felckm. III anonymus, διαλλάττοντα.

(33) Gobler. Felckm. 1 anon., γράψαντα. Mox ibid. Seguer. Gobler. Felckm. 1 anon., παραχωροῦντι. Paulo post, ὄντα deest in Basil. et Angl.

(34) Seguer., ταῦτα.

(35) Seguer. Gobler. Felckm. 1 anon., διακοσμησαμένη. Paulo post, Gobler. Felckm. 1 anon., ἕκαστῃ pro δοκῆ.

δμως εἰς ἓν συνάγεται, καὶ μία παρ' ἀμφοτέρων ἀπο-  
τελείται γένεσις τοῦ ὁμοίου ζώου. Καὶ συνελθόντι  
φάναι, τὸ ψυχρὸν τῷ θερμῷ ἐναντίον ἐστὶ, καὶ τὸ  
ὕγρὸν τῷ ξηρῷ μάχεται· καὶ δμως συνελθόντα (36)  
οὐ στασιάζει πρὸς ἑαυτὰ, ἀλλ' ἐξ ὁμοιοῦ ἐν σώμα  
καὶ τὴν πάντων γένεσιν ἀποτελοῦσιν.

37. Οὐκ ἂν οὖν μαχόμενα καὶ ἐναντία ὄντα τῇ  
φύσει ἑαυτὰ συνήγαγον, εἰ μὴ κρείττων ἦν καὶ κύριος  
ὁ συνήσας αὐτὰ, ᾧ καὶ αὐτὰ τὰ στοιχεῖα, ὡσπερ δοῦλα  
δεσπότη (37) ὑπακούοντα, εἶκει καὶ πεῖθεται· καὶ  
οὐκ, εἰς τὴν ἑαυτοῦ φύσιν ἕκαστον σκοποῦν, ἀντι-  
μάχεται πρὸς τὸ ἕτερον· ἀλλὰ τὸν συνήσαντα Κύ-  
ριον γινώσκοντα, ὁμόνοιαν ἔχουσι πρὸς ἑαυτὰ, φύσει  
μὲν ὄντα ἐναντία, τῇ δὲ τοῦ κυβερνωῦντος βουλήσει  
φιλιάζοντα. Ἐπεὶ εἰ μὴ κρείττονι προστάξει ἐγγό-  
ναι τούτων μία κρᾶσις, πῶς ἂν τὸ βαρὺ τῷ ἐλαφρῷ, ἢ  
τὸ ξηρὸν τῷ ὑγρῷ, ἢ τὸ περιφερὲς τῷ ὀρθῷ, ἢ τὸ πῦρ  
τῷ ψυχρῷ, ἢ ὄλιγος ἢ θάλασσα τῇ γῆ, ἢ ὁ ἥλιος τῇ  
σελήνῃ, ἢ τὰ ἄστρα τῷ οὐρανῷ, καὶ ὁ ἀήρ τὰς νεφέ-  
λαις ἐμίγη καὶ συνήλθεν, ἀνομοίου οὕσης τῆς ἐκάστου  
πρὸς τὸ ἕτερον φύσεως; Ἐμελλε γὰρ καὶ μεγάλη  
στάσις γίνεσθαι πρὸς αὐτὰ, τοῦ μὲν καλοντος, τοῦ  
δὲ ψύχοντος, καὶ τοῦ μὲν βαρέως κάτω, τοῦ δὲ κού-  
φου ἐκ τῶν ἐναντίων ἄνω ἔλκοντος, καὶ τοῦ μὲν  
ἡλίου φωτίζοντος, τοῦ δὲ ἀέρος σκοτίζοντος· καὶ γὰρ  
καὶ τὰ ἄστρα (38) ἐστασίασαν ἂν πρὸς ἑαυτὰ, ὅτι τὰ  
μὲν ἄνωτέρω, τὰ δὲ κατωτέρω τὴν θέσιν ἔχει· καὶ  
ἢ νῦν δὲ οὐκ ἂν παρεχώρησε τῇ ἡμέρᾳ, ἀλλὰ ἔμενεν  
ἂν πάντως μαχομένη πρὸς αὐτὴν καὶ στασιάζουσα. C  
Τούτων δὲ γιγνομένων, λοιπὸν ἦν ἰδεῖν οὐκέτι κόσμον  
ἀλλ' ἄκοσμον, οὐκέτι τάξιν ἀλλ' ἀταξίαν, οὐκέτι  
σύστασιν ἀλλ' ἀσύστατον τὸ ὅλον (39), οὐκέτι μέτρα  
ἀλλ' ἀμετρίαν. Τῇ γὰρ ἐκάστου στάσει καὶ μάχῃ ἢ  
πάντα ἀνηροῦντο, ἢ τὸ κρατοῦν (40) μόνον ἐφαίνετο.  
Καὶ τοῦτο πάλιν τὴν τοῦ παντὸς ἄκοσμίαν ἐδείκνυε.  
Μόνον γὰρ γενόμενον καὶ λειπόμενον τῇ τῶν ἄλλων  
χρεῖα, ἀνάρμιστον τὸ ὅλον ἐποίησε· ὡσπερ εἰ καὶ μό-  
νος ποῦς, καὶ μόνῃ χειρὶ ἀπομείνασα, οὐκ ἂν ἔσωσεν  
ὀλόκληρον τὸ σῶμα (41). Ποῖος γὰρ κόσμος ἦν, εἰ  
μόνος ἥλιος ἐφαίνεν, ἢ σελήνῃ μόνῃ περιεπόλει, ἢ  
νῦν μόνῃ ἦν, ἢ ἡμέρα ἀεὶ ἐτύγγανε; Ποῖα δὲ πάλιν  
ἦν ἁρμονία, εἰ μόνος ἦν ὁ οὐρανὸς χωρὶς τῶν ἄστρων,  
ἢ τὰ ἄστρα χωρὶς τοῦ οὐρανοῦ; Τί δὲ καὶ χρῆσιμον,  
εἰ μόνῃ θάλασσα ἦν, καὶ εἰ (42) μόνῃ γῆ χωρὶς ὕδα-  
των καὶ τῶν ἄλλων τῆς κτίσεως μερῶν ἔκειτο; πῶς  
δ' ἂν καὶ ἀνθρώπος ἐφάνη ἢ ὄλιγος ζῶων ἐπὶ γῆς, τῶν  
στοιχείων πρὸς ἑαυτὰ στασιάζοντων, καὶ ἐνὸς ὄντος  
τοῦ κρατοῦντος καὶ μὴ δυναμένου πρὸς τὴν τῶν σω-  
μάτων σύστασιν ἀρκεῖν; Οὐκ ἂν γὰρ ἐκ μόνου θερ-  
μοῦ, ἢ μόνου ψυχροῦ, ἢ μόνου ὑγροῦ, ἢ ξηροῦ συν-

A militer mas non idem est ac femina, simul tamen  
conjunguntur, ut una similis animalis procreatio ab  
utroque perficiatur. Denique ut uno verbo dicam,  
frigus calori contrarium est, humor siccitati; at  
nihilominus simul juncta non inter se dissident, sed  
ex concordia unum corpus atque omnium rerum  
procreationem absolvunt.

37. Non ergo res illæ, quæ inter se pugnant et  
contrariæ sunt, seipsas simul copularent, nisi ali-  
quis superior et dominus eas colligaret, cui et ipsa  
elementa, tanquam servi hero, tam prompte pa-  
rent, cedunt et obtemperant, ut nullum eorum pro-  
prium naturam spectans alteri adversetur: sed sin-  
gula Dominum colligantem agnoscentia, concordiam  
erga se servant, et quantumvis contraria sint natura,  
B gubernantis voluntate ineant amicitiam. Cæteròquin  
nisi potentiore imperio simul invicem commiscerentur,  
quomodo gravia cum levibus, sicca cum humidis,  
rotunda cum rectis, ignis cum frigore, vel mare cum  
terra, sol cum luna, astra cum cælo, aer cum nubibus  
sociari et coire possent, cum unumquodque dissimi-  
lem 29 ab alio naturam habeat? Gravissimam siqui-  
dem seditionem inter illa concitari necessæ esset, alio  
urente, refrigerante alio, quod grave est deorsum,  
illo quod leve est contra sursum contendente, sole  
illuminante, aere obscurante. Astra similiter inter  
se dissiderent, quippe quorum alia superius, alia  
inferius posita sint. Nox quoque diei non cederet,  
sed profecto cum illo assidue pugnaret et certaret,  
C His autem ita se habentibus, jam nullus ordo se-  
nihil nisi confusio in mundo videretur: nihil locum  
suum servaret, sed omnia perturbata forent: nihil  
consisteret, sed cuncta essent instabilia. Nullus de-  
nique modus vel mensura rerum posset esse. Vel  
enim singulorum seditione et pugna omnia destrue-  
rentur, vel fortius duntaxat remaneret; quod sane  
non minimam mundo deformitatem afferret. Nam-  
que istud unum relictum, aliorum utilitatibus de-  
stitutum, inconcinnum rerum universitatem redder-  
et: quemadmodum si solus pes vel sola manus su-  
peresset, non servaretur corporis integritas. Qualis  
enim mundus esset, si vel sol tantum appareret,  
vel sola luna circumferretur, aut sola nox esset,  
aut dies perpetuo duraret? Qualis esset harmonia,  
D si vel cæli sine stellis vel stellæ sine cælis essent?  
Quænam vero utilitas, si mare solum esset, vel si  
sola terra sine aquis aliisque naturæ partibus existe-  
ret? Quomodo, quæso, vel homo vel ullum animal  
in terris nasci posset, elementis inter se dissidenti-  
bus, quorum etsi unum superaret, tamen ad cor-  
pora constituenda satis esse non posset? Nihil enim

(36) Συνελθόντα non est in Gobler. et Felckm. 1  
anon. Basil. habet συνεισελθόντα.

(37) Sic Seguer. Anglic. Gobler. et Felckm. 1  
anon. Alii cum editis, δεσπότη.

(38) Gobler. et Felckm. 1 anon., οἱ ἀστέρες, et  
paulo post ἑαυτούς, et, ὅτι οἱ μὲν ἄνωτέρω, οἱ δὲ, εἰ,  
ἔχουσι.

(39) Τό ante ὅλον adiunt Seguer. et Anglic. Alii  
vero ut et editi omittunt.

(40) Sic Seguer. Anglic. At Gobler. et Felck. 1  
anon., κρατεῖν. Alii cum editis, κρατούμενον.

(41) Pro ὀλόκληρον τὸ σῶμα, Seguer. Gobler. et  
Felckm. 1 anon. habent ἐν ἄλλῳ τῇν τοῦ σώματος  
δόξαν. Interpretes nostram lectionem secuti sunt.  
Paulo post iidem Seguer. Gobler. et Felckm. 1  
anon. μόνον pro μόνος ante ἥλιος habent.

(42) Pro καὶ εἰ, Gobler. et Felckm. 1 anon. ha-  
bent ἢ.

vel ex solo calido elemento, vel ex solo frigido, vel ex solo humido aut sicco componi potuisset : sed omnia universe inordinata et incondita essent. Verum neque etiam illud quod dominari videretur, sine aliorum adminiculo posset existere, quippe quod nunc non nisi hoc pacto existat.

38. Quapropter cum non confusio sed ordo sit in universo : cum nihil in eo incondite et turbide, sed omnia concinne compositeque et quam aptissime cohæreant, necesse est Dominum qui illa una congregavit, constrinxit, et conciliavit, mente et cogitatione attingamus. Nam tametsi oculis non conspicitur, ex ordine tamen et concordia rerum contrariarum, earum moderator, rector et imperator intelligi facile potest. Etenim quemadmodum si civitatem ex multis et diversis hominibus, pusillis et magnis, divitibus et pauperibus, senibus et adolescentibus, viris et mulieribus compositam, præclare administrari et regi cerneremus, illosque qui eam componunt, tametsi diversos, concordantes tamen inter se esse, neque divites adversus pauperes, neque majores contra minores, aut juniores contra senes pugnare, sed omnes æqualiter pacem habere : si hæc, inquam, videremus, plane intelligeremus principis præsentiam hujus concordie causam esse, etiamsi eum oculis non intueremur. Enimvero ubi ordo non est sed confusio, argumento est nullum ibi moderatorem esse : at ordo, ducis et rectoris evidens signum est. Similiter cum in corpore membrorum inter se concordiam observamus, nec oculum auri adversari, nec manum cum pede dissidere, sed singula membra proprium officium absque seditione persolvere, inde concludimus necessario, 30 animam in corpore esse quæ illa regat, quamvis illam non videamus : ita ergo ex ordine et harmonia universitatis, Deum mundi gubernatorem cogitemus necesse est, eumque unam, non multos esse. Siquidem ipse dispositionis ordo, omniumque partium concors conspiratio non multos sed unum mundi ducem et moderatorem Verbum esse manifeste ostendit. Nam si plures mundo præessent, ordo ille servari non posset, sed omnia confusione et perturbatione plena essent, dum unusquisque omnia ad suum arbitrium traheret, et adversus alium pugnaret. Namque ut multos deos, nullos deos esse dicebamus : sic multos rectores, nullos rectores esse dicendum est. Cum enim alter alterius imperium everteret, nullus certe esset qui imperaret et dominaretur, nemo qui regeret et gubernaret. Ubi autem nullus rector est, illic necessario nullus ordo est, sed tantum confusio. Contra vero multorum et

(43) Sic Seguer. Gobler. et Felckm. 1 anonymus. Alii cum editis, ἄλλων.

(44) Seguer. solus hic addit αὐ. Paulo post Gobler. et Felckm. 1 anon. post ἀρρένων, τε addunt. Ibid. Seguer. Gobler. et Felck. 1 anon. θηλειῶν habent; cuius penultimam Gobler. et Felckm. 1 anon. acciunt.

(45) Forte ἐνοοῦμεν vel ἐνοοῦμεν.

(46) Seguer. solus post γὰρ, καὶ iterum addit. Idem et Goblerianus, ac Felckmanni 1 anon. post με-

ἄστη τι τῶν ὄλων (43) ἄλλ' ἦν ἄτακτα πάντα καὶ ἀσύνθετα καθόλου. 'Ἄλλ' οὐδ' ἂν αὐτὸ τὸ δοκοῦν κρατεῖν ἡδυνήθη ἂν συστήναι χωρὶς τῆς τῶν ἄλλων ἐπι-  
κουρίας· οὕτω γὰρ καὶ νῦν συνέστηεν.

38. Ἐπεὶ οὖν οὐκ ἀταξία ἀλλὰ τάξις ἐστὶν ἐν τῷ παντὶ, καὶ οὐκ ἀμετρία ἀλλὰ συμμετρία, καὶ οὐκ ἀκοσμία ἀλλὰ κόσμος καὶ κόσμου παναρμόνιος σύνταξις· ἀνάγκη λογίζεσθαι καὶ λαμβάνειν ἔννοιαν τοῦ ταῦτα συναγαγόντος καὶ συσφίγγαντος, καὶ συμφωνίαν ἐργαζομένου πρὸς αὐτὰ Δεσπότου. Κἄν γὰρ μὴ τοῖς ὀφθαλμοῖς ὁράται, ἀλλ' ἀπὸ τῆς τάξεως καὶ συμφωνίας τῶν ἐναντίων, ἐννοεῖν ἐστὶ τὸν τούτων ἄρχοντα καὶ κοσμητορά καὶ βασιλέα. Ὡσπερ γὰρ πόλιν ἐκ πολλῶν καὶ διαφόρων ἀνθρώπων συνεστῶσαν, μικρῶν καὶ μεγάλων, καὶ πλουσίων αὐ (44) καὶ πενήτων, καὶ πάλιν γερόντων καὶ νεωτέρων, καὶ ἀρρένων καὶ θηλειῶν, εἰ θεωρήσασιν εὐτάκτους οἰκουμένην, καὶ τοὺς ἐν αὐτῇ διαφόρους μὲν ὄντας, ὁμοιοῦντας δὲ πρὸς ἑαυτούς, καὶ μήτε τοὺς πλουσίους κατὰ τῶν πενήτων, μήτε τοὺς μεγάλους κατὰ τῶν μικρῶν, μήτε τοὺς νέους κατὰ τῶν γερόντων γιγνομένους, ἀλλὰ πάντας κατὰ τὴν ἰσομοίριαν εἰρηνεύοντας· εἰ ταῦτα βλέπομεν, πάντως ἐννοοῦμεν (45), ὅτι ἄρχοντος παρουσία τὴν ὁμόνοιαν πρυτανεύει, κἄν μὴ ὀρώμεν αὐτόν. Ἡ μὲν γὰρ ἀταξία ἀναρχίας ἐστὶ γνώρισμα· ἡ δὲ τάξις τὸν ἡγεμονεύοντα δείκνυσι. Καὶ γὰρ (46) καὶ τὴν ἐν τῷ σώματι τῶν μελῶν πρὸς ἑαυτὰ συμφωνίαν ὀρώντες, ὅτι οὐ μάγειαι ὁ ὀφθαλμὸς τῇ ἀκοῇ, οὐδὲ ἡ χεὶρ τῷ ποδὶ στασιάζει, ἀλλ' ἕκαστον τὴν ἰδίαν ἀποτελεῖ χρεῖαν ἀστασιάζως, ἐννοοῦμεν ἐκ τούτου πάντως εἶναι ψυχὴν ἐν τῷ σώματι τὴν τούτων ἡγεμονεύουσαν, κἄν μὴ βλέπωμεν αὐτήν (47). Οὕτως ἐν τῷ τοῦ παντὸς τάξει καὶ ἁρμονίᾳ τὸν τοῦ παντὸς ἡγεμόνα νοεῖν ἀνάγκη θεῶν, καὶ τοῦτον ἕνα καὶ οὐ πολλούς. Καὶ ἡ τάξις δὲ αὕτη τῆς διακοσμῆσεως, καὶ ἡ τῶν πάντων μεθ' ὁμοιοῦς ἁρμονία, οὐ πολλούς, ἀλλ' ἕνα τὸν αὐτῆς ἄρχοντα καὶ ἡγεμόνα δείκνυσι λόγον. Οὐκ ἂν γὰρ, εἴπερ ἦσαν πολλοὶ τῆς κτίσεως ἄρχοντες, ἐσώζετο τοιαύτη τάξις τῶν πάντων· ἀλλ' ἦν πάλιν ἄτακτα πάντα διὰ τοὺς πολλούς, ἔλκοντος ἑκάστου πρὸς τὴν ἑαυτοῦ βούλησιν τὰ (48) πάντα, καὶ μαχομένου πρὸς τὸν ἕτερον. Ὡσπερ γὰρ ἐλέγομεν τὴν πολυθεότητα ἀθεότητα εἶναι, οὕτως ἀνάγκη τὴν πολυαρχίαν ἀναρχίαν εἶναι. Ἐκάστου γὰρ τὴν τοῦ ἑτέρου ἀρχὴν ἀναιροῦντος, οὐδεὶς ἐφαίνετο λοιπὸν ὁ ἄρχων, ἀλλ' ἦν ἀναρχία παρὰ πάντιν. Ἐνθα δὲ μὴ ἐστὶν ἄρχων, ἐκεῖ πάντως ἀταξία γίνεται. Καὶ ἐμπάλιν ἡ τῶν πολλῶν καὶ διαφόρων μία τάξις καὶ ὁμόνοια ἕνα καὶ τὸν ἄρχοντα δείκνυσι. Καθάπερ γὰρ (49)

λῶν, πρὸς ἑαυτὰ ἀδδunt : alii cum editis omittunt.

(47) Hæc verba, ἐν τῷ σώματι τὴν τούτων ἡγεμονεύουσαν, κἄν μὴ βλέπωμεν αὐτήν, desunt in Felckm. 3 anon. Ibid. Gobler. et Felckm. 1 anon. βλέπομεν habent.

(48) Τὰ δεest in Basiliensi.

(49) Γὰρ hic addunt Seg. Gobl. et Felck. 1 anon. Alii cum editis omittunt. Ibid. Felckm. 3 anon., ἀκούων pro ἀκούει.



εἰ τις πόρρωθεν ἀκούει λύρας ἐκ πολλῶν καὶ διαφόρων νευρῶν (50) συγχειμένης, καὶ θαυμάζει τούτων τὴν ἁρμονίαν τῆς συμφωνίας, ὅτι μὴ μόνῃ (51) ἡ βαρεῖα τὸν ἦχον ἀποτελεῖ, μὴδὲ μόνῃ ἡ ὀξεῖα, μὴδὲ μόνῃ ἡ μέση, ἀλλὰ πᾶσαι κατὰ τὴν ἴσιν ἀντίστασιν ἀλλήλαις συνηχοῦσι· καὶ πάντως ἐκ τούτων ἐννοεῖ οὐχ ἑαυτὴν κινεῖν τὴν λύραν, ἀλλ' οὐδὲ ὑπὸ πολλῶν αὐτῆς τύπτεσθαι· ἵνα δὲ εἶναι μουσικόν, τὸν ἐκάστης νευρᾶς ἦχον πρὸς τὴν ἑναρμόνιον συμφωνίαν κεράσαντα τῇ ἐπιστήμῃ, κἂν μὴ τοῦτον βλέπῃ· οὕτω παναρμονίου οὐσίας τῆς τάξεως ἐν τῷ κόσμῳ παντὶ, καὶ μῆτε τῶν ἄνω πρὸς τὰ κάτω, μῆτε τῶν κάτω πρὸς τὰ ἄνω στασιαζόντων, ἀλλὰ μίξις τῶν πάντων ἀποτελουμένης τάξεως, ἵνα καὶ μὴ πολλοὺς νοεῖν ἀκλόουθόν ἐστι τὸν ἄρχοντα καὶ βασιλέα τῆς (52) πάσης κτίσεως, τὸν τῷ ἑαυτοῦ φωτὶ τὰ πάντα καταλάμποντα καὶ κινούντα.

39. Οὐδὲ γὰρ πολλοὺς εἶναι δεῖ νομίζειν τοὺς τῆς κτίσεως ἄρχοντας καὶ ποιητάς, ἀλλὰ πρὸς εὐσεβείαν ἀκριβῆ καὶ ἀλήθειαν ἵνα τὸν ταύτης δημιουργὸν πιστεύειν προσήκει· καὶ τοῦτο τῆς κτίσεως αὐτῆς ἐμφανῶς δεικνουούσης. Γνώρισμα γὰρ ἀσφαλές τοῦ ἵνα τὸν ποιητὴν εἶναι τοῦ παντός ἐστι τοῦτο, τὸ μὴ πολλοὺς ἀλλ' ἵνα εἶναι τὸν κόσμον. Ἔδει γὰρ, εἴπερ ἦσαν πολλοὶ θεοὶ, πολλοὺς εἶναι καὶ διαφόρους τοὺς κόσμους. Οὐτε γὰρ ἔπρεπε τοὺς πολλοὺς ἵνα κόσμον κατασκευάζειν, οὔτε τὸν ἵνα ὑπὸ πολλῶν ποιεῖσθαι διὰ τὰ ἐκ τούτων δεικνύμενα ἄτοπα. Πρῶτον μὲν ὅτι, εἰ ὑπὸ πολλῶν ὁ εἰς ἐγεγόνει κόσμος, ἀσθένεια τῶν ποιησάντων ἦν· ὅτι ἐκ πολλῶν ἐν ἔργον ἀπετέλεσθη· καὶ ἐκ τούτου γνώρισμα· οὐ τὸ τυχόν ἦν τῆς ἀτελοῦς ἐκαστου πρὸς τὸ ποιεῖν ἐπιστήμης. Εἰ γὰρ ἤρκει εἰς, οὐκ ἂν οἱ πολλοὶ τὴν ἀλλήλων ἀνεπλήρουν ἔλλειψιν. Ἐν θεῷ δὲ λέγειν εἶναι τι ἔλλειπὲς οὐ μόνον ἀσεβές, ἀλλὰ καὶ πέρα τῶν ἀθεμίτων ἐστὶ. Καὶ γὰρ καὶ τεχνίτην ἐν ἀνθρώποις οὐκ ἂν τις εἴποι τέλειον, ἀλλὰ ἀσθενῆ, εἰ μὴ μόνος, ἀλλὰ μετὰ πολλῶν ἐν ἀποτελοίῃ τὸ (55) ἔργον. Εἰ δὲ ἕκαστος μὲν ἰδύνατο τὸ ὅλον ἀποτελέσαι, οἱ πάντες δὲ εἰργάσαντο διὰ τὴν τοῦ γιγνομένου (54) κοινωνίαν· γελοῖον μὲν ἂν εἴη τὸ τοιοῦτον, εἰ (55) διὰ ὀξυς ἕκαστος εἰργάσατο· ἵνα μὴ ὡς ἀδύνατος ὑπονοηθῆ. Κενοδοξίαν δὲ πάλιν ἐν θεοῖς λέγειν τῶν ἀτοπωτάτων ἐστὶν. Ἐπειτα, εἰ ἕκαστος ἰκανὸς (56) ἦν πρὸς τὴν τοῦ ὅλου δημιουργίαν, τίς ἡ χρεία τῶν πολλῶν, ἐνὸς αὐτάρκους γιγνομένου πρὸς τὸ πᾶν; ἄλλως τε ἀσεβές καὶ ἄτοπον ἂν φανεῖται, εἰ τὸ μὲν ποίημα ἐν τυγχάνει, οἱ δὲ ποιήσαντες διάφοροι καὶ πολλοὶ, λόγου ὄντος φυσικοῦ τὸ ἐν καὶ τέλειον τῶν διαφόρων κρεῖττον εἶναι. Καὶ τοῦτο δὲ ἰστέον, ὅτι, εἰ ὑπὸ πολλῶν ὁ κόσμος ἐγεγόνει, διαφό-

A diversorum unus ordo et consensus, unius rectoris certum indicium est. Quemadmodum enim si quis lyram ex multis et variis chordis compositam procul audierit, quarum concentum et harmoniam admiratur, quod scilicet non sola gravis, nec sola acuta aut sola media sonum efficiat, sed omnes pari velut contentione inter se consonent: ex his plane intelligit lyram non quidem a seipsa moveri, neque a multis pulsari, sed unum esse musicum qui singularum chordarum sonum ad concordem et perfectum concentum sua arte accommodet, quamvis illum minime videat. Ita cum in universo mundo quam aptissimus sit ordo, neque superiora adversus inferiora, vel inferiora adversus superiora dissideant, sed unum ordinem omnia efficiant, consequens sane fuerit ut non multos sed unum totius universi imperatorem et moderatorem, qui omnia suo lumine collustrat et moveat, esse intelligamus.

39. Nec enim putandum est multos esse naturæ rectores et effectores: sed unum illius opificem credere, germanæ pietatis et veritatis est, idque vel ipsa natura aperte declarat. Siquidem firmissimum illud argumentum est unum universi esse auctorem, quod scilicet non multi sed unus sit mundus. Nam si multi essent dii, multos et diversos mundos esse oporteret. Neque enim decet vel multos unum mundum construere, vel unum a multis ædificari: hinc enim non pauca absurda sequerentur. Primum si unus mundus a multis factus, esset, id auctorum imbecillitatem argueret, utpote cum a multis unum opus fuisset confectum: nec leve profecto id esset signum imperfectæ singulorum ad faciendum scientiæ. Enimvero si unus sufficiebat, non multi mutuum inopiam explerent. Atqui in Deo aliquid deesse, non solum dictum impium est, sed omne nefas superat. Quippe nec etiam inter homines perfectum artificem sed imbecillum appellaverimus, qui non solus sed cum multis unum opus absolverit. Quod si singulos mundum universum condere potuisset, sed omnes propter operis communitatem, mutuam operam contulisse dicitur: illud sane periculum fuerit, si gloriæ comparandæ causa singuli laboraverint, ne scilicet quis eorum impotens et infirmus haberetur. Inanem enim et vanam gloriam diis ascribere non nisi perabsurdum videri potest. Deinde, si singuli ad universi creationem idonei erant, quid multis opus fuit, cum unus ad omnia sufficeret? quod quidem præcipue impium et absurdum videbitur, si opus unum fuerit, auctores autem varii et multi; quippe cum ratio naturalis doceat unum et perfectum diversis multum præstare. Id etiam silendum

(50) Seguer. Gobler. et Felckm. 1 anon., χορδῶν.

(51) Sic Seguer. Alii cum editis μόνον. Paulo post pro μὴδὲ μόνῃ, in Gobler. et Felckm. 1 anon. legitur tantum ἢ.

(52) Τῆς abest a Basil. Ibid. τὰ ante πάντα habent Seguer. Angl. Gobl. et Felckm. 1 anon. Alii cum editis omittunt.

(53) Τὸ ante ἔργον habent Seguer. Angl. Gobler. et Felck. 1 anon. Sed alii et editi omittunt.

(54) Gobler. Felckm. 1 anon. et Angl., γενομένου.

(55) Particulam δὲ editi hic habebant, quæ abest a Seguer. Gobler. Angl. Basil. Felckm. 1 et 2 anon. nec eam legit Omnibonus. In aliis mss. legitur, eamque expriment Ambros. Camald. et Nauvius. Sed omitti debere ab sensu patet.

(56) Felckm. 3 anon., δυνατός. Paulo post Seguer, αὐτάρκως pro αὐτάρκους habet.

non est, si a multis factus est mundus, diversos et sibi ipsi dissimiles motus habuisse. Nam fieri non potuit quin ad singulos auctores respiciens varios motus habuerit. In illa autem varietate, ut supra dictum est, nullum rursus ordo in mundo servari posset, sed confusa et perturbata omnia forent. Nam nec navis a multis gubernata recto cursu ferri potest, nisi ejus clavum unus gubernator tenuerit : nec lyra a multis pulsata perfectum concentum efficiet, nisi musicus unus eam percusserit. Quare cum una sit creata natura, et mundus unus ac unus illius ordo : unum quoque ejus rectorem et opificem Dominum esse intelligendum est. Siquidem ea etiam de causa ipse opifex universum mundum unum fecit, ut ne multis constructis multi quoque opifices putarentur, sed ut opere uno existente, unus quoque ejus auctor esse crederetur. Nec tamen quia unus est effector, unus quoque est mundus. Nam alios etiam mundos Deus fabricari poterat. Sed quia unus est mundus qui creatus est, ejus quoque fabricatorem unum esse credere necesse est.

III. In priori parte primo occurrit epistola encyclica Alexandrinæ synodi ad omnes episcopos et ad Julium papam missa, qua Athanasius a calumniis Eusebianorum vindicatur. Eum nempe accusabant hæretici quod post suum ex Galliis reditum multarum cædium auctor fuisset, quod episcopatum Alexandrinum invasisset, furtimque ordinatus fuisset, quod frumentum alendis viduis destinatum, in proprium lucrum divertisset. Has omnes criminationes, necnon veteres illas, de Arsenii nece, etc., validissimis argumentis confutant Ægyptii episcopi, et una Pisti Ariani episcopi ordinationem paucis perstringunt. Hæc causa fuit hujus synodi cogendæ; quo autem anno ea celebrata et hæc epistola conscripta sit, non convenit inter auctores; quidam enim ad annum 339 referunt, alii vero ad 340 quibus libentius assentimur. Siquidem ex ipsa Julii epistola constat Athanasii et Alexandrinæ synodi legatos eo ipso anno 340 Romam concessisse, ac cum Eusebianis congressos, synodum una cum illis postulasse: quod in præcedenti encyclica epistola, anno 341 scripta, diserte testatur Athanasius; ait enim πέρσοι, id est anno præterito, fratres Romæ synodum postulasse. Porro verisimile omnino est synodum et ejus legationem in eundem annum cadere. Hæc sententia, alioqui probabilissima, extra dubium erit, si Socrati fides habeatur, qui Eusebii in sedem Constantinopolitanam intrusionem refert ad annum 340, post necem scilicet Constantini junioris. Cum enim hæc epistola illam Eusebii invasionem memoret, eam non ante annum 340 scriptam fuisse conspicuum erit. •

(62) Reg. σὺν ἡμῖν.

IV. Sequitur postea epistola Julii ad Eusebianos præsules qui Antiochiæ synodum celebrarant, quos objugat quod sibi proterve rescripsissent, et quod ad synodum quam ipsimet postulassent accedere renuissent : purgatque Athanasium a jamdiu objectis criminationibus, necnon Marcellum Ancyranum, Asclepani Gazensem, aliosque episcopos ab Eusebianis dire vexatos, quos a tota synodo ad communionem jure receptos ait. Sed complura in hac epistola habentur, quæ ingentes controversias apud nostri ævi scriptores excitarunt. Quæritur enim : quo anno Romana synodus sit celebrata, et hæc epistola conscripta : an synodi duæ Athanasii causa Romæ coactæ sint : an Athanasius post suum ex Galliis reditum his Romam petierit, et an octodecim menses, quos eum Romæ commoratum Julius testatur, ab ejus primo Romam adventu ducendi sint : quonam tempore Elpidius et Philoxenus presbyteri ab Julio pontifice ad Eusebianos Antiochiam missi sint. Omissis variis recentiorum sententiis, ex Athanasio ipso, a quo solo lux in tantis tenebris oriri queat, rectam historiæ seriem et temporum rationem statuere conabimur.

V. Presbyteros ab Athanasio et a synodo Alexandrina Romam missos cum Eusebii legatis coram Julio pontifice anno 340 congressos esse jam diximus, neque res in dubium verti posse videtur. Utrisque autem legatis id petentibus, synodus Romæ a summo pontifice indicitur, ut testatur Julius in hac epistola, num. 33. Eusebiani vero rerum a se improbe gestarum conscientia 95 exagitati, ut Romanæ synodi decretum præverterent, Antiochiæ conveniunt initio anni 341, ibique synodum celebrant, de qua pluribus in libro *De synodis* agemus ; hinc Gregorium Arianum militari manu stipatum Alexandriam episcopum mittunt, cujus furorem ut vitaret Athanasius, Romam se contulit, post festum Paschæ ejusdem anni 341. De duplici autem ejus Romam profectione ne verbum quidem apud Athanasium reperias, licet pluries ille de suo Romam adventu mentionem faciat et maxime in *Apologia ad Constantium*, ubi res a se tunc temporis gestas ordine recenset ; ut mirum sit eruditos viros, eum bis Romam venisse nulla cogente necessitate existimasse. Nec est quod Socratis testimonio moveamur, qui duplicem Athanasii Romam profectionem memorat : is enim tantam rebus hujusce temporis affert perturbationem, ut vix quidquam certi ex ejus Historia statui possit, quod infra pluribus demonstratur. Octodecim autem mensium, quos Athanasium Romæ versatum memorat Julius, initium rectissime ducitur ab ejus post Gregorii invasionem Romam adventu, ut ex sequentibus palam erit.

VI. Cum Romam advenisset Athanasius, Julius papa legatos misit Elpidium et Philoxenum presbyteros, ad Eusebianos Antiochiæ coactos, quibus diem dicebat ut sese ad synodum Romæ celebrandam conferrent, de rebus contra Athanasium gestis rationem reddituri. Porro legationem Elpidii et Philoxeni, post Gregorii intrusionem et post Athanasii Romam adventum factam esse, testatur ipse Athanasius in *Epistola ad solitarios*, non longe ab initio. Legati Julii, qui circa mensem Maium anni 341 Roma profecti sunt, ultra conditum diem ab Eusebianis detenti, mense tantum Januario anni 342 sunt dimissi. Quos media hieme profectos verisimile est diutius in itinere fuisse. Romam cum advenissent et Eusebianorum litteras arrogantis et querelarum plenas Julio obtulissent, Romanus pontifex, ne Patres ibi numero 50 coacti Eusebianorum proterviam ægre ferrent, litteras aliquantum temporis apud se servavit, ut ipse in epistola sua testatur, sperans ex Eusebianis quosdam tandem venturos esse et ad meliorem frugem se recepturos. Sed cum nullus accederet, litteras tandem Patribus eo congregatis aperuit. Hinc synodus, examinatis Athanasii, Marcelli, Asclepæ aliorumque episcoporum causis, eos nulli ex objectis criminibus obnoxios declaravit, et ad communionem admisit, Julioque episcopo curam reliquit Eusebianis rescribendi. Porro legatorum mora in tanto itinere adversa tempestate conficiendo ; haud modicum illud tempus quo litteras a legatis oblatas apud se Julius retinuit ; tempus item a synodo Romana insumptum in examinandis Athanasii aliorumque multorum causis, nos facile deducunt a mense Januario anni 342, quo legati Antiochia profecti sunt, ad Octobrem vel Novembrem ejusdem anni. Eoque pacto conficiuntur octodecim menses quos Athanasius Romæ commoratus est, nempe a mense circiter Maio anni 341, quo tempore eum illuc advenisse certum est, ad Octobrem vel Novembrem anni 342, quo Julius Eusebianis rescribens Athanasium per annum et dimidium Romæ commoratum testatur. Quæ item fuit Valesii sententia.

VII. Neque minus certum videtur unicam tantum pro Athanasii causa synodum Romæ coactam fuisse. Quam enim celebratam nonnulli volunt anno 340, postquam Macarius, Martyrius et Hesychnus ab Eusebio legati Romam venissent, nullam fuisse ex ipsis Julii verbis palam est. Objugat enim Julius Eusebianos, quod ad synodum Romanam accedere renuissent, quam ipsimet sui legati postulassent. De qua, quæso, synodo hic agit Julius, nisi de ea quam Eusebianis postulantiibus, ipse per legatos suos ad annum 341 indixerat, quæ ob Eusebianorum contumaciam ad 342 dilata est ? quod ex Julii verbis num. 30 liquido constat ; conqueritur enim ille quod Eusebiani judicium a se indictæ synodi prævertissent ; præverterunt autem, ut in confesso apud omnes est, in synodo Antiochena initio anni 341, quando Gregorium Alexandriam episcopum miserunt. Hinc palam est, synodum quam Julius anno 340 indixerat, non eodem, sed sequenti anno celebrandam fuisse, quæ tamen ob Eusebianorum proterviam ad annum 342 dilata est

Certe ne verbum quidem vel in epistola Julii vel apud Athanasium de illa priori synodo habetur. Ex prædictis autem liquet synodum Romanam bis indictam fuisse : primum anno 340, post Macarii et sociorum Eusebianorum legationem ; sed cum Eusebiani iudicium Romanæ synodi Antiochiæ antevertissent, ea ipsa tunc dilata fuit ; dehinc post Gregorii intrusionem iterum indicta, ac demum anno 342 celebrata, uti supra diximus.

VIII. Post Julii epistolam subsequitur Sardicensis synodi historia paucis enarrata : dehinc tres ejusdem synodi epistolæ. Prima ad clerum et populum Alexandrinum, quem de Athanasii innocentia in synodo comprobata certiore facit, monetque ut Athanasium cæterosque qui ejus causa exsularant redeuntes libenter recipiant. Secunda, hactenus inedita, ad episcopos Ægypti et Libyæ, quæ cum esset præcedenti simillima, ex manuscriptis pene omnibus exciderat, amanuensium nempe negligentia, qui etiam clausulas nonnullas quæ ad hanc pertinebant præcedenti adjecerant. Tertia et encyclica ad omnes episcopos, in qua narrantur calumniæ ab Eusebians Athanasio, Marcello, et Asclepæ impositæ : horum vero innocentia declaratur, Arianique episcopi damnantur et deponuntur. Tum sequuntur nomina episcoporum qui Sardicensi synodo subscripsere.

IX. Occurrunt deinde tres Constantii Augusti epistolæ ad Athanasium, quem hortatur ut se adeat, quo cum pace ad patriam et Ecclesiam suam transmittatur. Tum epistola Julii ad clerum et ad populum Alexandrinum, quibus de Athanasii reditu gratulatur. Hinc epistola encyclica Constantii Augusti ad omnes episcopos et presbyteros, qua declarat Athanasium patriæ et Ecclesiæ suæ restitutum et pristina qua olim cum clero suo fruebatur immunitate fuisse donatum. Altera item ejusdem Constantii ad populum Alexandrinum, quem hortatur ut redeuntem Athanasium libenti animo suscipiat. Tertia ejusdem ad Nestorium Ægypti præfectum, qua jubet omnia hactenus adversus Athanasium scripta deleri, ipsique ac clero ejus pristinam immunitatem restitui. Has excipit epistola synodi Hierosolymitanæ ipsi Athanasio transeunti tradita, ad episcopos Ægypti et Libyæ et ad clerum ac populum Alexandrinum, quibus de reditu Athanasii summopere gratulantur præsules illuc coacti. Demum epistola Ursacii et Valentis ad Julium papam, qua fatentur, quæcunque hactenus de Athanasio dixissent, meras fuisse calumnias, rogantque ut ad ejus communionem **96** admittantur. Tum altera eorundem ad Athanasium, quem rogant ut se ad pacem et ad communionem admittat. Et sic terminatur prima hujus *Apologiæ* pars.

X. In secunda parte, quo se jure merito absolutum et Ecclesiæ suæ restitutum demonstret, rem altius repetit et ab ipso Meletii schismate historiam orditur. Hinc ad Arianæ hæreseos ortum progressus de Nicæna synodo breviter agit, deque Eusebii cura ut Arius damnatus in Ecclesiam admitteretur. Quare Constantini ab ipso Eusebio circumventi epistolæ fragmentum affert, qua Athanasio exsili-um interminatur ni Arium cum suis recipiat. Postea calumnias enarrat ab Arianis et Meletianis adversum se structas, ac refert epistolam a Constantino Alexandrinis scriptam, qua ejusmodi criminationum auctores vehementer exagitat. Sequitur deinde historia Ischyre et Arsenii, tum rescriptum Ischyre, qui se fatetur a Meletianis coactum, ut mensam subversam et calicem confractum mentiretur.

XI. Subsequuntur quædam epistolæ. Prima, Pinnis monasterii Plemencyrceos presbyteri ad Joannem Meletianum, cui refert Arsenium apud se latentem ab Athanasii diacono deprehensum et Alexandriam deductum fuisse : monetque ut ne ultra Athanasium de Arsenio interempto audeat insimulare. Secunda, Constantini ad Athanasium, qua tantarum calumniarum auctores vehementer exagitantur. Tertia Arsenii ad Athanasium, quem rogat ut se ad communionem recipiat, seque nunquam cum schismaticis communicurum pollicetur. Quarta, Constantini ad Joannem Meletianum, quem hortatur ut se adeat, laudatque quod depositis altercationibus cum Athanasio jam communicaret. Has omnes in secunda parte relatas epistolas ab anno 325 ad 335 scriptas fuisse certum est ; sed unicuique suum tempus assignare non valemus.

XII. Narrat postea res in Tyriensi synodo gestas, ubi caluniæ de calice fracto deque Arsenii nece denique objectæ sunt. Ut probet autem Athanasius Ischyram nunquam presbyterum fuisse, atque adeo non potuisse, eo sacrificium offerente, mensam subverti calicemque confringi, ait eum ne a Meletio qui dem schismatico, nedum a legitimo episcopo, ordinatum fuisse. Profert deinde *Breviarium* Meletii, seu *Catalogum*, quem post Nicænam synodum Alexandro præsuli Alexandrino obtulit Meletius, in quo episcopos, presbyteros diaconosque a se ordinatos recenset, ubi nusquam comparet Ischyras. Post hæc agit Athanasius de legatione ad Mareoten, epistolasque profert hac de re conscriptas. Prima, cleri Alexandrini ad Theognium, Marim, Macedonium, Theodorum, Ursacium et Valentem legatos, apud quos de rebus contra jus fasque gestis conqueruntur. Secunda, cleri Mareotici ad synodum Tyriam, quæ eadem ipsa continet. Tertia, ejusdem Mareotici cleri ad Philagium, ejusdem argumenti. Quarta, episcoporum Ægypti qui Tyriensi synodo intererant ad reliquos in eadem synodo episcopos, ejusdem item argumenti

Quinta, hactenus inedita, eorundem ad Dionysium comitem, quæ quod præcedenti simillima esset ex compluribus mss. exciderat. Sexta, eorundem eadem de re ad Dionysium comitem. Septima, Alexandri Thessalonicensis ad eundem Dionysium, qua testatur se conspirationem adversus Athanasium structam deprehendisse. Octava Dionysii comitis ad Eusebianos, quos de litteris ab Alexandro Thessalonicensi ad se missis certiores facit.

XIII. Deinde ubi suam Tyro fugam enarravit, refert epistolam pseudosynodi Hierosolymitanæ, qua Arium a se ad communionem receptum testantur episcopi Eusebiani: utrum autem Arius hæresiarcha, vel alter Arius tunc ad communionem sit admissus, ibidem disputamus. Exinde, cum in mercedem sycophantiæ Eusebiani episcopatum Ischyre in quodam vico constituissent, epistolam subjicit Flavii Himerii Catholici ad exactorem Mareotes, cui curam Ecclesiæ pro Ischyra ædificandæ mandat. Hanc excipit epistola Constantini Magni ad episcopos Tyriensis synodi, quos accersit rerum a se contra Athanasium gestarum rationem reddituros. Hinc, paucis de suo in Gallias exsilio enarratis, refert ultimo epistolam Constantini Junioris, quam is in gratiam Athanasii ab exsilio redeuntis ad Alexandrinos misit. Demum paucis *Apologiam* suam claudit, quæ 36 vel epistolas vel alia monumenta complectitur.

XIV. Ex hac igitur *Apologia* velut ex purissimo fonte vera sæculi quarti historia ecclesiastica ab anno 300 usque ad 350 est haurienda. Siquidem Athanasius omnibus aliis hujus historiæ scriptoribus longe præcellit; tum quod ipse oculatus plerumque testis fuerit, tum quod accuratissime res gestas enarret, et ipsa monumenta, quibus nihil tutius, sæpe afferat. E contra vero alii auctores, Rufinus nempe, Socrates, Sozomenus et Theodoretus cautissime sunt adhibendi, nisi cum ipsi quoque rerum gestarum monumenta afferunt, quod rarius contingit. Nam præterquam quod interdum historias minus certas enarrant, res gestas sæpissime confundunt, tempora autem præpostere ordinant: exemplum hujus rei luculentissimum suppeditat Socrates, qui res in prima hujus *Apologiæ* parte comprehensas ita refert.

XV. Ait Gregorium ab Eusebians Syriani ducis et quinque millium militum præsidio fultum Alexandriam missum fuisse, eodemque Syriaco ecclesiam obsidente, Athanasium in media psallentium turba evasisse. Eusebium postea legationem Romam misisse, qua totum negotium Julio committeret; Eusebio tamen morte præoccupato hand licuisse tanti negotii finem videre. Dehinc Arianos, Gregorio ab Alexandrina sede amoto, ejus loco Georgium substituisse. Interim vero Athanasium, cum post multos labores Romam pervenisset, a Julio pontifice fuisse restitutum. Dehinc Athanasio Alexandriam ingrediente, Georgii Ariani sequaces seditionem excitasse. Post hæc Athanasium ab Arianis accusatum quod frumentum alendis pauperibus destinatum in suam rem divertisset, minas imperatoris veritum Romam aufugisse. Tum episcopos Ægypti pro Athanasio litteras Romam misisse. His ita narratis, vix tandem ad Sardicensis synodi historiam advenit, cui etiam multa præposuit decem post annis gesta.

XVI. In hac certe Socratis historia vix quidquam sanum reperire est: nam quæ de Syriano, de quinque militum millibus, deque ecclesia obsessa dicuntur, Georgii non autem Gregorii intrusionem spectant. Eusebii legationem perperam post Gregorii Alexandriam ingressum refert, cum eam antea contigisse testetur ipse Athanasius. Hinc Athanasii in sedem restitutionem quæ a Julio pontifice nunquam reapse facta est, ipse perperam enarrat. Nec magis vera sunt quæ de ingressu Athanasii Alexandriam, Georgio sedente, post hæc occurrunt. Quæ sequuntur autem de calumnia Arianorum, deque epistola Ægyptiorum præsulum ad Julium papam præpostere omnino recensentur. Hinc animadvertas quam caute scriptor ille sit adhibendus. Neque vero solus Socrates, sed etiam Theodoretus, multoque magis Rufinus et Sozomenus, res frequentissime vel secus quam 97 gestæ sunt, vel præpostere enarrant. Quod tamen absit ut ad horum auctorum contumeliam vergat. Vitium namque ætati potius quam scriptoribus est ascribendum: quippe non solebant illo ævo res tam intricatas tanto studio indagare, ac in primis temporum rationes negligebant.

XVII. Restat ut de historia a Rufino primum, dehinc ab aliis quibusdam relata aliquid disputemus: de muliercula scilicet ad Tyriensem synodum ab Arianis producta, quæ de illato stupro Athanasium accusavit. Quæ calumnia Timothei presbyteri se Athanasium esse simulantis solertia, elusa sit. Hanc, inquam, historiam admodum suspectam esse nemo eat inficias, quippe quæ nec apud Athanasium, qui plerumque res in synodo Tyriensi gestas, calumniasque adversum se structas memorat; nec in epistola synodi Alexandrinæ; nec in Julii papæ epistola; nec in Sardicensis synodi epistolis, in quibus tamen res Tyri gestæ fuse expenduntur, et quod maxime urgeat, ne in encyclica quidem Sardicensis synodi epistola, qua Ariani episcopi damnati et depositi nuntiantur, afferunturque hujus damnationis causæ; calumniæ scilicet adversus Athanasium structæ, cum aliis Arianorum sceleribus. Enimvero in mentem venire nequit, cur tam atrox sycophantia illic sit omissa. Nec dici potest eam ex artis Sardicensibus excidisse, cum testo-

tur Sozomenus illam suo ævo nusquam ibi comparuisse. Neque valet quod ipse ait, rem utpote turpem et ridiculam silentio prætermisam fuisse: quo turpior enim, eo magis ad synodi in deponendis ejus auctoribus æquitatem commonstrandam contulisset. Exstant sane permultæ apud Rufinum ejusmodi historiæ, admodum dubiæ fidei. Hæc autem ipsi Socrati qui Rufinum alias fere sequitur, suspecta fuisse videtur, quippe qui de illa ne verbum quidem fecerit. Hac de re etiam in Athanasii *Vita* actum est.

XVIII. Quædam de Marcelli causa supererant, sed res commodius in *Epistola ad solitarios* expenditur: ubi etiam de Paulo Constantinopolitano et de Lucio Adrianopolitano multa disputanda erunt.

## ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ

# ΑΘΑΝΑΣΙΟΥ

ΑΡΧΙΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑΣ

## ΑΠΟΛΟΓΗΤΙΚΟΣ ΚΑΤΑ ΑΡΕΙΑΝΩΝ (63).

### S. P. N. ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ

## APOLOGIA CONTRA ARIANOS.

1. Arbitrar equidem post tot argumenta pro nostra defensione allata, adversarios nostros præ verecundia sese abdituros, atque ex calumniarum suarum conscientia sese damnatos. At, quando ne ita convicti quidem erubescunt, sed ob mentis stuporem obtreccionibus nos impetunt, rati omnia dienuo in judicium vocanda fore; non ut ipsi judicentur, illud enim refugiunt, sed ut nos et sincerorum animas molestia afficiant; necessarium existimavi apud vos meipsum purgare, ne ultra illos obmurmurantes toleretis, imo potius eorum malignitatem et calumnias dignoscatis. Vobis siquidem sinceris hominibus rationem reddo: adversus litigiosos autem loquendi fiduciam mihi præbent argumenta quibus illi vincuntur. Enimvero quod ad nos spectat, judicio nullo opus est; judicatum enim jam est, non semel, neque bis, sed sæpenu-mero. Primum quidem in nostra provincia in unum coacta, ab episcopis prope centum. Secundo Romæ, cum post missas illuc ab Eusebio litteras, cum ipsi tum nos etiam in judicium vocati sumus, congregatique sunt ibi episcopi plus quinquaginta.

(63) Scripta anno circiter 350. — In titulo illud κατὰ Ἀρειανῶν deest in Regio, qui cum omnibus aliis tum editis tum mss. Ἀπολογητικὸς δεύτερος habet, sed perperam, cum nulla ante hanc apologia scripta sit, ut jam monuimus. Sed ideo vocatur secunda, quia post *Apolo-giam de fuga* in editis et in manuscriptis collocatur, quæ tamen non est ejus propria sedes, uti supra dictum est.

1. Ἐγὼ μὲν ἤμην μετὰ τὰς τοσαύτας ὑπὲρ ἡμῶν γενομένης ἀποδείξεις καταδέσθαι λοιπὸν τοὺς ἔθροους, καὶ μᾶλλον ἐκ τούτων καταγινώσκειν (64) ἑαυτῶν, ἐφ' οἷς καὶ τοὺς ἄλλους ἐσυκοφάντησαν· ἐπειδὴ δὲ οὐδ' οὕτω καταγινώσκοντες ἐρυθριῶσιν, ἀλλ' ὑπ' ἀναισθησίας ἔρπουσι ταῖς καταλαλιαῖς, νομίζοντες ἀνάδικα πάντα γίνεσθαι, οὐχ ἵνα χριθῶσι (φεύγουσι γάρ), ἀλλ' ἵν' ἡμᾶς καὶ τὰς ψυχὰς τῶν ἀκεραίων σκύλλωσιν, ἀναγκαῖον ἡγησάμην ὑμῖν ἀπολογηθῆσθαι, ἵνα μηκέτι μὲν αὐτῶν ἀνέχησθε (65) γογγυζόντων, καταγινώτε δὲ τῆς πονηρίας καὶ συκοφαντίας αὐτῶν. Ὑμῖν μὲν γὰρ τοῖς γνησίοις ἀπολογου-μαι· πρὸς δὲ τοὺς φιλονεικοῦντας παρρησιάζομαι τοῖς κατ' αὐτῶν ἐλέγχοις. Οὐκέτι γὰρ κρίσεως δεῖται τὰ κατ' ἡμᾶς· κέκριται γὰρ οὐχ ἅπαξ, οὐδὲ δεύτερον (66), ἀλλὰ καὶ πολλάκις· πρῶτον μὲν, ἐν τῇ ἡμετέρᾳ χώρᾳ συναγομένη ὑπὸ ἐπισκόπων ἐγγὺς ἑκατὸν· δεύτερον δὲ ἐν τῇ Ῥώμῃ, γραφάντος Εὐσεβίου, καὶ κληθέντων αὐτῶν τε καὶ ἡμῶν, καὶ συναχθέντων ἐπισκόπων, κάκει πλέον πεντήκοντα· καὶ τρίτον ἐν τῇ μεγάλῃ συνόδῳ τῇ ἐν Σαρδικῇ συναχθείσῃ κατὰ πρόσταξιν τῶν θεοφιλεστάτων βασιλέων Κωνσταντίου

(64) Vox καταγινώσκειν apud Athanasium, deprehendere, convincere, falsi arguere, imo damnare significat, sed pro condemnatione juridica vix apud eundem usuenit, sed prout damnare idem significat ac improbare.

(65) Reg. ἀνάσχησθε. Infra idem, τῆς συκοφαντίας.

(66) Reg. οὐ δεύτερον.

καὶ Κώνσταντος· ἐν ἧ καὶ οἱ καθ' ἡμῶν γενόμενοι καθηρέθησαν ὡς συκοφάνται, τοῖς τε κριθεῖσιν ὑπὲρ ἡμῶν συνεψηφίσαντο μὲν ἐπίσκοποι πλείους τριακοσίων (67), ἐξ ἐπαρχῶν Αἰγύπτου, Λιβύης, καὶ Πενταπόλεως, Παλαιστίνης, Ἀραβίας, Ἰσαυρίας, Κύπρου, Παμφυλίας, Λυκίας, Γαλατίας, Δακίας, Μυσίας, Θράκης, Δαρδανίας, Μακεδονίας, Ἠπείρων, Θεσσαλίας, Ἀχαΐας, Κρήτης, Δαλματίας, Σισκίας, Παννονίων, Νωρικοῦ, Ἰταλίας, Πικηνῶν, Τουσκίας, Καμπανίας, Καλαβρίας, Ἀπουλίας, Βρουττίας (68), Σικελίας, Ἀφρικῆς πάσης, Σαρδανίας, Σπανιῶν, Γαλλῶν, Βρετανιῶν. Ἐπεμαρτύρησαν δὲ τούτοις Οὐρσάκιος καὶ Οὐάλης, οἱ πρότερον μὲν διαβάλλοντες, ὕστερον δὲ μεταγνόντες· οὐ γὰρ μόνον ἀπεδέξαντο τὰ κριθέντα ὑπὲρ ἡμῶν, ἀλλὰ καὶ (69) συκοφάντας ἑαυτοὺς τε καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς καθ' ἡμῶν γενομένους ὠμολόγησαν. Οἱ γὰρ οὕτως μεταγνόντες καὶ οὕτως γράψαντες δῆλοι εἰσι καὶ τοὺς περὶ Εὐσέβιον ἐλέγχοντες, μετὰ γὰρ αὐτῶν κοινή τὴν καθ' ἡμῶν ἐμνησθήσαντο συσκευήν. Τὰ τοίνυν ὑπὸ τοσοῦτων (70) καὶ τηλικούτων ἐπισκόπων δοκιμασθέντα καὶ κριθέντα, ἀποδειχθέντα τε λευκῶς, περιττὸν εἶναι πάλιν ἀνακρίνεσθαι πᾶς ὁστισοῦν ὁμολογήσειεν, ἵνα μὴ, κἂν νῦν ἐξετασθῆ, πάλιν ἀνακριθῆ, καὶ αὖθις ἐξετασθῆ, καὶ οὕτως (71) εἰς ἀπέραντον τὰ τῶν περραζομένων γένηται

2. Ἦρκει μὲν γὰρ καὶ ἡ τῶν τοσοῦτων ἐπισκόπων ψῆφος δυσωπῆσαι τοὺς ἔτι κἂν προσποιεῖσθαι καθ' ἡμῶν βουλομένους· ὅτε δὲ καὶ ἔχθροὶ μαρτυροῦσιν ὑπὲρ ἡμῶν τε καὶ καθ' ἑαυτῶν, φάσκοντες τὰ καθ' ἡμῶν εἶναι συσκευη, τίς ἔτι λοιπὸν ἀμφιβάλλων οὐκ αἰσχύνεται; Τοῦ γὰρ νόμου κελεύοντος ἐπὶ στόματος δύο καὶ τριῶν μαρτύρων ἵστασθαι τὰς κρίσεις, ἰδοὺ τοσοῦτον πλῆθος ὑπὲρ ἡμῶν ἔστι μαρτύρων, ἔχον προσθήκην καὶ τὴν παρὰ τῶν ἐχθρῶν ἀποδείξιν· ὥστε καὶ τοὺς ὑπολειπομένους μηκέτι προσέγειν οἷς, ὡς ἠθέλησαν, ἐδίκασαν, ἀλλὰ βιάζεσθαι λοιπὸν, καὶ ἀντὶ τῶν εὐλόγων ἀδικεῖν τοὺς ἐλέγχοντας αὐτούς. Τοῦτο γὰρ αὐτοὺς μάλιστα λυπεῖ, ἐπειδή περ ἄπερ ἔκρυψαν αὐτοὶ πράξαντες, καὶ καθ' ἑαυτοὺς ἐν νεφέλῃ συνέθεντο, ταῦτα Οὐάλης (72) καὶ Οὐρσάκιος ἐξήγαγον, καὶ ἀπεκάλυψαν· καὶ ἴσασι ἀκριβῶς, ὡς ἡ τούτων μετάνοια κατακρίνει μὲν ἐκείνους, δικαιοὶ δὲ τοὺς ἀδικηθέντας παρ' αὐτῶν. Διὰ τοῦτο γοῦν καὶ ἐν τῇ κατὰ Σαρδικὴν συνόδῳ καθηρέθησαν, ὥσπερ ἔμπροσθεν εἶπον, καὶ εἰκότως γε· οὕτω γὰρ καὶ οἱ τότε Φαρισαῖοι, ἀπολογοῦμενοι ὑπὲρ τοῦ Παύλου, διήλεγγον τὴν ἑαυτῶν καὶ τῶν Ἰουδαίων κατ' αὐτοῦ γενομένην συνωμοσίαν· οὕτως ὁ μακάριος Δαβὶδ

(67) Ducenti octoginta quinque episcopi huic synodo subscripsisse dicuntur infra post subscriptiones Sardicenses, ubi res fusius expenditur. Paulo post, Ἀραβίας deerat in editis, sed legitur in Reg. Basil. et Felckm. 7 anon.

(68) Reg. Βριττίας. Paulo infra Reg. et Basil. ἐπεμαρτύρησαν, alii cum editis ἐμαρτύρησαν.

(69) In editis καὶ deest, nos ex Reg. supplementivus.

(70) Τὰ τοίνυν ὑπὸ τοσοῦτων. Sic Reg. et ita legit

A Tertio in magna synodo Sardice coacta, jussu religiosissimorum imperatorum Constantii et Constantis : ubi adversarii nostri quasi sycophantæ damnati depositique sunt. Iis vero quæ nostri gratia decreta fuerunt suffragati sunt plusquam trecenti episcopi, ex provinciis Ægypti, Libyæ, Pentapoleos, Palæstinæ, Arabiæ, Isauriæ, Cypri, Pamphylia, Lyciæ, Galatiæ, Daciæ, Mysiæ, Thraciæ, Dardaniæ, 98 Macedoniæ, Epirorum, Thessaliæ, Achaïæ, Cretæ, Dalmatiæ, Sisciæ, Pannoniarum, Norici, Italiæ, Piceni, Tuscis, Campaniæ, Calabriæ, Apuliæ, Bruttia, Sicilia, totius Africæ, Sardinia, Hispaniarum, Galliarum, Britanniarum. Horum sententiam testimonio suo comprobant Ursacius et Valens, qui antea quidem me calumniati fuerant, sed postea resipuerunt. Non solum enim quæ pro nobis decreta fuerant approbant ; sed etiam se cæterosque qui nobis adversarii fuerant sycophantas fuisse confessi sunt. Nam ii quos ita factorum pœnituit, et qui eo modo scripsere, Eusebium cum suis aperte arguunt, quibuscum conspirationem contra nos moliti fuerant. Quæ igitur a tot talibusque episcopis explorata, decreta ac liquido declarata sunt, supervacaneum esse in iudicium revocare nemo non fatebitur ; ne si nunc quoque examinetur, rursum postea iudicetur, ac res denuo in disquisitionem vocetur, et sic in infinitum inaniter inquirere procedatur.

2. Sat quidem essent tot episcoporum suffragia, ad confundendos eos qui etiamnum aliquid contra nos comminisci exoptant. Ubi vero ipsi adversarii pro nobis et contra seipsos testimonium ferunt, fatenturque quæ contra nos delata sunt esse conspirationem, quis postea hac de re vel ambigere non erubuerit? Lege enim iubente in ore duorum vel trium testium judicia constituenda esse, eccelsa testium pro nobis adest multitudo, cui ipsa inimicorum declaratio additamento est ; ita ut reliqui ex adversariis nihil ultra attendant iis quæ ipsimet pro libidine iudicaverunt, sed eodem compellantur ut, vice consentaneorum rationum, eos qui se convincunt injuriis afficiant. Illud enim ipsa maxime molestum est, quod quæ a se clam gesta et in angulo structa sunt, hæc Valens et Ursacius D palam fecerint ac revelarint : et apprime norunt se quidem illorum pœnitentia damnari, eos autem qui a se injuria affecti fuerant innoxios declarari. Idcirco in Sardicensi synodo depositi sunt, uti superior dixi, et jure quidem : nam sic olim Pharisei, dum Paulum defenderent, suam Judæorumque adversus illum conjurationem patefecerunt. Ita bea-

Nan. Basil. τὰ νῦν ὑπὸ τοσοῦτων. Editi vero τὰ νῦν περὶ τοσοῦτων. Quæ lectio τὰ νῦν, si genuina esset, novum argumentum suppeditaret ad probandum hanc Apologiam paulo post Sardicensem synodum fuisse scriptam, sed magis arridet Regii lectio.

(71) Ἐξετασθῆ, καὶ οὕτως. Hæc quæ in editis deerant ex mss. Reg. et Basil. mutuati sumus. In Basil. legitur αὖθις pro οὕτως.

(72) Reg. Βάλης.

tum David injuste persecutionem passum esse palam fuit, ubi ipse persecutor veritatem his verbis confessus est: *Peccarī, fili mi David*<sup>67</sup>. Sic et isii ab ipsa veritate devicti, veniam rogant, ac rescriptum hac de re Julio Romæ episcopo tradiderunt. Scripserunt autem et nobis postulantes ut pacem nobiscum haberent, qui tot tantaque de nobis per- vulgarant. Et quidem fortassis jam erubescunt; quia quos de medio tollere studuerant, hos Domini gratia superstites cernunt. Arium autem ejusque hæresim anathemate damnarunt, id consequenter agentes: cum enim scirent, ob nullam aliam causam nobis Eusebium cum suis insidias paravisse, quam ob suam impietatem; cum tandem statuissent calumniam adversum nos structam confiteri, statim Christo inimicam hæresim, cujus gratia ficta nobis crimina imposuerant, abnegarunt. Quæ autem ab episcopis pro nobis in diversis synodis scripta sunt; et primo quæ ab Ægyptiis, hæc sunt:

### 99 SANCTA SYNODUS

*Alexandriæ congregata ex Ægypto, Thebaide, Libya et Pentapoli, omnibus ubique Ecclesiæ catholicæ episcopis, dilectis ac desideratissimis fratribus in Domino, salutem.*

3. Poteramus quidem, dilecti fratres, etiam statim ab initio conflatae in Athanasium comministrum nostrum conspirationis, aut post ejus Alexandriam ingressum, crimina diluere quæ Eusebiani in illum malitiose confinxerant, ac cum illis de calamitatibus quas ipsi intulerant expostulare, necnon calumnias omnes adversus eum structas patefacere. Sed quia tunc temporis id negotia non permittebant, ut vos ipsi scitis: nunc vero post reditum Athanasii episcopi existimamus illos de tam apertis suis injustitiis pudore suffundi ac erubescere, idcirco silendum rati sumus. Cum vero post tantas viri calamitates, post ejus in Gallias profec- tionem, post vitam, relicta patria, apud extraneos ac peregre actam; postquam ob ipsorum calumnias vix mortem effugisset, nisi humanum nactus fuisset imperatorem; quibus sane inimicus quilibet quantumvis crudelissimus exsatiatus esset; illi tamen non erubescant, sed rursus in Ecclesiam et in Athanasium sæviant, ac illius liberationem ægre ferentes, atrociora denuo moliantur: promptique sint ad illum accusandum, nec timeant illud quod in sacris litteris scriptum est: *Testis falsus non erit impunitus*<sup>68</sup>, et, *Os quod mentitur, occidit animam*<sup>69</sup>; ideo silere ultra nequimus, admiramurque illorum malignitatem, ac insatiabilem in calumniis struendis contentionem. Ecce enim nullatenus cessant denuo

<sup>67</sup> I Reg. xxvi, 21. <sup>68</sup> Prov. xix, 5. <sup>69</sup> Sap. i, 11.

(73) Erasmus cum hujus *Apologiæ* initium huc usque vertisset, hæc ait: *Sequebantur hic diversæ diversorum epistolæ, episcoporum, synodorum et principum, de actis adversus Athanasium, quas quoniam et multæ erant et prolizæ, quædam etiam supposititiæ, piguit vertere.* Hinc cernas quam oscitanter ista pertractavit vir alioqui eruditissimus, qui

ἠδεδίχθη μάτην διωκόμενος, ὅπνικα ὁ διώκων ἠμολόγησε λέγων· Ἰμάρτων· τέκνον Δαβίδ· οὕτω καὶ οὗτοι νικηθέντες ὑπὸ τῆς ἀληθείας ἤξλωσαν, καὶ γράψαντες ἐπιθεδύσασιν Ἰουλίῳ τῷ ἐπισκόπῳ Ῥώμης. Ἐγράψαν δὲ καὶ ἡμῖν ἀξιούντες ἔχειν τὴν πρὸς ἡμᾶς εἰρήνην, οἱ τοσαῦτα θρυλλήσαντες· καὶ τάχα καὶ νῦν ἐρρυθριῶντες διότι οὐδὲ ἐζήτησαν ἀνελεῖν, τοῦτους τῇ χάριτι τοῦ Κυρίου ζῶντας ὁρῶσι. Καὶ Ἄρειον δὲ καὶ τὴν αἵρεσιν ἀνεθεμάτισαν, ἀκολούθως τοῦτο ποιοῦντες· εἰδότες γὰρ, ὡς δι' οὐδὲν ἕτερον οἱ περὶ Εὐσέβιον ἡμῖν ἐπεβούλευον ἢ διὰ τὴν ἰδίαν ἐαυτῶν ἀσέβειαν· ἅπας κρίναντες ὁμολογῆσαι τὴν καθ' ἡμῶν συκοφαντίαν, εὐθύς ἠρνήσαντο καὶ τὴν Χριστομάχον αἵρεσιν, δι' ἣν καὶ τὰ καθ' ἡμῶν ὑπεκρίναντο. Τὰ μὲν οὖν γραφέντα παρὰ τῶν ἐπισκόπων ὑπὲρ ἡμῶν κατὰ διαφόρους συνόδους, καὶ πρῶτα τὰ τῶν Αἰγυπτίων, ἔστι τάδε (73).

### Η ΑΓΙΑ ΣΥΝΟΔΟΣ

*Ἡ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ συναχθεῖσα ἀπὸ τε τῆς Αἰγύπτου, καὶ τῆς Θεβαίδος, καὶ Λιβύης, καὶ Πενταπόλειως, τοῖς ἀπανταχοῦ τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας ἐπισκόποις, ἀγαπητοῖς καὶ ποθεινοτάτοις ἀδελφοῖς ἐν Κυρίῳ, χαίρειν* (74).

3. Ἰδυνάμεθα μὲν, ἀγαπητοὶ ἀδελφοί, καὶ κατὰ τὴν ἀρχὴν ἅμα τῷ συσκευασθῆναι τὸν συλλειτουργῶν ἡμῶν Ἀθανάσιον, ἢ καὶ μετὰ τὸ εἰσελθεῖν αὐτὸν εἰς τὴν Ἀλεξάνδρειαν, ἀπολογησασθαι περὶ ὧν συνεσκευάσαντο αὐτῷ οἱ περὶ Εὐσέβιον, καὶ αἰτιάσασθαι περὶ ὧν πέπονθε παρ' αὐτῶν, καὶ δεῖξαι πάσας τὰς γεγενημένας (75) κατ' αὐτοῦ συκοφαντίας. Ἐπειδὴ δὲ τότε μὲν οὐκ ἐπέτρεπε τὰ πράγματα, ὡς ἴστε καὶ ὑμεῖς· νῦν δὲ νομίζομεν μετὰ τὴν ἐπάνοδον Ἀθανασίου τοῦ ἐπισκόπου δυσαπεισθαι, καὶ ἐρρυθρίαν αὐτοῦ ἐπὶ οὕτω φανεροῖς αὐτῶν ἀδικήμασι, τοῦτου ἕνεκεν σιγᾶν ἑαυτοῦς ἐπέισαμεν. Ἐπεὶ δὲ μετὰ (76) τὸ παθεῖν τοσαῦτα τὸν ἄνδρα, μετὰ τὴν εἰς Γαλλίαν ἀποδημίαν, μετὰ τὴν ἐπὶ ξένης ἀντὶ τῆς οἰκείας καὶ πορθρώσας διατριβῆν, μετὰ τὸ ὀλίγου δεῖν αὐτὸν ἀποθανεῖν ἐκ τῶν διαβολῶν αὐτῶν, εἰ μὴ βασιλέως ἔτυχε φιλανθρώπου, ἐφ' οἷς ἂν καὶ πᾶς ἐχθρὸς ἐχορέσθη κἄν τὴν θυμὸν ὠμότατος, οὐκ ἐρρυθρίωσιν, ἀλλὰ πάλιν ἐπινεανεύονται κατὰ τῆς Ἐκκλησίας καὶ τοῦ ἀνδρός (77), καὶ πρὸς τὴν ἀφῆσιν ἀγανακτοῦντες αὐτοῦ, χεῖροσιν ἐπιτολμῶσι δευτέροις· καὶ κατηγοροῦσι μὲν εὐχερῶς, οὐ φοβοῦνται δὲ τὸ ἐν ταῖς ἀγίαις Γραφαῖς γεγραμμένον· *Μάρτυς ψευδῆς οὐκ ἀτιμώρητος ἔσται, καὶ στόμα καταψευδόμενον ἀναρπεῖ ψυχὴν*· διὰ τοι τοῦτο οὐκέτι μὲν δυνάμεθα σιγᾶν, θαυμάζομεν δὲ τὴν πονηρίαν αὐτῶν καὶ τὴν ἀκόρεστον ἐπὶ συσκευαῖς φιλονεικίαν. Ἴδου γὰρ οὐ

egregia hæc et nunquam sat æstimanda monumenta eo usque neglexerit.

(74) Scripta anno 340.

(75) Sic Reg. et Basil. Editi vero, γεγενημένας.

(76) Reg., τότε δὲ μετὰ, perperam.

(77) Sic Reg. et Basil. Editi autem, τοῦ Ἀθανασίου.



παύονται πάλιν βασιλικὰς ἀκοὰς κινεῦντες καθ' ἡμῶν, οὐ παύονται γράφοντες ὀλέθρου γράμματα, πρὸς ἀναίρεσιν ἐπισκόπου τοῦ τῆς ἀσεβείας αὐτῶν ἐχθροῦ. Πάλιν γὰρ ἔγραψαν τοῖς βασιλεῦσι κατ' αὐτοῦ, πάλιν αὐτὸν συσκευάσασθαι βούλονται, σφαγὰς αἰτιώμενοι μὴ γενομένας· πάλιν αὐτὸν φονεῦσαι βούλονται (78), φόνους αἰτιώμενοι μὴ γενομένους· καὶ τότε γὰρ ἂν ἐφόνευσαν διαβάλλοντες, εἰ μὴ φιλανθρωποῦ βασιλέως ἐτύχομεν· πάλιν αὐτὸν, ἵνα τὸ ἔλαττον εἴπωμεν, ἐπ' ἐξοριστίαν (79) ἀπελθεῖν ἐπειγόνται, συμφορὰς ἐξοριστῶν ὡς παρ' αὐτοῦ γενομένων προσποιούμενοι θρηνεῖν. Καὶ θρηνοῦσι μὲν παρ' ἡμῖν τὰ μὴ γενομένα, οὐκ ἀρκοῦνται δὲ τοῖς γενομένοις κατ' αὐτοῦ· ἀλλὰ καὶ δευτέρα καὶ χεῖρονα (80) προσάψαι βούλονται, οὕτως εἰσι πρῶτοι καὶ φιλάνθρωποι, καὶ τὸν τρόπον ἐπιεικέως· μᾶλλον δὲ (εἰρήσεται γὰρ τάλῃ) πονηροὶ καὶ πικροὶ, καὶ ἐκ φόβων καὶ ἀπειλῶν, ἢ ἐξ εὐσεβείας καὶ ἐπιεικείας, ἃ τοῖς ἐπισκόποις πρέπει, τιμώμενοι. Οἷα γὰρ μὴδὲ τῶν ἔξω τις φιλοπραγμῶνων φθέγγεται, τοιαῦτα ῥήματα καταχέει τεταλμηχασίαν, ὣν πρὸς τοὺς βασιλέας ἔγραψαν. Καὶ τοσοῦτων φόνων καὶ σφαγῶν κατηγορήσαν οὐκ ἐπιηγέμενος, οὐκ ἐπ' ἄλλου τινὸς μείζονος, ἀλλ' ἐπὶ τῶν Αὐγούστων τῶν τριῶν· οὐδὲ πρὸς τὰ διαστήματα τῶν ὁδῶν ἀποκνήσαντες, μόνον ἵνα πάντα μείζονα δικαστήρια τῆς κατηγορίας αὐτῶν ἐμπλησθῇ. Κατηγορία γὰρ ἀληθῶς, ἀγαπητοί, τὰ παρ' αὐτῶν γενομένα, καὶ πασῶν ἀνωτάτω κατηγορία· ὅπου γε καὶ πάντων τῶν ἀνθρωπίνων ἀνωτάτω τὰ δικαστήρια. Τί γὰρ ἄλλο τέλος τῆς ἐπὶ τούτοις ἐξετάσεως, ἢ θάνατος ἐκ βασιλικῆς κινήσεως ἐπαγόμενος;

4. Οὐκοῦν οὐ τὰ παρὰ Ἀθανασίου, ἀλλὰ τὰ παρ' αὐτῶν γινόμενα, θρήνοι καὶ οἰμωγῆς ἄξια. Οὐκοῦν αὐτοὺς μᾶλλον ἂν τις δικαίως θρηνησείεν· ἐπὶ τούτοις γὰρ ὀδυρεσθαι χρὴ· ἐπεὶ καὶ γέγραπται· *Μὴ κλαίετε τὸν τεθνηκότα, μήτε θρηνεῖτε αὐτόν· κλαύσατε κλαυθμῶ τὸν ἐκπορευόμενον, ὅτι οὐκ ἐπιστρέψει ἔτι*. Πᾶσα γὰρ αὐτῶν ἢ ἐπιστολὴ οὐδὲν ἄλλο ἢ πρὸς θάνατον ὄρα· καὶ φονεύειν ἐπιχειροῦσιν, ἐὰν συγχωρῶνται, καὶ ποιεῖν ἐξοριστούς. Συνεχωρήθησαν γὰρ, τοῦ θεοφιλεστάτου πατρὸς τῶν βασιλέων, ἀντὶ θανάτου, τῇ μεταθέσει τοῦ τόπου τὸν θυμὸν αὐτῶν ἐκπλήσαντος. Ταῦτα γὰρ (81) ὅτι μὴδὲ ψιλῶν Χριστιανῶν ἔργα, σπανίως δὲ καὶ ἐθνικῶν, μήτι γε ἐπισκόπων, δοκούντων καὶ τοὺς ἄλλους τὰ δίκαια διδάσκειν, συνορᾶν ὑμῶν τὴν ἐν Χριστῷ συνειδησιν ἡγούμεθα· πῶς γὰρ οἱ τοὺς ἄλλους κωλύοντες κατηγορεῖν, αὐτοὶ κατηγοροὶ καὶ μέχρι βασιλέων γίνονται; πῶς οἱ συμφορὰς ἐλεεῖν διδάσκοντες, οὐδὲ μετὰ τὴν (82) ἐξοριστίαν ἡμῶν ἡσυχάζουσι; Κοινὸς γὰρ γέγονεν ἡμῶν τῶν ἐπισκόπων ὁμολογουμένως ἐξορισμὸς· καὶ πάντες ἑαυτοὺς ἐξοριστούς εἶχομεν, καὶ νῦν ὡς σὺν Ἀθανασίῳ ταῖς πατρῴσις ἀποδοθέντας, πάλιν

<sup>78</sup> Jerem. xii, 10.

(78) Reg., βουλευόνται. Editi, βούλονται.

(79) Sic Reg. et Basil. Editi vero, ἐπ' ἐξορίαν.

(80) In Reg. καὶ deest ante χεῖρονα.

A imperatoris aures adversum nos exasperare, nec desinunt sanguinarias litteras scribere, ut episcopum impietatis suæ inimicum de medio tollant. Nam rursus litteras adversus illum ad imperatores misere, rursus in illum conspirare volunt, homicidia ei obijcientes nunquam perpetrata; rursus illum occidere satagunt, credes illi imputantes, quæ nunquam factæ sunt. Tunc enim illum calumniis suis interfecissent, nisi humanum imperatorem nacti fuissetus: rursus illum, ut quod minus est referamus, in exsilium agere student, exsulum calamitates, quasi ipse earum auctor esset, se deflere simulantes. Et ea quidem deplorant quæ a nobis nunquam patrata sunt: nec tamen ipsis satis sunt, quas viro intulere calamitates; sed nova et atrociora iis addere exoptant, eoque mansueti sunt, humani et æquis moribus: imo potius, ut vere dicatur, improbi et immanes, qui terroribus et minis, magis quam pietate et æquitate, quæ episcopos decent, student honorari. Talia quippe verba in suis ad imperatores epistolis effari ausi sunt, qualia ne exterorum quispiam litigator locutus fuerit. Et tot cædium homicidiorumque eum accusarunt, non apud præsidem, nec apud aliquem illo superiorem; sed apud tres Augustos. Nec illos deterruere viarum longiitudines, eo solum ut omnia majora tribunalia criminacionibus suis implerent. Criminaciones enim revera sunt, dilecti nostri, quæ ipsi proferunt: imo gravissima omnium criminatio: quippe omnium humanorum suprema sunt illa tribunalia; quorsum enim ejusmodi disquisitiones, nisi ut quis a commoto imperatore morte mulctetur?

100 4. Itaque non Athanasii, sed illorum facta luctu ac gemitu digna sunt. Quapropter illos potius jure quis deplorarit; ipsos quippe deflere convenit, cum scriptum sit: *Nolite flere mortuum, neque lugeatis eum; sed plangite eum qui egreditur, quia non revertetur ultra*<sup>78</sup>. Tota enim illorum epistola nihil aliud quam necem spectat; ac si liceat, interficere, aut saltem exsules facere conantur, quod et a religiosissimo imperatorum patre impetrarunt, qui pro nece quam postulabant, ejus exsilio eorum iram satiavit. Hæc vel simpliciter Christianorum non esse, raro gentilium, nedum episcoporum, quibus incumbit justitiam alios edocere; vestram in Christo conscientiam perspicere arbitramur. Quomodo enim qui alios ab obrectando deterrent, ipsi obrectatores, etiam apud imperatores sese exhibeant? quomodo enim qui alienarum calamitatum misereri docent, ne post nostrum quidem exsilium quiescunt? Nam commune omnium nostrum episcoporum plane fuit exsilium: nosque universos quasi exsules reputavimus, et nunc nos cum Athanasio quasi patriæ restitutos arbitramur; ac loco priorum lacrymarum

(81) Reg., οὖν pro γάρ

(82) *Μετὰ τὴν*. Sic Reg. et Basil. et ita legendum, non ut editi κατὰ τὴν.

gemituumque quibus eum prosequeremur, magnam animi lætitiā gratiamque accepimus, quam Dominus conservavit, nec sinat eam ab Eusebianis everti. Ac licet quidem vera fuissent quæ illi obicere crimina, illud tamen culpa non vacaret, quod contra Christianorum statuta, etiam post exilii ærumnas, rursus eundem aggressi, illum de cædibus, homicidiis aliisque criminibus accusent, et hæc ad imperatorias aures adversus episcopos obloquentur. Jam cum nihil nisi mendacia, nihil nisi calumnias afferant, nec quidquam veri vel ore proferant, vel scripto tradant, quoniam maliitæ illi devenere? aut quales illos esse existimatis? Ipsas itaque res modo aggrediamur, ipsorumque calumniis jamjam objectis, occurramus. Hinc enim evincetur priora quæ illi in synodo et in judicio jactitarunt, nec recte gesta, nec vere dicta fuisse, et in his quoque quæ nunc obijciunt, mendacii convincentur.

5. Pudet nos certe ad hanc defensionem adducios esse: verum, quia temerarii nostri obrectatores ad omnia sese ingerunt; et post Athanasii reditum, cædes et homicidia facta esse insimulant, rogamus ut nostram apologiam, longiusculam licet, nam ita exigunt negotia, patienter audiat. Cædes nulla nec ab Athanasio, nec Athanasii causa perpetrata est (quandoquidem nos ad hanc turpem apologiam, uti supra diximus, accusatores impellunt); cædes vero et vincula ab ecclesiis nostris sunt aliena. Carnifici nullum Athanasius tradidit: et carcer, quantum in ipso fuit, nunquam commotus est. Sacrarum nostra, ut semper fuere, sic in præsentī pura sunt, solo Christi sanguine ejusque cultu ornata. Nullus presbyter, vel diaconus ab Athanasio interfectus est: nec cædem vir ille perpetravit, nec exilio quemquam multavit. Sed utinam illi nihil hujusmodi adversus eum perpetrassent, nec eum coegissent ad talia experiunda. Nullus enim hic ejus causa exsulavit, præter ipsum Athanasium Alexandriæ episcopum qui ab illis pulsus est, quem patriæ restitutum iisdem imo gravioribus criminibus implicare conantur, dum ad omnia vana et mortifera verba linguam suam concitant. Nam en illi deinceps judicium acta ascribunt: et cum in epistola sua palam fateantur præfectum Ægypti contra quosdam

**101** sententiam tulisse, nihil tamen erubescunt easdem sententias Athanasio imputare: tametsi cum hæc agerentur, nondum ille Alexandriam ingressus esset, sed adhuc ab exilio revertens, in Syria esset, si tamen opus sit longinquam peregrinationem pro defensione afferre, ut ne quis eorum rationes reddere debeat, quæ vel dux, vel præfectus Ægypti perpetrarint. Nam licet Alexandriæ fuisset Athanasius, quid ad eum, quæso, præfecti

ἀντὶ τῶν προτέρων ὀδυρμῶν ἐπ' αὐτῶ καὶ θρήνων μεγίστην (83) εὐθυμίαν ἀπολαβόντας καὶ χάριν, ἣν ὁ Κύριος διαφυλάξει, καὶ ἀνατρέψαι τοῖς περὶ Εὐσέθιον μὴ ἐπιτρέψῃ. Ταῦτα μὲν, εἰ καὶ ἀληθῆ ἦν ἡ κατηγοροῦν αὐτὸν, ἦν τινα κατηγορήματα, ὅτι παρὰ τὸ πρόσταγμα τοῦ Χριστιανισμοῦ, καὶ μετὰ τὸν τοῦ (84) πειρασμοῦ ἐξορισμὸν ἐπεμβαίνοντες πάλιν, φόνων καὶ σφαγῶν καὶ ἄλλων ἐγκλημάτων κατηγοροῦσι, καὶ βασιλικαῖς ἀκοαῖς ταῦτα κατὰ τῶν ἐπισκόπων ἐπηχοῦσιν. Ὅτε δὲ πάντα ψεύδονται, καὶ πάντα συκοφαντοῦσι, καὶ μὴ πρόσεστιν αὐτῶν ἀληθεια τοῖς τόμοις, μηδὲ τίς γράμμασι, ποσαπλοῦν τὸ κακὸν παρ' αὐτοῖς; Ἡ ποταποῦς εἶναι τοὺς ἀνθρώπους ὑπολαμβάνετε; Ἡδὲ τοίνυν ἐπ' αὐτὰ (85) χωρήσωμεν, καὶ πρὸς τὰς κατηγορίας αὐτῶν τὰς νῦν γινομένας ἀπαντήσωμεν. Καὶ γὰρ ἀπὸ τούτων οὐδὲ τὰ πρότερα παρ' αὐτῶν ἐπὶ συνόδῳ καὶ κρίσει θρυλούμενα, καλῶς πεπραγμένα, μᾶλλον δὲ οὐδὲ ἀληθῆ λεγόμενα ἐλεγχθήσεται, καὶ πάλιν ἐπὶ τούτοις καταγνωσθήσονται.

5. Δυσωπούμεθα μὲν οὖν περὶ τοιούτων ἀπολογούμενοι· πλὴν ἐπειδή περὶ πάντα ἑαυτοῦς οἱ προπετεῖς ἐπάγουσι κατήγοροι, καὶ μετὰ τὴν εἰσοδὸν Ἀθανασίου φόνους καὶ σφαγὰς αἰτιῶνται γεγενῆσθαι, παρακαλοῦμεν ἀνασχέσθαι τῆς ἀπολογίας, καὶ διὰ πλειόνων ἢ τὰ γὰρ πράγματα ἀναγκάζει. Φόνος μὲν οὐτε παρὰ Ἀθανασίου γέγονεν, οὐτε δι' αὐτὸν, ἐπειδὴ καὶ εἰς ταύτην ἡμῶς τὴν ἄδοξον ἀπολογίαν, ὡς προείπομεν, ἐμβιβάζουσιν οἱ κατήγοροι· σφαγὰ δὲ καὶ δεσμοὶ τῆς Ἐκκλησίας ἡμῶν ἀλλότρια· δημίῳ παραδέδωκεν Ἀθανάσιος οὐδένα· καὶ τὸ δεσμωτήριον, ὅσον ἐπ' αὐτῶ, οὐδεπώποτε ἐνοχληθὲν παρ' αὐτοῦ. Τὰ παρ' ἡμῶν ἱερατεία, ὡς περὶ ἀεὶ, καὶ νῦν καθαρὰ, μόνῳ σεμνυόμενα τῷ αἵματι τοῦ Χριστοῦ, καὶ τῆ εἰς αὐτὸν εὐσεβείᾳ. Οὐ πρῶτον, οὐ διάκονος ἀνῆρέθη παρὰ Ἀθανασίου, οὐ φόνος, οὐκ ἐξοριστὴν ἔδρασαν ὁ ἄνθρωπος. Ἄλλ' εἴθε μὴδὲ ἐκεῖνοι κατ' αὐτοῦ τοῦτ' ἔδρασαν ἀληθεῖα τὴν πείραν ἐπαγαγόντες. Οὐδεὶς γὰρ ἐξόριστος ἐνταῦθα γέγονε δι' αὐτὸν, πλὴν αὐτοῦ τοῦ ἐπισκόπου Ἀθανασίου (86) τῆς Ἀλεξανδρείας παρ' αὐτῶν, ὃν ἀφθέντα, καὶ πάλιν τοῖς αὐτοῖς ἢ καὶ χειροσὶ περιβάλλει ἐπιζητοῦσι, πάντα πρὸς ψεῦδῃ καὶ θανατηφόρα ῥήματα τὴν γλώτταν ἑαυτῶν ὀτρύνοντες. Ἴδού γὰρ λοιπὸν καὶ τὰς τῶν δικαστῶν πράξεις ἐπ' αὐτὸν μεταφέρουσι· καὶ τὸν μὲν ἔπαρχον τῆς Αἰγύπτου φανερώως ὁμολογοῦσιν ἐν τῇ ἐπιστολῇ κατὰ τινῶν ἀποπεφάνθαι· πάλιν δὲ οὐ δυσωποῦνται καὶ ταύτας τὰς ἀποφάσεις Ἀθανασίῳ προσάπτοντες· καὶ ταῦτα μηδέπω τῆς Ἀλεξανδρείας ἐπιβάντι, ἀλλ' ἐτι τῆς ὁδοῦ τῆς ἀπὸ τῆς ἐξοριστίας ἐχομένῳ, καὶ κατὰ τὴν Συρίαν ὄντι· εἴ γε δεῖ καὶ μακρὰν ἀποδημίαν εἰς ἀπολογίαν φέρειν, ὑπὲρ τοῦ μηδὲ ὑπεύθυνον εἶναι τινα, οἷς ἐὰν ἡγεμῶν ἢ ἐπαρχος Αἰγύπτου πράξῃ. Εἰ γὰρ καὶ ἐπὶ τῆς Ἀλεξανδρείας ἦν, τί πρὸς Ἀθανάσιον αἰ τοῦ ἐπαρ-

(83) Ita Reg. Editi vero, καὶ θρήνων ἐπ' αὐτῶ μεγίστην.

(84) Τοῦ δεστ in editis, sed in Reg. et Basil. legitur

(85) Sic Reg. et Basil. Editi vero ἐπ' αὐτὰ.

(86) Τῆς Ἀλεξ. Reg. τῆς in editis desideratur. Paulo infra idem Reg. ζητοῦσι, ubi editi ἐπαξήτοῦσι.

χου (87) πράξεις; Ἄλλ' ὅμως οὐδὲ ἐπεδήμει τοῖς τόποις· καὶ τὰ πραχθέντα οὐ διὰ προφάσεις ἐκκλησιαστικὰς πέπρακται παρὰ τὸ ἐπάργου τῆς Αἰγύπτου, ἀλλὰ διὰ τινὰς ἄς, ἐκ τῶν ὑπομνημάτων εἰσεσθε (88)· ἄπερ, μετὰ τὸ γυνῶναι τὰ παρὰ τούτων γραφέντα, πολυπραγμονήσαντες ἀπεστείλαμεν ὑμῖν. Οὐκοῦν ὅτε καὶ νῦν τὰ μὴ γενόμενα μήτε παρ' αὐτοῦ μήτε δι' αὐτὸν βῶσιν ὡς γενόμενα, καὶ τοσοῦτοις μαρτυροῦσιν ὡς πληροφορηθέντες κακοῖς, εἰπάτωσαν ἐκ ποίας συνόδου καὶ ταῦτα ἔγνωσαν; ἐκ ποίων ἀποδείξουσιν; ἐκ ποίας κρίσεως; Εἰ δὲ μηδὲν ἔχοντες τοιοῦτον ἀπλῶς διαδεδαιούνται, καὶ τὰ πρότερα πῶς γέγονεν, ἢ πῶς λέγουσιν, ὑμῖν κατελείπομεν σκοπεῖν. Οὐδὲν γὰρ ἄλλο ἐστὶν ἢ συκοφαντία καὶ ἔχθρῶν ἐπιβουλή, καὶ θυμὸς ἄσχετα φρονῶν, καὶ κατὰ τῆς εὐσεβείας ἡ ὑπὲρ τῶν Ἀρειομανιτῶν ἀσεβεία λυτῶσα, ἵν' ἐκποδῶν μὲν οἱ ὀρθόδοξοι γίνωνται, μετ' ἀδείας δὲ λοιπῶν, ἃ βούλονται, κηρύττωσιν (89) οἱ προστάται τῆς ἀσεβείας. Καὶ γὰρ οὕτως ἔχει.

6. Ἀρείου τοῦ ἀσεβήσαντος, ἀφ' οὗ καὶ ἡ Ἀρειομανιτῶν δι' αὐτὸν αἵρεσις κέκληται, τῆς Ἐκκλησίας ἐκκληθέντος ὑπὸ τοῦ μακαρίτου ἐπισκόπου Ἀλεξάνδρου, οἱ περὶ Εὐσέβιον μαθητὰ τῆς ἀσεβείας αὐτοῦ καὶ κοινῶνι τυγχάνοντες, ἑαυτοὺς ἐκθεδῆσθαι νομίζοντες, ἔγραπον πολλὰ παρακαλοῦντες Ἀλέξανδρον τὸν ἐπίσκοπον μὴ ἀφεῖναι τὸν αἰρετικὸν Ἀρείον ἔξω τῆς Ἐκκλησίας. Ἀλεξάνδρου δὲ, διὰ τὴν εἰς Χριστὸν εὐσεβείαν μὴ δεχομένου τὸν ἀσεβῆ, εἰς Ἀθανάσιον τότε διάκονον ὄντα ἐλυποῦντο· ἐπειδὴ τὰ πλεῖστα συνόντα Ἀλεξάνδρῳ τῷ ἐπισκόπῳ, πολυπραγμονοῦντες αὐτὸν ἤκουον, καὶ τιμώμενον παρ' αὐτοῦ. Πείραν δὲ αὐτοῦ καὶ τῆς εὐσεβείας τῆς εἰς Χριστὸν λαβόντες ἐκ τῆς συνόδου τῆς κατὰ Νίκαιαν (90) συγκροτηθείσης, ἐν οἷς ἐπαρρησιάζετο κατὰ τῆς ἀσεβείας τῶν Ἀρειομανιτῶν, μειζῶνως τὸ μίσος ἠξέσαν. Ὡς δὲ ἐπὶ τὴν ἐπισκοπὴν αὐτὸν ὁ θεὸς ἤγαγε, τὴν ἐκ παλαιῶν προφορὰν αὐτοῖς κακίαν ἀναζωπυρήσαντες, καὶ φοβούμενοι τὴν ὀρθοδοξίαν αὐτοῦ, καὶ τὴν κατὰ τῆς ἀσεβείας παράστασιν, Εὐσέβιος δὲ πλεῖον καὶ ἀπὸ (91) τῆς συνειδήσεως ὧν οἶδε πλεττόμενος, πάντα τρόπον ἐπεβούλευον καὶ συνεσκευάζοντο τῷ ἀνδρὶ. Ἐκίνουν βασιλεῖα κατ' αὐτοῦ, συνόδους ἠπέλουν πολλάκις· καὶ τέλος ἐν Τύρῳ συνῆλθον, καὶ μέχρι νῦν οὐκ ἀφίστανται κατ' αὐτοῦ γράφοντες, καὶ οὕτως εἰσὶν ἀπαράτητοι, ὡς καὶ τὴν κατάστασιν τῆς ἐπισκοπῆς αὐτοῦ μέμφεσθαι (92), πανταχοῦ δεικνύοντες ἑαυτοὺς ἔχθρους, καὶ μισοῦντας τὸν ἄνδρα, καὶ ψευδῆ λέγοντες, μόνον ἵνα ἐκπαυλίωσιν αὐτὸν ἐν ταῖς ψευδολογίαις. Ἀλλὰ καὶ ἐξ αὐτῶν τούτων ὧν ψεύδονται, τὰ πρότερα διελέγχουσι ψευδῆ καὶ συσκευῆς μεστὰ. Μετὰ γὰρ τὴν τελευτήν, φασὶν (93), Ἀλεξάνδρου τοῦ ἐπισκόπου, ὀλίγων τινῶν Ἀθανασίου μήτην κοιουμένων, ἐξ ἧ' ἐπὶ τὰ ἐπισκόπων λάθρα

A gesta? Attamen in his locis non debebat: neque res ecclesiasticæ occasionem dederunt iis quæ ab Ægypti præfecto acta sunt; sed aliæ quædam quas ediscet is ex monumentis, quæ nos, cognitis eorum scriptis, diligenter perquisita ad vos misimus. Cum igitur, quæ nec eo auctore, nec ejus causa gesta sunt, quasi gesta proclamant; et cum, ac si de tot tantisque malis certiores facti essent, testimonium ferant, dicant a quam synodo hæc didicere? ex quibusnam argumentis? ex quonam judicio? Quod si nihil ejusmodi habentes, hoc temere affirmant; certe priora quomodo gesta sint, aut cur sic loquantur, vobis sane considerandum relinquimus. Nihil enim aliud est quam calumnia, et inimicorum insidiæ, animusque intoleranda sentiens, ac impietas contra pietatem pro Ariomanitis furens; ut Orthodoxi quidem de medio tollantur, impietatis vero patroni, quod libuerit cum securitate prædicent. Etenim res ita se habet.

6. Cum Arius impietatis auctor, a quo Ariomanitarum hæresis nuncupata est, ab Ecclesia ejectus fuisset a beatæ memoriæ Alexandro episcopo, Eusebius cum suis qui ejus impietatis discipuli et participes erant, se ejectos fuisse arbitantes, multa scripsere, quibus Alexandrum episcopum rogarent, ne hæreticum Arium extra Ecclesiam relinqueret. Alexandro autem, ob suam in Christum pietatem, impium illum non recipiente, Athanasio tunc diacono succensebant: quod curiose sciscitantes ipsum frequentissime cum Alexandro versari, et ab ipso in pretio haberi audivissent. Cum autem ex iis quæ in synodo Nicæna contra Ariomanitarum impietatem confiderent locutus est, ejus in Christum pietatem essent experti, in majus odium exarserunt. Ubi vero ad episcopatum illum Dominus evexit, quam jamdiu fovebant malitiam denuo accedentes, rectam ejus doctrinam, necnon ejus adversus impietatem resistendi animum veriti (maximeque Eusebius a conscientia rerum quas noverat percussus), omnibus modis viro insidiati sunt, et adversus illum conspirarunt; imperatorem quoque in illum concitarent, ac synodos plerumque se coacturos interminati, demum Tyri convenere, et hactenus adversus eum scribere non desinunt. Atque ita implacabiles sunt, ut ejus etiam in episcopatum promotionem reprehendant, ac sese undique viro inimicos et insensos exhibeant; eo solum mendacia loquentes, ut eum suis calumniis infamem reddant. Sed ex his ipsis suis mendaciis, priora illa falsa atque conspurationem esse deprehenduntur. Aiunt enim: *Post obitum Alexandri episcopi, cum pauci quidam Athanasii mentionem facerent, sex aut septem episcopi, clam et in obscuro loco ipsum ordinarunt.* Hæc illi

(87) Reg., ἐπάργου τῆς Αἰγύπτου.

(88) In grave historiæ ecclesiasticæ detrimentum, monumenta hic memorata excidere.

(89) Sic Reg. et Basil.; editi vero, κηρύττουσι.

(90) Νίκαιαν sic accentu in prima Reg. et Basil. Editi vero, Νικαίαν.

(91) Reg., δὲ καὶ κατὰ πλεῖον ὑπὸ. Basil., δὲ καὶ πλεῖον ἀπὸ. Mox in Basil., ὡς οἶδε deest. Ibid. Reg. et Basil. quos sequimur, πλεττόμενος, editi πλαττόμενος.

(92) Hæc item apud Socratem, l. 1, c. 23.

(93) Sic Reg. Editi vero φησὶν.

dēri, si hæc nos approbaremus. Nam quod ad vocem *similis* spectat, ea, inquiebant, nobis quoque attribuitur, quippe cum scriptum sit : *Homo imago et gloria Dei est* <sup>79</sup>. Vox *semper* nobis item convenit; nam scriptum est : *Semper enim nos viventes* <sup>80</sup>. Nec hæc verba, *in ipso*, a nobis sunt aliena, quia *in ipso vivimus et movemur et sumus* <sup>81</sup>. *Immutabiles* quoque dicimur, ubi scriptum est : *Nihil nos separabit a charitate Dei* <sup>82</sup>. Denique nomen *virtutis* aliis etiam rebus tribuitur. Nam eruca et bruchus virtus et quidem virtus magna dicuntur <sup>83</sup>. Idem etiam sæpe de populo scriptum est, ut : *Egressa est omnis virtus Domini ex terra Ægypti* <sup>84</sup>. Aliæ item celestes sunt virtutes : nam, inquit, *Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob* <sup>85</sup>. Similia enim etiam Asterius Sophista dictus scripsit, quæ nempe ab eis didicerat, atque ante eum Arius ipse quoque, quemadmodum supra dictum est. Verum ubi episcopi illorum simulationem hac in re animadvertent, dolique esse in cordibus impiorum mala cogitantium, ut ait Scriptura <sup>86</sup> : sententiam rursus ipsi ex Scripturis colligere sunt coacti, et quæ antea dixerant, eadem clarioribus verbis significare, ac denique scribere Filium Patri esse consubstantialem, ut scilicet significarent Filium non tantum similem, sed eandem rem similitudine esse ex Patre, atque ut similitudinem et immutabilitatem Filii aliam omnino esse ostenderent ab ea imitatione, quæ in nobis esse dicitur, quam quidem nos propter mandatorum observationem ex virtute consequimur. Namque quod spectat ad corpora quæ inter se sunt similia, illa certe distare et procul a se invicem possunt abesse, ut accidit hominum liberis erga proprios parentes, quemadmodum de Adam et Seth quem ille genuit, scriptum est <sup>87</sup>, nempe similem **178** illi fuisse secundum speciem suam. Verum cum Filii ex Patre generatio alia plane sit a natura hominum, nec solum similis ille sit substantiæ Patris, sed dividi ab ea non queat, cum item unum ipse et Pater sint, ut idem dixit, semperque Verbum sit in Patre, et Pater in Verbo <sup>88</sup>, eo modo quo splendor se habet ad lucem; id enim dictio ipsa significat : idcirco synodus, ea re perspecta, eum esse consubstantialem recte scripsit, ut et hæreticorum perversitatem everteret, et Verbum aliud a factis rebus esse ostenderet. Hinc illa voce scripta statim Patres subjungunt : « Illis vero qui dicunt Filium Dei ex nihilo sive ex non existentibus esse, vel creatum, vel mutabilem, vel factum, vel ex alia substantia, anathema dicit sancta et catholica Ecclesia. » Quibus utique dictis aperte declaratur his vocabulis *ex substantia*, et *consubstantialis* deleri impietatis vocus, quibus aiunt Filium esse rem creatam, conditam, factam et mutabilem, nec prius fuisse quam genitus est. Nam qui ita sentit, synodo refragatur. Qui vero non idem ac Arius sentit, necesse est eum eadem, quæ synodus sentire et intelli-

Α συνθέσθαι· τὸ μὲν ὁμοιον, ὅτι καὶ περὶ ἡμῶν ἐγράφη· *Εὐκὼν ἐστὶν ὁ ἄνθρωπος καὶ δόξα Θεοῦ ὑπάρχει*· τὸ δὲ δεῖ, ὅτι γέγραπται· *Ἄει γὰρ ἡμεῖς οἱ ζῶντες*· τὸ δὲ ἐν αὐτῷ, ὅτι *Ἐν αὐτῷ ζῶμεν, καὶ κινούμεθα, καὶ ἐσμεν*· καὶ τὸ ἀτρέπτον δὲ, ὅτι γέγραπται· *Οὐδὲν ἡμᾶς χωρίσει ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ Χριστοῦ*· περὶ δὲ τῆς δυνάμεως, ὅτι καὶ ἡ κάμψη καὶ ὁ βροῦχος μὲν λέγονται δυνάμεις. καὶ δυνάμεις μεγάλη· πολλάκις δὲ περὶ τοῦ λαοῦ γέγραπται, ὡσπερ· *Ἐξῆλθε πᾶσα ἡ δύναμις Κυρίου ἐκ γῆς Αἰγύπτου*· καὶ ἄλλαι δὲ οὐράναι δυνάμεις εἰσὶ· *Κύριος γὰρ, φησί, τῶν δυνάμεων μεθ' ἡμῶν· ἀρτιλήπτωρ ἡμῶν ὁ Θεὸς Ἰακώβ*. Τοιαῦτα γὰρ καὶ Ἀστέριος ὁ λεγόμενος Σοφιστὴς παρ' αὐτῶν μαθὼν ἐγραψε, καὶ πρὸ αὐτοῦ δὲ Ἄρειος μαθὼν, ὡσπερ εἰρηγται. Ἄλλ' οἱ ἐπίσκοποι, καὶ ἐν τούτῳ θεωρήσαντες τὴν ὑπόκρισιν ἐκεῖνων, καὶ ὅτι, κατὰ τὸ γεγραμμένον, ἐκ καρδίαις τῶν ἀσεβῶν δόλος ἐστὶ τεκταινομένων κακὰ, ἠναγκάστησαν καὶ αὐτοὶ αὐθις συναγαγεῖν ἐκ τῶν Γραφῶν τὴν διάνοιαν, καὶ ἄπερ πρότερον εἶλεγον, ταῦτα πάλιν λευκότερον εἰπεῖν, καὶ γράψαι, ὁμοούσιον εἶναι τῷ Πατρὶ τὸν Υἱόν· ἵνα μὴ μόνον ὁμοιον τὸν Υἱόν, ἀλλὰ ταῦτόν τῃ ὁμοίωσει ἐκ τοῦ Πατρὸς εἶναι σημαίνωσι, καὶ ἄλλην οὖσαν τὴν τοῦ Υἱοῦ ὁμοίωσιν καὶ ἀρεψίαν δεῖξωσι παρὰ τὴν ἐν ἡμῖν λεγομένην μίμησιν, ἣν ἐξ ἀρετῆς διὰ τὴν τῶν ἐντολῶν τήρησιν ἡμεῖς προσλαμβάνομεν· τὰ μὲν γὰρ τῶν σωμάτων ὅμοια πρὸς ἑαυτὰ τυγχάνοντα δυνατὸν πως δίστασθαι καὶ μακρὰν ἀπ' ἀλλήλων γίνεσθαι, οἷοι εἰσιν οἱ τῶν ἀνθρώπων υἱοὶ πρὸς τοὺς γεννησάντας, ὡς γέγραπται περὶ τοῦ Ἀδάμ καὶ τοῦ ἐξ αὐτοῦ γεννηθέντος Σῆθ, ὡς ἦν ὁμοῖος αὐτῷ κατὰ τὴν ἰδέαν αὐτοῦ. Ἐπειδὴ δὲ ἡ ἐκ Πατρὸς τοῦ Υἱοῦ γέννησις ἄλλη παρὰ τὴν ἀνθρώπων φύσιν ἐστὶ, καὶ ὁ μόνον ὁμοῖος, ἀλλὰ καὶ ἀδιαιρέτος ἐστὶ τῆς τοῦ Πατρὸς οὐσίας, καὶ ἐν μὲν εἰσιν αὐτὸς καὶ ὁ Πατήρ, ὡς αὐτὸς εἶρηκεν, αἰεὶ δὲ ἐν τῷ Πατρὶ ἐστὶν ὁ Λόγος, καὶ ὁ Πατήρ ἐν τῷ Λόγῳ, ὡς ἐστὶ τὸ ἀπαύγασμα πρὸς τὸ φῶς· τοῦτο γὰρ καὶ ἡ λέξις σημαίνει· διὰ τοῦτο ἡ συνόδος, τοῦτο νοοῦσα, καλῶς ὁμοούσιον ἐγραψεν, ἵνα τὴν τῶν αἰρετικῶν κακοθήθειαν ἀνατρέψωσι, καὶ δεῖξωσιν ἄλλον εἶναι τῶν γεννητῶν τὸν Λόγον. Καὶ γὰρ τοῦτο γράψαντες, εὐθὺς ἐπήγαγον· « Τοὺς δὲ λέγοντας ἐξ οὐκ ὄντων τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, ἢ κτιστὸν, ἢ τρεπτὸν, ἢποίημα, ἢ ἐξ ἐτέρας οὐσίας, τούτους ἀναθεματίζεῖ ἡ ἀγία καὶ καθολικὴ Ἐκκλησία. » Ταῦτα δὲ εἰρηκότες, ἐδήλωσαν φανερώς, ὅτι τὸ ἐκ τῆς οὐσίας καὶ τὸ ὁμοούσιον ἀναιρετικὰ τῶν τῆς ἀσεβείας λογαρίων εἰσιν, ἄπερ ἐστὶ, κτίσμα, καὶποίημα, καὶ γενητὸν, καὶ τρεπτὸν, καὶ οὐκ ἦν πρὶν γεννηθῆναι. Ὁ γὰρ ταῦτα φρονῶν ἀντιλέγει τῇ συνόδῳ· ὁ δὲ τὰ Ἀρείου μὴ φρονῶν ἐξ ἀνάγκης τὰ τῆς συνόδου ταῦτα φρονεῖ καὶ διανοεῖται, καλῶς αὐτὰ βλέπων ὅπως ἐστὶ τὸ ἀπαύγασμα πρὸς τὸ φῶς, καὶ ἐξ αὐτοῦ τὴν εἰκόνα τῆς ἀληθείας λαμβάνων.

<sup>79</sup> I Cor. xi, 7. <sup>80</sup> II Cor. iv, 11. <sup>81</sup> Act. xvii, 29. <sup>82</sup> Rom. viii, 35. <sup>83</sup> Joel ii, 25. <sup>84</sup> Exod. xii, 41. <sup>85</sup> Psal. xlv, 8. <sup>86</sup> Prov. xii, 20. <sup>87</sup> Genes. v, 5. <sup>88</sup> Joan. x, 30.

gere, ita ut recte percipiat hæc eo fere modo esse quo splendor erga lucem se habet, indeque veritatis imaginem accipiat.

21. Οὐκοῦν εἰ τὰ ῥήματα καὶ οὗτοι ὡς ξένα προ-  
 ρασιζονται, φρονεῖσθωσαν τὴν διάνοιαν, καθ' ἣν ἡ σύν-  
 οδος οὕτως ἐγράψεν, ἀναθεματίζοντες ἅπερ ἀνεθεμάτι-  
 σεν ἡ σύνοδος, καὶ λοιπὸν, εἰδύναται, μεμφέσθωσαν τὰς  
 λέξεις. Εὐ δὲ οἶδα, ὅτι, φρονήσαντες τὴν διάνοιαν τῆς  
 συνόδου, καὶ τὰ ῥήματα τῆς διανοίας πάντως ἀποδέ-  
 ζονται. Ἄν δὲ καὶ ταύτην αἰτιάσθαι θελήσωσι, δῆλοι  
 πᾶσιν εἰσι μᾶτην καὶ περὶ ἐκείνων λέγοντες, καὶ  
 μόνον ἀφορμὰς ἑαυτοῖς εἰς ἀσέβειαν ἐπινοοῦντες. Ἡ  
 μὲν οὖν πρόφασις τῶν τοιούτων λέξεων αὕτη· εἰ δ'  
 ὅτι καὶ μὴ ἐγγράφοι εἰσι, πάλιν γογγύζουσιν, αὐτόθεν  
 μὲν αὐτοὶ ἐκβαλλέσθωσαν ὡς κενολογούντες καὶ τὸν  
 νοῦν οὐχ ὑγιαίνοντες· ἑαυτοῦς (1) δὲ καὶ ἐν τούτοις  
 αἰτιάσθωσαν, ὅτι, πρῶτον παρασχόντες τὴν τοιαύτην  
 πρόφασιν, ἐξ ἀγράφων θεομαχεῖν ἤρξαντο. Γινωσκέ-  
 τω δὲ ὅμως, εἰ τις ἐστι φιλομαθής, ὅτι, εἰ καὶ μὴ B  
 οὕτως ἐν ταῖς Γραφαῖς εἰσιν αἱ λέξεις, ἀλλὰ, καθ-  
 ἅπερ εἰρηται πρότερον, τὴν ἐκ τῶν Γραφῶν διάνοιαν  
 ἔχουσι, καὶ ταύτην ἐκφωνοῦμενοι σημαίνουσι τοῖς  
 ἔχουσιν εἰς εὐσέβειαν τὴν ἀόκητον ὀλόκληρον. Σκοπεῖν  
 δὲ τοῦτό σε μὲν ἐξεστίν, ἐκείνους δὲ κατακοῦειν τοῦς  
 ἀπαιδεύτους. Δέδεικται ἐν τοῖς ἐμπροσθεν, καὶ τοῦτ'  
 ἐστὶν ἀληθὲς πιστεύειν, τὸν Λόγον ἐκ τοῦ Πατρὸς  
 εἶναι, καὶ μόνον ἴδιον αὐτοῦ καὶ φύσει γέννημα. Πό-  
 θεν γὰρ ἄλλοθεν νοήσειε τις τὸν Υἱὸν, ὃς ἐστὶν ἡ  
 σοφία καὶ ὁ Λόγος, ἐν ᾧ τὰ πάντα γέγονεν, ἢ ἐξ αὐ-  
 τοῦ τοῦ Θεοῦ; Ὅμως δὲ τοῦτο καὶ παρὰ τῶν Γρα-  
 φῶν μαθητήκαμεν, τοῦ μὲν Πατρὸς διὰ τοῦ Δαβὶδ  
 λέγοντος· Ἐξηρεύξατο ἡ καρδία μου Λόγον ἀγα-  
 θόν καὶ, Ἐκ γαστρὸς πρὸ ἐωσφόρου ἐγέννησά  
 σθε· τοῦ δὲ Υἱοῦ περὶ ἑαυτοῦ δεικνύντος τοῖς Ἰου-  
 δαίοις· Εἰ ὁ Θεὸς Πατὴρ ὑμῶν ἦν, ἠραπαῖτε ἀν-  
 ἐμ· ἐγὼ γὰρ ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐξῆλθον· καὶ πάλιν·  
 Οὐχ ὅτι τὸν (2) Πατέρα τις ἐώρακεν, εἰ μὴ ὁ ὢν  
 παρὰ τοῦ Θεοῦ, οὗτος ἐώρακε τὸν Πατέρα· καὶ  
 μὴν καὶ τό· Ἐγὼ καὶ ὁ Πατὴρ ἐν ἑσμεν, καὶ, Ἐγὼ  
 ἐν τῷ Πατρὶ, καὶ ὁ Πατὴρ ἐν ἐμοί, ἴσον ἐστὶ τῷ  
 λέγειν· Ἐγὼ ἐκ τοῦ Πατρὸς εἰμι, καὶ ἀδιάρητος αὐ-  
 τοῦ. Καὶ ὁ Ἰωάννης δὲ λέγων· Ὁ μονογενὴς Υἱὸς,  
 ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ Πατρὸς, ἐκεῖνος ἐξ-  
 ηγήσατο, μαθὼν ταῦτα παρὰ τοῦ Σωτῆρος (3) εἶρηκε.  
 Τί γὰρ ἄλλο τὸ ἐν κόλλοις σημαίνει, ἢ τὴν γνησίαν  
 ἐκ τοῦ Πατρὸς τοῦ Υἱοῦ γέννησιν;

22. Εἰ μὲν οὖν τὸν Θεὸν ἠγεῖται τις εἶναι σύνθε-  
 τον, ὡς ἐν τῇ οὐσίᾳ τὸ συμβεβηκὸς, ἢ ἐξωθέν τινα  
 περιβολὴν ἔχειν καὶ καλύπτεσθαι, ἢ εἶναι τινα περὶ D  
 αὐτὸν τὰ συμπληροῦντα τὴν οὐσίαν αὐτοῦ, ὥστε  
 ἔγοντας ἡμᾶς Θεὸν, ἢ ὀνομάζοντας Πατέρα, μὴ  
 φθὴν τὴν ἀόρατον αὐτοῦ καὶ ἀκατάληπτον οὐσίαν  
 ἡμαίειν, ἀλλὰ τι τῶν περὶ αὐτὴν (4)· μεμφέσθωσαν

21. Itaque si illi verba ista velut nova ac per-  
 egrina admittere recusant, sententiam ipsam admit-  
 tant quam synodus his indicare voluit : et quibus  
 illa anathema dixit, ipsi similiter dicant anathema,  
 ac de cætero, si possint, voces ipsas reprehendant.  
 Ego vero nullus dubito quin sententia synodi re-  
 cepta, verba quoque ipsa approbent. Sin autem sen-  
 tentiam ipsam velint redarguere, omnibus patebit  
 frustra illos nullaque de causa verba reprehendere,  
 sed solum occasiones impietatis confirmandæ sibi  
 ipsis fingere. Hæc igitur causa fuit cur hujusmodi  
 voces fuerint institutæ. Quod si rursus murmurent,  
 quod illæ in Scripturis non exstent, hoc ipso, tan-  
 quam fuitiles et mente non sani, sunt rejiciendi.  
 Seipsos porro hic etiam potissimum accusent, quod  
 primi huic rei locum dederint, qui ipsi excogitatis  
 vocibus quæ in Scripturis non habentur, bellum  
 Deo cœperint inferre (5). Noverit tamen quisquis  
 studiosus fuerit, etiamsi ipsæ voces ita in Scriptu-  
 ris non exstent, sententiam tamen, quam continent,  
 vere ex Scripturis haberi, quemadmodum supra  
 dictum est, quam quidem sententiam, cum profe-  
 runtur, his indicant quibus aures sanæ et integræ  
 sunt in pietate. Id sane et tibi inspicere, et impe-  
 ritis illis licet audire. Nimirum supra ostensum est  
 vereque creditur Verbum esse ex Patre, illudque  
 solum proprium ejus et natura setum esse. Ex quo  
 enim alio Filium, qui et sapientia est et Verbum, in  
 quo omnia sunt facta, quam ex ipso Deo esse intel-  
 ligi queat? Verum illud quoque ex Scripturis didici-  
 mus. Pater enim per Davidem dicit : *Eruclavit cor  
 meum Verbum bonum* 99; et, *Ex utero ante luciferum  
 genui te* 100. Filius item de seipso ita ad Judæos loquitur :  
*Si Deus Pater vester esset, diligeretis utique  
 me. Ego enim ex Patre exivi* 101; et iterum : *Non quia  
 Patrem vidit quisquam, nisi qui est a Deo, hic vidit  
 Patrem* 102. Item illud : *Ego et Pater unum sumus* 103,  
 et, *Ego in Patre et Pater in me* 104, idem est ac si di-  
 ceret, *Ego ex Patre sum, nec ab eo possum dividi.*  
 Joannes quoque dicit : *Unigenitus Filii, qui est in  
 sinu Patris, ipse enarravit* 105. Scilicet hæc ipse a  
 Salvatore didicerat. Nam quid aliud illud, *in sinu,*  
 significat, quam veram Filii ex Patre generationem?

179 22. Si quis ergo Deum compositum esse  
 existimat, ut in substantia accidens, vel ita ut ali-  
 quem extrinsecus amictum habeat quo contegatur,  
 aut quedam circum eum sint quæ ejus substantiam  
 compleant, adeo ut eum Deum dicimus vel Patrem  
 nominamus, non ejus substantiam quæ nec videri  
 nec comprehendi potest, sed aliquid eorum quæ

99 Psal. xliiv, 2. 100 Psal. cix, 3. 101 Joan. viii, 42.  
 102 Joan. i, 18.

103 Joan. vi, 46. 104 Joan. x, 30. 105 Joan. xiv, 10.

(1) Reg. ἑαυτοῖς.

(2) Sic Reg. ut et legitur Joan. vi, 46. Alii et editi  
 ὄν omitunt.

(3) Sic Reg. Editi vero et alii, Πατρός.

(4) Reg. αὐτόν.

(5) Licet voces ex substantia et consubstantiali  
 non exstent in Scripturis, sententia tamen ipsa  
 quam significant, ex Scripturis habetur. Vide ite  
 Theodor. *Hist. eccles.*, lib. i, c. 8.

circum ipsam sunt, significemus; synodum per me licet incusent, quæ Dei Filium ex ejus substantia esse scripserit. Intelligent tamen se ita sentiendo, duplicem impietatem committere. Nam quemdam Deum corporeum inducunt, et Dominum, non sui Patris, sed rerum quæ circum ipsum sunt Filium esse mentiuntur. Sed si Deus aliquid simplex est, uti revera est, liquet nihil nos quod veluti circum ipsum sit nominare, cum Deum dicimus et Patrem nominamus, sed ipsam ejus substantiam significare. Quamvis enim comprehendere non possit quid tandem sit Dei substantia: attamen si solum intelligamus Deum esse, cumque Scriptura illum hujusmodi vocibus indicet; sic nos etiam cum Deum et Patrem et Dominum dicimus, non alium profecto aliquem quam ipsum solum volumus significari. Cum igitur dicit: *Ego sum qui sum*<sup>96</sup>; et, *Ego sum Dominus Deus*<sup>97</sup>, ac ubicunque Scriptura dicit, *Deus*; cum nos ista legimus, nihil aliud intelligimus significari quam ipsam ejus incomprehensam substantiam, et quod ille sit quem esse testantur. Nemo igitur obstupescat cum audit Filium Dei ex substantia Dei esse, sed Patribus potius assentiantur qui videlicet ut ipsam rei notionem perpurgarent, majoris perspicuitatis gratia verbisque veluti synonymis has voces, *ex Deo*, istis, *ex Dei substantia*, explicaverunt. Idem enim esse arbitrati sunt dicere Verbum *ex Deo* esse, ac dicere ipsum esse *ex Dei substantia*, quandoquidem ista vox, *Deus*, ut dixi, nihil aliud significat quam substantiam ejus qui est. Si igitur Verbum non ita est ex Deo, ut verus ex Patre natura sit Filius; sed si eo tantum modo ex Deo esse dicitur, quo res omnes creatæ, quia nempe a Deo factæ sunt: sane neque ex substantia Patris est, neque ipse Filius, substantia est Filius, sed solum ex virtute, non aliter ac nos, qui gratia filii vocamur. Sin autem solus ex Deo est, tanquam verus Filius, Filius dicendus est.

23. Certe rem ita se habere patet ex exemplo lucis et splendoris. Non enim instar ignis, qui ex calore solis accenditur ac postea solet exstingui, Verbum se ad Deum habere sancti censuere: ita quippe externum et creatum effectoris opus esset. Verum Filium omnes splendorem esse dixere, ut eum proprie ac sine divisione ex substantia esse, ejusque cum Patre unitatem significarent. Namque hoc pacto constat vere eum immutabilem varietatisque expertem esse. Quomodo enim aliter talis esse posset, nisi Patris proprius esset fetus? Sic enim necesse est eum eandem rem esse ac suum Patrem. Quæ cum pietati valde consentanea esse ostensum fuerit, profecto Christi hostes voce *consubstantialis* minime debent offendi, cum hæc sanam omnino contineat sententiam, rationeque confirmetur. Enimvero cum Verbum ex substantia Dei esse

<sup>96</sup> Exod. III, 14. <sup>97</sup> Exod. xx, 2.

(6) Sic Reg. Basil. ut et legit Narinius. Cæteri et edit. Commel. omitunt ut: Υἱὸς γνήσιος, etc., usque ad καὶ γὰρ.

μὲν τὴν σύνοδον γράψασαν ἐκ τῆς οὐσίας εἶναι τοῦ Θεοῦ τὸν Υἱόν· κατανοοῦσιν οὖν ὅτι δύο ταῦτα βλασφημοῦσιν, οὕτω διανοοῦμενοι· τὸν τε γὰρ Θεὸν σωματικόν τινα εἰσάγουσι, καὶ τὸν Κύριον οὐκ αὐτοῦ τοῦ Πατρὸς, ἀλλὰ τῶν περὶ αὐτὸν εἶναι Υἱὸν καταφεύδονται· εἰ δὲ ἀπλοῦν τί ἐστὶν ὁ Θεός, ὡς περ οὖν καὶ ἐστὶ, δῆλον ὅτι λέγοντες τὸν Θεόν, καὶ ὀνομάζοντες τὸν Πατέρα, οὐδὲν τι ὡς περὶ αὐτὸν ὀνομάζομεν, ἀλλ' αὐτὴν τὴν οὐσίαν αὐτοῦ σημαίνομεν. Κἀν γὰρ καταλαβεῖν ὁ τι ποτὲ ἐστὶν ἡ τοῦ Θεοῦ οὐσία μὴ ἢ δυνατόν· ἀλλὰ μόνον νοοῦντες εἶναι τὸν Θεόν, καὶ τῆς Γραφῆς τὸν οὕτως αὐτὸν σημαίνουσαν, οὐκ ἄλλον τινὰ καὶ ἡμεῖς ἢ αὐτὸν σημαίνει θέλοντες, λέγομεν Θεὸν καὶ Πατέρα καὶ Κύριον. Ὅταν γοῦν λέγῃ· Ἐγὼ εἰμι ὁ ὢν· καὶ τὸ, Ἐγὼ εἰμι Κύριος ὁ Θεός· καὶ ὅπου ποτὲ λέγει ἡ Γραφή, ὁ Θεός, ἡμεῖς ἀναγινώσκοντες, οὐδὲν ἕτερον ἢ αὐτὴν τὴν ἀκατάληπτον αὐτοῦ οὐσίαν σημαίνουμένην νοοῦμεν, καὶ ὅτι ἐστὶν ὅνπερ λέγουσιν. Οὐκοῦν μὴ ξενίζέσθω τις ἀκούων ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Θεοῦ εἶναι τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ· ἀλλὰ καὶ μᾶλλον ἀποδεχέσθω τοὺς Πατέρας διακαθάραντας τὸν νοῦν, λευκότερον καὶ ὡς ἐκ παραλλήλου, τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ γράψαντας, τὸ ἐκ τῆς οὐσίας. Ταῦτ' οὖν γὰρ ἠγγήσαντο λέγειν ἐκ τοῦ Θεοῦ, καὶ τὸ λέγειν, ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Θεοῦ εἶναι τὸν Λόγον· ἐπεὶ καὶ τὸ, Θεός, καθὰ προείπον, οὐδὲν ἕτερον ἢ τὴν οὐσίαν αὐτοῦ τοῦ ὄντος σημαίνει. Εἰ μὲν οὖν μὴ ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐστὶν ὁ Λόγος, ὡς ἂν Υἱὸς εἴη φύσει γνήσιος ἐκ Πατρὸς, ἀλλ' ὡς τὰ κτίσματα διὰ τὸ δεδημιουργῆσθαι, λέγεται καὶ αὐτὸς ὡς τὰ πάντα ἐκ τοῦ Θεοῦ· οὕτε ἐκ τῆς οὐσίας ἐστὶ τοῦ Πατρὸς, οὕτε αὐτὸς ὁ Υἱὸς, κατ' οὐσίαν ἐστὶν Υἱὸς, ἀλλ' ἐξ ἀρετῆς, ὡς ἡμεῖς οἱ κατὰ χάριν καλούμενοι υἱοί. Εἰ δὲ ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐστὶ μόνος, ὡς Υἱὸς γνήσιος (6), ὡς περ οὖν καὶ ἐστὶ, λεχθεῖται ἂν εἰκότως καὶ ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Θεοῦ ὁ Υἱός.

utī revera est: jure ac merito ex substantia Dei

23. Καὶ γὰρ καὶ τὸ παράδειγμα τοῦ φωτὸς καὶ τοῦ ἀπαυγασματος, τοιοῦτον ἔχει τὸν νοῦν. Οὐ γὰρ κατὰ τὸ ἐξαπτόμενον ἐκ τῆς θερμῆς τοῦ ἡλίου πύρ, ὅπερ καὶ σβέννυσθαι πάλιν εἴωθεν, εἰρηχασιν οἱ ἄγιοι εἶναι τὸν Λόγον πρὸς τὸν Θεόν· τοῦτο γὰρ ἔργον ἐξῴθεν καὶ κτίσμα τοῦ ποιούντος ἦν· ἀλλὰ ἀπαύγασμα αὐτὸν εὐηγγελίσαντο πάντες, ἵνα τὸ ἐκ τῆς οὐσίας ἴδιον καὶ ἀδιαίρετον καὶ τὴν πρὸς τὸν Πατέρα ἐνότητά δηλώσωσι. Καὶ γὰρ οὕτω καὶ τὸ ἀτρεπτον καὶ ἀναλλοίωτον αὐτὸν ἀληθῶς εἶναι σωθήσεται· πῶς γὰρ ἂν ἄλλως (7) εἴη τοιοῦτος, εἰ μὴ τῆς τοῦ Πατρὸς οὐσίας ἴδιόν ἐστι γέννημα; Ἀνάγκη γὰρ καὶ ἐν τούτῳ τὴν ταυτότητα πρὸς τὸν ἑαυτοῦ Πατέρα σώζειν. Οὕτω δὲ τοῦ Λόγου φανερός εὐσεβοῦς, ἀκόλουθον ἂν εἴη μὴδὲ ἐπὶ τῷ ὁμοουσίῳ ξενίζεσθαι τοὺς Χριστομάχους, ἐχούσης καὶ τῆς λέξεως ταύτης ὑγιῆ τὴν διάνοιν καὶ τὴν ἀπόδειξιν. Εἰ γὰρ δὴ φαμεν ἐκ

(7) Sic Reg. Cæteri vero et editi, πῶς γὰρ ἄλλως.



τῆς οὐσίας εἶναι τοῦ Θεοῦ τὸν Λόγον· λοιπὸν γὰρ ἡ λέξις ὁμολογείσθω καὶ παρ' αὐτῶν· τί ἂν εἴη τοῦτο, ἢ τὸ ἀληθῶς καὶ αἰδιον τῆς οὐσίας ἐξ ἧς καὶ γεγέννηται; Οὐ γὰρ ἑτεροειδὲς, ἵνα μὴ ξένον καὶ ἀνόμοιον τῇ οὐσίᾳ τοῦ Πατρὸς ἐπιμιγνύηται· οὐδὲ ἐξωθεν ἀπλῶς ὁμοιος, ἵνα μὴ καθ' ἕτερον ἢ ὅλων ἑτεροούσιος φαίηται, ὡς περ χαλκὸς σιλικῶν καὶ χρυσοῦς, καὶ ἄργυρος καὶ κασσίτερος. Ταῦτα γὰρ ξένα καὶ ἑτεροφυῆ ἀλλήλων, καὶ ἀπεσχοινοσμένα τῇ φύσει καὶ τῇ δυνάμει τυγχάνουσι· καὶ οὔτε ὁ χαλκὸς ἴδιος τοῦ χρυσοῦ, οὔτε ἡ φάσσα ἐκ τῆς περιστερᾶς· ἀλλὰ ὅμοια μὲν νομίζεται εἶναι, ἑτεροούσια δὲ ἀλλήλων ἐστίν. Εἰ μὲν οὖν καὶ ὁ (8) Υἱὸς οὕτως ἐστίν, ἔστω κτίσμα ὡς περ καὶ ἡμεῖς, καὶ μὴ ὁμοούσιος· εἰ δὲ Υἱὸς ἐστὶ Λόγος, σοφία, εἰκὼν τοῦ Πατρὸς, ἀπαύγασμα· εἰκότως ὁμοούσιος ἂν εἴη. Εἰ (9) γὰρ τὸ μὴ ἐκ τοῦ Θεοῦ, ἀλλ' ὡς ὄργανον ἑτεροφυῆς καὶ ἑτεροούσιον δείκνυται, καλῶς ἄρα ἡ σύνοδος ἔγραψε καὶ νενόησεν ὁρθῶς.

24. Ἐξηρήσθω δὲ πάλιν ἐν τούτοις πᾶς (10) λογισμὸς σωματικὸς· φαντασίαν τε πάσης αἰσθήσεως ὑπερβάντες, καθαρᾷ τῇ νοήσει καὶ μόνῃ τῷ νῷ νοῶμεν Υἱοῦ πρὸς Πατέρα τὸ γνήσιον, καὶ Λόγου τὴν πρὸς τὸν Θεὸν ἰδιότητα, καὶ τὴν ἀπαράλλακτον ὁμοιότητα τοῦ ἀπαυγάσματος πρὸς τὸ φῶς· ὡς γὰρ τὸ γέννημα καὶ τὸ Υἱὸς, οὐκ ἀνθρώπινον, ἀλλ' ὡς Θεῷ πρέπον ἐστίν, εἰρηγαί τε καὶ ἐστὶ· τὸν αὐτὸν τρόπον, τὴν λέξιν (11) τοῦ ὁμοουσίου ἀκούοντες, μὴ εἰς τὰς ἀνθρωπίνους αἰσθήσεις πίπτοντες, μερισμοὺς καὶ διαιρέσεις τῆς θεότητος λογιζώμεθα· ἀλλ' ὡς ἐπὶ ἀσωμάτων διανοούμενοι, τὴν ἐνότητα τῆς φύσεως καὶ τὴν ταυτότητα τοῦ φωτὸς μὴ διαιρῶμεν· τοῦτο γὰρ ἴδιον Υἱοῦ πρὸς Πατέρα, καὶ τοῦτο δείκνυσι τὸν Θεὸν ἀληθῶς ὄντα Πατέρα τοῦ Λόγου. Πάλιν γὰρ τὸ παράδειγμα τοῦ φωτὸς καὶ τοῦ ἀπαυγάσματος ἀναγκαῖον εἰς τοῦτο. Τίς τολμήσει λέγειν τὸ ἀπαύγασμα ξένον καὶ ἀνόμοιον εἶναι τοῦ ἡλίου; Ἡ τίς μᾶλλον ἐνορῶν οὕτω τὸ ἀπαύγασμα πρὸς τὸν ἡλίον, καὶ τὴν ταυτότητα τοῦ φωτὸς, οὐκ ἂν εἴποι θαρρήσας· Ὅντως τὸ φῶς καὶ τὸ ἀπαύγασμα ἓν εἰσι, καὶ τοῦτο ἐν ἐκείνῳ δείκνυται, καὶ τὸ ἀπαύγασμα ἐν τῷ ἡλίῳ τυγχάνει ὄν, ὥστε τὸν ὄντα τοῦτο βλέπειν ἀκαίενο. Τὴν δὲ τοιαύτην ἐνότητα καὶ φυσικὴν ἰδιότητα πῶς ἂν οἱ πιστεύοντες καὶ βλέποντες ὁρθῶς καλέσασιν ἢ ὁμοούσιον γέννημα; Τὸ δὲ τοῦ Θεοῦ γέννημά τι ἂν τίς οἰκείως καὶ πρεπόντως νοήσειεν ἢ Λόγον, καὶ σοφίαν, καὶ δύναμιν, ἢ ὑπερ οὔτε (12) τοῦ Πατρὸς λέγειν ξένον ὄσιόν ἐστιν, οὔτε μὴ αἰδίως εἶναι παρὰ τῷ Πατρὶ κἄν φαντάζεσθαι θέμις ἐστί; Τούτῳ γὰρ τῷ γεννηματι τὰ πάντα πεποιήσεν ὁ Πατήρ, καὶ τὴν εἰς πάντα πρόνοιαν ἐκτείνων δι' αὐτοῦ φιλανθρωπεύεται· καὶ οὕτως ἐν αὐτῷ καὶ ὁ Πατήρ εἰσιν, ὡς περ εἰρηγαί· εἰ μὴ ἄρα οἱ κακίφρονες τολμήσαντες πάλιν

dicimus (jam enim et ipsi dictionem hanc admittant), quid aliud significamus quam veram et æternam substantiam ex qua ipsum genitum est? Nec enim diversa est specie, ne quid externum ac dissimile cum Patris substantia misceatur: nec extrinsecus duntaxat simile est, ne alia ex parte vel omnino diversæ substantiæ esse appareat, veluti æs fulgens et aurum, argentum et stannum. Hæc siquidem diversa et alia atque separata sunt tum natura **180** tum virtute; nec æs proprium auri est, nec palumbes ex columba nascitur: sed quamvis hæc putantur esse similia, diversa tamen inter se sunt natura. Itaque si Filius ita quoque se habet, esto res creata ut et nos, non autem consubstantialis. Sin autem Filius est Verbum, sapientia, imago Patris, splendorve: merito utique consubstantialis est. Nisi enim ostendatur illum non ex Deo, sed tanquam organum natura et substantia diversum esse, fatendum sane est recte synodum et scripsisse et cogitasse.

24. Procul autem hinc absit omnis cogitatio corporea; sed sensus omnes prætergressi, pura intelligentia et sola mente percipiamus quam vere sit Filius Patris; quam proprie Dei sit Verbum, et quam perfectam cum luce similitudinem splendor habeat. Ut enim seius et Filius, non hominum more, sed ut Deum decet, et dictus est et vere est: ita cum vocem *consubstantialis* audimus, humanos sensus non debemus sequi, nec divinitatis partitiones aut divisiones fingendæ sunt ullæ: sed tanquam de rebus non corporeis cogitantes, unam naturam et eandem lucem non dividamus. Id enim proprium Filii est erga Patrem, eoque ostenditur Deum vere Verbi Patrem esse. Nam rursus lucis et splendoris exemplum ad illud intelligendum est necessarium. Quis igitur dicere audeat splendorem soli externum et dissimilem esse? Vel potius quis, si adverterit quoniam modo splendor se ad solem habeat eandemque esse lucem, non audacter dicat: Vere lux et splendor una res est, hinc in illa ostenditur, et splendor in sole existit, ita ut qui solem viderit, splendorem quoque cernat. Hæc porro unitas et naturalis proprietatis quomodo a credentibus ac videntibus recte vocari possit nisi consubstantialis fetus? Quis autem proprie digneque alium Dei fetum esse concipiet præter Verbum, sapientiam et virtutem, quam sane nec Patri externam fas est dicere, nec vel cogitare licet nisi in ipso apud Patrem fuisse? Siquidem hoc ipso fetu omnia fecit Pater, suamque in res omnes providentiam per eum benigne administrat, atque ita ipse et Pater unum sunt, quemadmodum dictum est; nisi forte iidem improbi iterum audeant contendere aliam esse Verbi substantiam et aliam lucem quæ ex Patre in illo est, ita ut

(8) Sic Reg. At in aliis et editis ὁ δεest.

(9) Particula μὴ videtur addenda post εἰ, vel certe subaudienda. Ibid. Reg. δείκνυτε.

(10) Sic Reg. Editi vero, πῶς, mendose.

(11) Sic Reg. Alii et editi τὴν λέξιν omitunt.

(12) Sic Reg. Alii vero et editi, ἢν οὔτε.

lux quidem, quæ est in Filio, unum sit cum Patre, ipse vero tanquam res creata, sit Patri externus. Verum hæc profecto Caiphæ et Samosatensis est doctrina, quam Ecclesia quidem procul repulit, sed quam illi clam et astute nunc tuentur; hancque ob causam ipsi, veritate relicta, hæretici sunt declarati. Si enim prorsus lucis, quæ est ex Patre, participes ille est, cur non potius ipse is est cujus res aliæ fiunt participes, ne scilicet aliquid medium inter eum et Patrem reperiat? Nam nisi id concedatur, non amplius ostendi poterit omnia per Filium facta esse, sed per illum cujus et ipse est participes. At si ipse est Verbum et sapientia Patris, in quo se Pater patefacit, cognoscitur, creat, et sine quo nihil omnino facit, manifestum utique fuerit ipsum illum esse qui est ex Patre. Siquidem res universæ ejus sunt participes, cum sancti Spiritus participes efficiuntur. Talis autem cum sit, profecto ex nihilo esse non potest, uti nec res esse creata, sed potius verus et proprius est ex Patre fetus, non secus ac splendor ex luce.

25. Itaque cum Patres Nicænæ synodi ita sentirent, hujusmodi dictiones (13) illis scribere visum est. Quod vero ipsi eas non sibi **181** excogitaverint, ut illi quidem objiciunt, sed ab aliis se antiquioribus acceperint, age, id quoque ostendamus, ne vel hæc ipsa incusatio illis supersit. Discite igitur, o Christi hostes Ariani, Theognostum virum eruditum minime refugisse ab hac ipsa dictione *ex substantia*. Nam in secundo *Hypotyposeon* hæc de Filio scribit: « Non extrinsecus adinventum est Filii substantia, neque ex nihilo educta, sed ex Patris substantia nata est, ut lucis splendor et aquæ vapor: neque enim splendor aut vapor ipsa aqua vel ipse sol est: neque rursus aliquid est alienum, sed est aliquid emanans ex Patris substantia, ita tamen ut nullam divisionem eadem Patris substantia sit perpessa. Ut enim sol idem manens radiis ab ipso profluentibus non minuitur; ita neque Patris substantia mutationem ullam patitur, cum Filium sui ipsius imaginem habet. » Sic igitur Theognostus suam ipse mentem his verbis aperuit, cum ea quæ antea proposuerat, non nisi exercitationis gratia expendisset. Cum item Dionysius Alexandriæ episcopus ex his

(13) *Ex substantia et consubstantialis.*

(14) *Reg. ἀτέχνως.*

(15) *Sic Reg. At alii et editi, δηλονότι.*

(16) Ut ista intelligantur, notandum est Theognostum, teste Photio *Biblioth. cod. 406*, septem composuisse orationes, in quarum prioribus ac præcipue in secunda minus orthodoxe videtur sentire de Dei Filio, quem scilicet rem creatam esse docet: at in septima et postrema oratione orthodoxe sentit de Filio, de quo nempe hæc habet quæ hic profert S. Athanasius, qui per hæc verba τὰ πρότερα non aliud certe intelligit quam priores ejus orationes, in quibus minus recte de Filio videtur disserere; sed id eum exercitationis tantum gratia scripsisse ait S. Athanasius, non vero ex propria mente, quam ipse in ultima oratione exposuit. Eodem item modo eum defendi posse ait Photius, cujus hæc sunt verba: Υἱὸν δὲ λέγων κτίσμα, αὐτὸν ἀποφαίνει καὶ τῶν λογικῶν μόνον ἐπιστατέν,

A εἴποιεν ἄλλην εἶναι τὴν τοῦ Λόγου οὐσίαν, καὶ ἄλλο τὸ ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐν αὐτῷ φῶς, ἢ ἢ τὸ μὲν ἐν τῷ Υἱῷ φῶς ἐν πρὸς τὸν Πατέρα, αὐτὸς δὲ ξένος κατ' οὐσίαν ὡς κτίσμα. Ἄλλα τοῦτο τοῦ Καϊάφα καὶ τοῦ Σαμοσατέως ἀτεχνῶς (14) ἐστὶ τὸ φρόνημα, ὅπερ ἡ μὲν Ἐκκλησία ἐξέβαλεν, οὗτοι δὲ νῦν ὑποκρίνονται· διὸ καὶ αὐτοὶ, τῆς ἀληθείας ἐκπεσόντες, ἀπεδείχθησαν αἰρετικοί. Εἰ γὰρ ὅλως μετέχει τοῦ ἐκ τοῦ Πατρὸς φωτὸς, διὰ τί μὴ μᾶλλον αὐτὸς ἐστὶ τὸ μετεχόμενον, ἵνα μὴ μέσον αὐτοῦ τι καὶ τοῦ Πατρὸς εὐρίσκηται: Εἰ γὰρ μὴ οὕτως ἐστὶν, οὐκέτι δείκνυται διὰ τοῦ Υἱοῦ γεγενῆσθαι τὰ πάντα, ἀλλὰ δι' ἐκείνου, οὗ καὶ αὐτὸς μετέχει. Εἰ δὲ οὗτος ἐστὶν ὁ Λόγος, ἡ σοφία τοῦ Πατρὸς, ἐν ᾧ ὁ Πατὴρ ἀποκαλύπτεται, καὶ γινώσκεται, καὶ δημιουργεῖ, καὶ οὐ ἄνευ οὐδὲν ὁ Πατὴρ ποιεῖ, δῆλον (15), ὅτι αὐτὸς ἐστὶ τὸ ἐκ τοῦ Πατρὸς· αὐτοῦ γὰρ καὶ πάντα τὰ γενητὰ μετέχει, μετέχοντα τοῦ ἀγίου Πνεύματος. Οὕτω δὲ ὢν, οὐκ ἐστὶ ἐξ οὐκ ὄντων, οὔτε ὅλως κτίσμα, ἀλλὰ μᾶλλον ἐκ· τοῦ Πατρὸς ἴδιον γέννημα, ὡς ἐκ φωτὸς τὸ ἀπαύγασμα.

25. Οἱ μὲν οὖν ἐν τῇ Νικαίᾳ συνελθόντες, ταύτην ἔχοντες τὴν διάνοιαν, τοιαύτας καὶ τὰς λέξεις ἔγραψαν. Ὅτι δὲ οὐχ ἑαυτοῖς πλάσαντες ἐπένοησαν ταύτας· ἐπειδὴ καὶ τοῦτο προφασίζονται· ἀλλ' ἄνωθεν παρὰ τὸν πρὸ αὐτῶν παραλαβόντες εἰρήκασιν, φέρε καὶ τοῦτο διελέγξωμεν, ἵνα μηδὲ αὕτη αὐτοῖς ἡ πρόφασις περιλείπηται. Μάθετε τοίνυν, ὦ Χριστομάχοι Ἀρειανοί, ὅτι Θεόγνωστος μὲν, ἀνὴρ λόγιος, οὐ παρητήσατο τὸ ἐκ τῆς οὐσίας εἰπεῖν. Γράφων γὰρ περὶ Υἱοῦ ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν Ὑποτυπώσεων, οὕτως εἶρηκεν· « Οὐκ ἐξωθέν τις ἐστὶν ἐφρευθεῖσα ἢ τοῦ Υἱοῦ οὐσία, οὐδὲ ἐκ μὴ ὄντων ἐπεστήχθη, ἀλλὰ ἐκ τῆς τοῦ Πατρὸς οὐσίας ἐφυ, ὡς τοῦ φωτὸς τὸ ἀπαύγασμα, ὡς ὕδατος ἀτμίς· οὔτε γὰρ τὸ ἀπαύγασμα οὔτε ἡ ἀτμίς αὐτὴ τὸ ὕδωρ ἐστίν, ἢ αὐτὸς ὁ ἥλιος· οὔτε ἀλλότριον, ἀλλὰ ἀπόρροια τῆς τοῦ Πατρὸς οὐσίας, οὐ μερισμὸν ὑπομενίσσης τῆς τοῦ Πατρὸς οὐσίας. Ὡς γὰρ μένον ὁ ἥλιος ὁ αὐτὸς οὐ μειοῦται ταῖς ἐκχεομέναις ὑπ' αὐτοῦ ἀγχαῖς, οὕτως οὐδὲ ἡ οὐσία τοῦ Πατρὸς ἀλλοίωσιν ὑπέμεινε, εἰκόνα ἑαυτῆς ἔχουσα τὸν Υἱόν. » Ὁ μὲν οὖν Θεόγνωστος (16) τὰ πρότερα ὡς ἐν γυμνασίᾳ ἐξετάσας, ὕστερον τὴν ἑαυτοῦ δόξαν τιθεῖς, οὕτως εἶρηκε. Διονύσιος δὲ ὁ

D καὶ ἄλλ' ἅπτα, ὡς περ Ἀριγένης, ἐπιφέρει τῷ Υἱῷ, εἴτε ὁμοίως ἐκείνῳ δυσσεβείᾳ ἐαλωκώς, εἴτε, ὡς ἂν τις εἴποι ἐκδιασάμενος τὴν ὑπὲρ αὐτοῦ ἀπολογία, ἐν γυμνασίᾳ λόγῳ καὶ οὐ δόξῃ ταῦτα προτιθεῖς, id est, *Cum de Filio disserit, eum rem creatam esse declarat, solisque rebus ratione præditis præsidere, et alia quædam, ut Origenes, Filio affingit, sive eadem ac ille impietate infectus, sive, ut quis forte dixerit ad illum utcumque defendendum, hæc exercitationis gratia, non autem ex propria sententia proposuerit.* Εἰ in fine: Ἐν δὲ τῷ ἐβδόμῳ, ὃν καὶ περὶ Θεοῦ δημιουργίας ἐπιγράφει, εὐσεβέστερόν πως περὶ τῶν ἄλλων διαλαμβάνει, καὶ μάλιστα πρὸς τῷ τέλει τοῦ λόγου περὶ τοῦ Υἱοῦ. *In septima autem oratione, quam de Dei officio inscribit, magis pie cum de aliis rebus, tum præcipue in fine orationis de Filio disputat.* Quis porro fuerit iste Theognostus, ex inscriptione ejusdem Operis apud Photium habemus, ubi hæc leguntur: Ἀνεγνώσθη Θεογνώστου

γενόμενος ἐπίσκοπος τῆς Ἀλεξανδρείας κατὰ τοῦ  
 Σαβελλίου γράφων, τὴν τε κατὰ σάρκα οἰκονομίαν  
 τοῦ Σωτῆρος διὰ πλείονος ἐξηγουμένους, καὶ ἐξ αὐτῆς  
 διελέγων τοὺς Σαβελλίοντας, ὅτι μὴ ὁ Πατὴρ ἐστιν  
 ὁ γενόμενος σὰρξ, ἀλλ' ὁ τοῦτου Λόγος, ὡς εἶπεν ὁ  
 Ἰωάννης· ἐπειδὴ ὑπενοήθη ὡς ποίημα καὶ γεννητὸν  
 λέγων τὸν Υἱὸν, καὶ μὴ ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ, γράφει  
 πρὸς τὸν ὁμώνυμον αὐτῷ Διονύσιον τὸν ἐπίσκοπον  
 Ῥώμης, ἀπολογούμενος συκοφαντίαν εἶναι ταύτην  
 κατ' αὐτοῦ. Μῆτε γὰρ ποιητὸν εἰρηκεῖναι τὸν Υἱὸν,  
 ἀλλὰ καὶ ὁμοούσιον αὐτὸν ὁμολογεῖν διεβεβαίωσατο.  
 Ἔχει δὲ αὐτοῦ ἡ λέξις οὕτω· « Καὶ δι' ἄλλης ἐπι-  
 στολῆς ἔγραψα, ἐν οἷς ἠλεξῆσα καὶ ὁ προφέρουσιν  
 Ἐγκλημα κατ' ἐμοῦ ψεύδος ὄν, ὡς οὐ λέγοντος τὸν  
 Χριστὸν ὁμοούσιον εἶναι τῷ Θεῷ. Εἰ γὰρ καὶ τὸ  
 ὄνομα τοῦτο φημι μὴ εὐρηκεῖναι ποῦ τῶν ἁγίων  
 Γραφῶν, ἀλλὰ γε τὰ ἐπιχειρήματά μου τὰ ἐξῆς, ἃ  
 σεσωπήκασι, τῆς διανοίας ταύτης οὐκ ἀπάδει. Καὶ  
 γὰρ ἀνθρωπίνην γοητὴν παρεθέμην, δῆλον ὡς οὖσαν  
 ὁμογενῆ, φήσας πάντως τοὺς γονεῖς μόνον ἐτέρους  
 εἶναι τῶν τέκνων, ὅτι μὴ αὐτοὶ εἶεν τὰ τέκνα, ἢ  
 μῆτε γονεῖς ἀναγκαῖον ὑπάρχον εἶναι μῆτε τέκνα.  
 Καὶ τὴν μὲν ἐπιστολὴν, ὡς προεῖπον, διὰ τὰς περι-  
 στάσεις οὐκ ἔχω προκομίσει· εἰ δ' οὖν (17), αὐτὰ σοὶ  
 τὰ τότε ῥήματα, μᾶλλον δὲ καὶ πάσης (18) ἂν ἐπεμψα  
 τὸ ἀντίγραφον, ὅπερ, ἂν εὐπορήσω, ποιήσω. Οἶδα  
 δὲ καὶ μέμνημαι πλείονα προσθεῖς τῶν συγγενῶν  
 ὁμοιώματα· καὶ γὰρ καὶ φησὶν εἶπον ἀπὸ σπέρματος  
 ἢ ἀπὸ ρίζης ἀνεβθὸν ἕτερον εἶναι τοῦ ὄθεν ἐβλά-  
 στησε, καὶ πάντως ἐκείνῳ καθέστηκεν ὁμοφυεῖς· καὶ  
 ποταμὸν εἶπον ἀπὸ πηγῆς ῥέοντα ἕτερον ὄνομα μετ-  
 εληφέναι· μῆτε γὰρ τὴν πηγὴν ποταμὸν, μῆτε  
 τὸν ποταμὸν πηγὴν λέγεσθαι, καὶ ἀμφοτέρα ὑπάρ-  
 χειν, καὶ τὸν ποταμὸν εἶναι τὸ ἐκ τῆς πηγῆς  
 ὑδωρ. »

26. Ὅτι δὲ οὐ ποίημα οὐδὲ κτίσμα ὁ τοῦ Θεοῦ  
 Λόγος, ἀλλὰ ἴδιον τῆς (18) τοῦ Πατρὸς οὐσίας γέννημα  
 ἀδιαίρετόν ἐστιν, ὡς ἔγραψεν ἡ μεγάλη σύνοδος, ἰδοὺ  
 καὶ ὁ τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπος Διονύσιος, γράφων κατὰ  
 τῶν τὰ τοῦ (19) Σαβελλίου φρονούντων, σχετιάζει  
 κατὰ τῶν ταῦτα τολμώντων λέγειν, καὶ φησιν οὕτως·  
 « Ἐξῆς δ' ἂν εἰκότως λέγοιμι καὶ πρὸς διαιρού-  
 ντας (20) καὶ κατατέμνοντας καὶ ἀναιρούντας τὸ  
 σεμνότεον κήρυγμα τῆς Ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ, τὴν  
 μοναρχίαν εἰς τρεῖς δυνάμεις τινὰς καὶ μεμερισμένας  
 ὑποστάσεις καὶ θεότητας τρεῖς· πέψυμαι γὰρ εἶναι  
 τινὰς τῶν παρ' ὑμῖν κατηχούντων καὶ διδασκόντων  
 τὸν θεῖον Λόγον ταύτης ὑψηλῆς τῆς φρονήσεως, οἱ  
 κατὰ διάμετρον, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἀντίκεινται τῇ Σα-  
 βελλίαντι ἐκείνῳ »

<sup>16</sup> Joan. 1, 14.

Ἀλεξανδρέως λόγος ἐπιτὰ, οὗ ἡ ἐπιγραφή, Τοῦ μακα-  
 ρίου Θεογνώστου Ἀλεξανδρέως καὶ ἐξηγητοῦ Ὑπο-  
 τυπώσεις. *Lectæ sunt Theognosti Alexandrini ora-  
 tiones septem, ejus operis hæc est inscriptio, Beati  
 Theognosti Alexandrini et interpretis Hypotyposes.*

(17) Εἰ δ' οὖν, supple εἶχον, commodè redditur  
 per vocem *alioquin*, ut patet, quod quia videntur

A quæ adversus Sabellium scripserat, quibus nempe  
 Salvatoris dispensationem secundum carnem per-  
 multis explanabat, ac inde confutabat Sabellianos,  
 ostendebatque non Patrem factum esse carnem, sed  
 Verbum, uti Joannes dicit <sup>16</sup>: cum, inquam, in sus-  
 picionem venisset dixisse Filium rem factam et  
 creatam esse, non vero Patri consubstantialiam, li-  
 teras dedit ad Romæ episcopum Dionysium quoque  
 appellatum: in quibus se expurgans asseverabat  
 calumniam hanc esse adversus se confictam; nun-  
 quam enim se Filium factum dixisse, sed illum Pa-  
 tri consubstantialiam constiteri se affirmabat. Hæc  
 autem sunt ejus verba: « Et aliam epistolam scripsi,  
 ubi ostendi falsam esse qua illi in me utuntur  
 criminatione, quasi scilicet qui negassem Christum  
 Deo esse consubstantialiam. Etsi enim fateor me id  
 nominis nullo in loco sanctarum Scripturarum in-  
 venisse, tamen quæ subsequuntur argumentationes  
 meæ, quas quidem illi reticuerunt, ab hac sententia  
 non discrepant. Quin etiam humani partus exem-  
 plum in medium protuli, quem nempe perspicuum  
 est ejusdem esse naturæ, addidique eo solum paren-  
 tes alios esse a suis liberis, quod ipsi non sint libe-  
 ri, nec item necesse esse aut parentes esse aut  
 liberos. Et hanc quidem epistolam, ut dixi, ob præ-  
 sentem rerum statum exhibendam non habeo: alio-  
 quin, ipsa quæ tunc scripsi verba vel potius integræ  
 epistolæ exemplar misissem, quod, ubi poterò, facere  
 non omittam. Memini vero probeque scio me plurima  
 rerum quæ ejusdem sint generis exempla proposuisse.  
 Namque dixi plantam ex semine vel ex radice ex-  
 ortam, aliam esse ab eo unde producta est, esse  
 tamen ejusdem naturæ; fluvium similiter ex fonte  
 emanantem aliud nomen habere, neque enim fontem  
 dici fluvium, neque fluvium, fontem, utrumque ni-  
 hilominus existere, ita ut fluvius sit aqua ex fonte  
 profluens. »

26. Quod autem Dei Verbum nec factum nec  
 creatum sit, sed proprius et individuus Patris **182**  
 substantiæ fetus, ut scripsit magna synodus: ecce  
 Dionysius quoque Romæ episcopus scribens contra  
 Sabellianos, his verbis adversus illos indignatur  
 qui talia audent dicere. « Jam vero, inquit, æquum  
 fuerit adversus illos disputare, qui augustissimam  
 Dei Ecclesiæ prædicationem, monarchiam in tres  
 quasdam virtutes ac separatas hypostases tresque  
 divinitates dividunt, discindunt, destruuntque. Au-  
 divi enim quosdam ex his, qui apud vos divinum  
 Verbum prædicant et docent, hujus opinionis magi-  
 stros esse, qui quidem ex diametro, ut ita loquar,  
 Sabellii sententiæ adversantur. Illius enim in eo

non animadvertisse interpretes, perperam hunc lo-  
 cum verterunt.

(18) Sic Reg. Cæteri autem et editi, πᾶσιν, ut  
 et legit Ambr. Camald.

(18\*) Reg. τῆς omittit.

(19) Τοῦ abest a Reg.

(20) Reg. τοὺς καταδιαιρούντας.

consistit impietas, quod dicat Filium esse Patrem, et vicissim : illi autem tres Deos quodammodo prædicant, cum sanctam unitatem in tres diversas hypostases inter se omnino separatas dividunt. Necessè est enim divinum Verbum Deo universorum esse unitum, et Spiritum sanctum in Deo manere et habitare, ac denique divinam Trinitatem in unum, quasi in quemdam verticem (Deum universorum omnipotentem dico), reduci et colligi. Nam inutilis Marcionis doctrina quæ monarchiam in tria principia secat et dividit, dlabolica sane est, non autem verorum Christi discipulorum, vel eorum quibus Salvatoris disciplina placet. Hi enim Trinitatem quidem non ignorant in divina Scriptura prædicari, tres autem esse Deos nec in Veteri nec in Novo Testamento doceri. Non minus etiam illi culpandi sunt qui Filium opus esse existimant, et Dominum factum esse sentiunt, quasi videlicet unum esset ex his quæ vere facta sunt, cum divina Scriptura illum genitum esse, ut eidem convenit congruitque, non autem formatum et factum esse testetur. Non levis igitur, sed summa est impietas, Dominum aliquo modo manufactum dicere. Nam si factus est Filius, fuit aliquando, cum non esset : atqui fuit semper, si utique sit in Patre, ut ipse declarat<sup>99</sup>, et si Christus ipsum sit Verbum, sapientia et virtus. Hæc siquidem Christum esse divinæ litteræ docent, ut vobis certe non latet : hæc autem eadem, virtutes Dei sunt ; ac proinde si factus est Filius, fuit ergo aliquando, cum hæc non essent. Igitur tempus fuit, cum sine his esset Deus ; quod perabsurdum est. Sed quid pluribus de his apud vos disseram, viros Spiritu plenos, quibus utique explorata sunt quæ absurda sequuntur ex illorum sententia, qui Filium factum esse contendunt, ad quæ sane non attendisse mihi videntur hujus opinionis duces, atque idcirco a veritate prorsus aberrasse, qui scilicet contra mentem divinæ et prophetiæ Scripturæ hæc verba explicant : *Dominus creavit me principium viarum suarum*<sup>1</sup>. Nec enim, ut scitis, una est significatio verbi, *creavit*. Nam hoc in loco, *creavit*, idem est ac præfecit operibus ab ipso factis, factis, inquam, per ipsum Filium. Hoc autem verbum, *creavit*, hic intelligendum non est pro, *fecit* : siquidem facere et creare inter se differunt. Hinc Moyses in magno Deuteronomii carmine ait : *Nunquid non ipse est Patertuus, qui possedit te, et fecit te, et creavit te*<sup>2</sup> ? Sic etiam illos recte quis possit coarguere : O præcipites temerarii que homines ! Ergone facta res est primogenitus omnis creaturæ<sup>3</sup>, qui ex utero ante luciferum genitus est<sup>4</sup>, qui ut Sapientia dicit : *Ante omnes colles me gignit*<sup>5</sup> ? Denique Scripturæ divinæ

<sup>99</sup> Joan. xiv, 10. <sup>1</sup> Prov. viii, 22. <sup>2</sup> Deut. xxxii, 6.

<sup>3</sup> Coloss. i, 15. <sup>4</sup> Psal. cix, 3. <sup>5</sup> Prov. viii, 25.

(21) Reg. λέγων, ut et legit Ambros. Camald.  
(22) Reg. δοξάσαντας. Basil. δοξάζοντες, et alia huiusmodi, γρ. δοξάσαντας.

(23) Sic Reg. ut et exigit sensus. Editi et alii, et ἐξ

(24) Sic Reg. Alii vero et editi omittunt ταύ-

Α δελλίω γνώμη. Ὁ μὲν γὰρ βλασφημεῖ αὐτὸν τὸν Υἱὸν εἶναι λέγων τὸν Πατέρα, καὶ ἔμπαλιν· οἱ δὲ τρεῖς Θεοὺς τρόπον τινὰ κηρύττουσιν, εἰς τρεῖς ὑποστάσεις ξένας ἀλλήλων παντάπασι κειχωρισμένας διαιροῦντες τὴν ἁγίαν μονάδα· ἠνώσθαι γὰρ ἀνάγκη τῷ Θεῷ τῶν ὄλων τὸν θεῖον Λόγον· ἐμφιλοχερεῖν δὲ τῷ Θεῷ καὶ ἐνδιδαιτᾶσθαι δεῖ τὸ ἅγιον Πνεῦμα· ἤδη καὶ τὴν θεῖαν Τριάδα εἰς ἓνα, ὡσπερ εἰς κορυφὴν τινα (τὸν Θεὸν τῶν ὄλων τὸν παντοκράτορα λέγω [21]) συγκεφαλαιούσθαι τε καὶ συνάγεσθαι πᾶσα ἀνάγκη. Μαρκίωνος γὰρ τοῦ ματαιόφρονος διδάγμα, εἰς τρεῖς ἀρχὰς τῆς μοναρχίας τομὴν καὶ διαίρεσιν, παιδεύμα ὄν διαβολικόν, οὐχὶ δὲ τῶν ὄντως μαθητῶν τοῦ Χριστοῦ καὶ τῶν ἀρεσκομένων τοῖς τοῦ Σωτῆρος μαθήμασιν. Οὗτοι γὰρ Τριάδα μὲν κηρυττομένην ὑπὸ τῆς θείας Γραφῆς σαφῶς ἐπίστανται, τρεῖς δὲ θεοὺς οὔτε Παλαιὰν οὔτε Καινὴν Διαθήκην κηρύττουσαν. Οὐ μείον δ' ἂν τις καταμέμφοιτο καὶ τοὺς ποιήματα τὸν Υἱὸν εἶναι δοξάζοντας (22), καὶ γεγονέναι τὸν Κύριον, ὡσπερ ἐν τι ὄντως γενομένων νομίζοντας, τῶν θεῶν λογίων γέννησιν αὐτῷ τὴν ἀρμόττουσαν καὶ πρέπουσαν, ἀλλ' οὐχὶ πλάσιν τινα καὶ ποιήσιν προσμαρτυρουμένων. Βλάσφημον οὖν οὐ τὸ λέγειν τὸν Κύριον. Εἰ γὰρ γέγονεν Υἱὸς, ἦν ὅτε οὐκ ἦν· αἰεὶ δὲ ἦν, εἰ γε (23) ἐν τῷ Πατρὶ ἐστίν, ὡς αὐτὸς φησὶ, καὶ εἰ Λόγος καὶ σοφία καὶ δύναμις ὁ Χριστός· ταῦτα γὰρ εἶναι τὸν Χριστὸν αἰθεῖα λέγουσι Γραφαί, ὡσπερ ἐπίστασθε· ταῦτα δὲ δυνάμεις οὐσαὶ τοῦ Θεοῦ τυγχάνουσιν. Εἰ τοίνυν γέγονεν ὁ Υἱὸς, ἦν ὅτε οὐκ ἦν ταῦτα· ἦν ἄρα καιρὸς, ὅτε χωρὶς τούτων ἦν ὁ Θεός. Ἀτοπώτατον δὲ τοῦτο. Καὶ τί ἂν ἐπὶ πλέον περὶ τούτων πρὸς ὑμᾶς διαλεγόμην, πρὸς ἄνδρας πνευματοφόρους καὶ σαφῶς ἐπισταμένους τὰς ἀτοπίας τὰς ἐκ τοῦ ποιήματι λέγειν τὸν Υἱὸν ἀνακοπούσας ; αἷς μοι δοκοῦσι μὴ προσεσχηκέναι τὸν νοῦν οἱ καθηγησάμενοι τῆς δόξης ταύτης (24), καὶ διὰ τοῦτο κομιδῇ τοῦ ἀληθοῦς διημαρτηκέναι, ἐτέρως ἢ βούλεται ταύτῃ ἡ θεία καὶ προφητικὴ Γραφή τὸν Κύριον ἐκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ, ἐκδεξάμενοι. Οὐ μία γὰρ ἡ τοῦ ἐκτισεν, ὡς ἴστε, σημασία· ἐκτισε γὰρ ἐνταῦθα ἀκουστέον ἀντὶ τοῦ, ἐπέστησε τοῖς ὑπ' αὐτοῦ γενομένοις ἔργοις, γεγονόσι δὲ δι' αὐτοῦ τοῦ Υἱοῦ· οὐχὶ δὲ γε τὸ ἐκτισε νῦν λέγοιτ' ἂν (25) ἐπὶ τοῦ ἐποίησε· διαφέρει γὰρ τοῦ ποιῆσαι τὸ κτίσαι. Οὐκ αὐτὸς οὐτός σου Πατὴρ ἐκτίσαστό σε, καὶ ἐποίησέ σε, καὶ ἐκτισέ σε ; τῆν ἐν τῷ Δευτερονομίῳ μεγάλην ὑδῆ ὁ Μωσῆς φησὶ. Πρὸς ὅς καὶ εἶποι ἂν τις· Ὡ βίψοκίνδουνοι ἀνθρώποι ! ποιήμα ὁ πρωτότοκος πάσης κτίσεως, ὁ ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου γεννηθεὶς, ὁ εἰπὼν ὡς Σοφία· Πρὸ δὲ πάντων βουνῶν γερῶν ἡ με ; Καὶ πολλοῦ δὲ τῶν

της. Mox Reg. pro ἡ habet ἦ.

(25) Sic mss. et ed. Commel. At edit. Parisiensis, ἀντὶ. Cæterum ἂν ἐπὶ idem hic significat ac ἀντὶ. Mox τὸ κτίσαι quod abest ab ed. Commel. restituitur ex mss. Reg. et Basil. hancque vocem legerunt Nannius et Ambros. Camald.

θειων λογίων γεγενῆσθαι, ἀλλ' οὐ γεγονέναι τὸν Ἰῶν λεγόμενον εὔροι τις ἄν· ὄφ' ὧν καταφανῶς ἐλέγχονται τὰ ψεύδη (26) περὶ τῆς τοῦ Κυρίου γεννήσεως ὑπολαμβάνοντες οἱ ποιήσιν αὐτοῦ τὴν θείαν καὶ ἀβρότητον γέννησιν λέγειν τολμῶντες. Οὐτ' οὖν καταμερίζειν χρῆι εἰς τρεῖς θεότητας τὴν θαυμαστὴν καὶ θείαν μονάδα· οὕτε ποιήσει κωλύειν τὸ ἀξίωμα καὶ τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τοῦ Κυρίου· ἀλλὰ πεπιστευκέναι εἰς Θεὸν Πατέρα παντοκράτορα, καὶ εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν τὸν Ἰῶν αὐτοῦ, καὶ εἰς τὸ ἅγιον Πνεῦμα, ἠνώσθαι δὲ τῷ Θεῷ τῶν ὄλων τὸν Λόγον· Ἐγὼ γάρ, φησι, καὶ ὁ Πατήρ ἐν ἑσμεν· καὶ, Ἐγὼ ἐν τῷ Πατρὶ, καὶ ὁ Πατήρ ἐν ἐμοί. Οὕτω γάρ ἄν καὶ ἡ θεία Τριάς, καὶ τὸ ἅγιον κήρυγμα τῆς μοναρχίας διασώζοιτο. »

27. Περὶ δὲ τοῦ αἰδῶς συνεῖναι τὸν Λόγον τῷ Πατρὶ, καὶ μὴ ἑτέρας οὐσίας ἢ ὑποστάσεως, ἀλλὰ τῆς τοῦ Πατρὸς ἰδίᾳ αὐτὸν εἶναι, ὡς εἰρηχασιν οἱ ἐν τῇ συνόδῳ, ἐξέστω πάλιν ὑμᾶς ἀκοῦσαι καὶ παρὰ τοῦ φιλοπόνου Ὀριγένους. Ἄ μὲν γὰρ ὡς ζητῶν καὶ γυμνάζων ἔγραφε, ταῦτα μὴ ὡς αὐτοῦ φρονούντος δεχέσθω τις· ἀλλὰ (27) τῶν πρὸς ἕριν φιλονεικούντων ἐν τῷ ζητεῖν, ἀδῶς ὀρίζων ἀποφαίνεται, τοῦτο (28) τοῦ φιλοπόνου τὸ φρόνημά ἐστι. Μετὰ γοῦν τὰ ὡς ἐν γυμνασίᾳ λεγόμενα πρὸς τοὺς αἰρετικούς εὐθύς αὐτὸς ἐπιφέρει τὰ ἴδια, λέγων οὕτως· « Εἰ ἔστιν εἰκὼν τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου, ἀόρατος εἰκὼν· ἐγὼ δὲ τολμήσας προσθεῖην ἄν, ὅτι καὶ ὁμοίτης τυγχάνων τοῦ Πατρὸς οὐκ ἔστιν ὅτε οὐκ ἦν. Πότε γὰρ ὁ Θεὸς, ὁ κατὰ τὸν Ἰωάννην φῶς λεγόμενος (Ὁ Θεὸς γὰρ φῶς ἐστίν), ἀπαύγασμα οὐκ εἶχε τῆς ἰδίας δόξης, ἵνα τολμήσας τις ἀρχὴν ὄψιν εἶναι Ἰοῦ (29) πρότερον οὐκ ὄντος; Πότε δὲ ἡ τῆς ἀβρότητος καὶ ἀκατονομάστου καὶ ἀφθέγκτου ὑποστάσεως τοῦ Πατρὸς εἰκὼν (30), ὁ χαρακτήρ, Λόγος, ὁ γινώσκων τὸν Πατέρα, οὐκ ἦν; Κατανοεῖτω γὰρ ὁ τολμῶν καὶ λέγων, Ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν ὁ Ἰῶς, ὅτι ἐρεῖ καὶ τὸ· Σοφία ποτὲ οὐκ ἦν, καὶ Λόγος οὐκ ἦν, καὶ, Ζωὴ οὐκ ἦν. » Καὶ πάλιν ἐν ἑτέροις οὕτω λέγει· « Ἄλλ' οὐ θέμις ἐστὶν οὐδὲ ἀκίνδυνον διὰ τὴν ἀσθένειαν ἡμῶν τὸ, ὅσον ἐφ' ἡμῖν (31), ἀποστειλεῖσθαι τὸν Θεὸν τοῦ ἀεὶ συνόντος αὐτῷ Λόγου μονογενοῦς, σοφίας ὄντος ἢ προσέχειν· οὕτω γὰρ οὐδὲ ἀεὶ χαίρων νοηθήσεται. » Ἰδοὺ ἡμεῖς μὲν ἐκ Πατέρων εἰς Πατέρας διαβεβηκέναι τὴν τοιαύτην διάνοιαν ἀποδεικνύομεν· ὑμεῖς δὲ, ὡ νεοὶ Ἰουδαῖοι καὶ τοῦ Κατὰφα μαθηταί, τίνας ἄρα τῶν βημάτων ὑμῶν ἔχετε δεῖξαι Πατέρας; Ἄλλ' οὐδένα τῶν φρονίμων καὶ σοφῶν ἄν εἰποιτε· πάντες γὰρ ὑμᾶς ἀποστρέφονται πλὴν μόνου τοῦ διαβόλου· μόνος γὰρ ὑμῖν οὗτος τῆς τοιαύτης ἀποστασίας πατήρ γέγονεν, ὁ καὶ κατὰ τὴν ἀρχὴν ὑμῖν ἐπιστείρας τὴν ἀσέβειαν ταύτην, καὶ νῦν λοιδορεῖν τὴν οἰκουμένην συνόδον πείσας ὑμᾶς, ὅτι μὴ τὰ

A multis in locis genitum eum dicunt, nusquam vero factum : ex quibus aperte convincuntur falsa de Domini generatione opinari, hi qui divinam ejus atque inexplicabilem generationem, factionem audent dicere. Itaque admirabilis divinaque unitas in tres divinitates non est separanda, neque factionis vocabulo dignitas summaque Domini magnitudo est diminuenda ; sed credendum est in Deum Patrem omnipotentem, et in Christum Jesum ejus Filium, et in Spiritum sanctum, ac Verbum Deo universorum esse unitum. *Ego enim, inquit, et Pater unum sumus* ; et, *Ego in Patre, et Pater in me est* . Ita scilicet divina Trinitas et sancta monarchiæ prædicatio integra servabitur. »

B 27. Quod autem Verbum ab æternitate sit cum Patre, nec alterius quam Patris substantiæ vel hypostasis proprius sit, ut declaravit synodus, liceat vos iterum a laborioso Origene audire. Nam quæ ille velut inquirens et disputans scripsit, non ita accipienda sunt, quasi sic ipse sentiret, sed ex eorum mente quibuscum disputat : at quæ silenter definit et affirmat, hæc vera est viri hujus perquam studiosi sententia. Itaque post ea quæ exercitationis gratia ad hæreticos dixit, statim propriam ipse mentem his verbis exponit : « Si est imago D i invisibilis, invisibilis quoque est ipsa imago. Quin etiam addere ausim cum sit similitudo Patris, non posse fieri ut aliquando non fuerit. Quando enim Deus, quem Joannes lucem appellat (nam *Deus lux est* ), propriæ gloriæ splendore caruit, ut quis audeat principium existendi Filio tribuere, quasi scilicet antea non fuisset? Quandoam vero non erat Verbum, Verbum, inquam, quod et Patrem cognoscit, et est character ac imago ejusdem substantiæ , quæ digne nec exprimi, nec nominari, nec proferri possit? Intelligat enim qui dicere audeat, Fuit aliquando cum non esset Filius, idem esse ac si diceret, Sapientia aliquando non erat, Verbum non erat, et, Vita non erat. » Idem rursus ita alibi loquitur : « Verum nefas est, nec periculo vacat, propter nostram infirmitatem, Deum, quantum in nobis est, unigenito privare Verbo quod semper cum illo fuit, et illa erat sapientia qua delectabatur . Alioquin enim non semper fuisse delectatum intelligendum erit. » En igitur nos quidem hanc sententiam a Patribus ad Patres transisse demonstramus : vos vero, o novi Judæi et Caiphæ discipuli, quos Patres qui vestris oculis faverint exhibere potestis? Nullum certe prudentem et sapientem unquam proferetis; omnes enim a vobis abhorrent præter unum diabolum, qui nempe solus hujus vestræ defectionis pater et auctor existit, vo-

° Joan. x, 30. ° Joan. xiv, 10. ° I Joan. i, 5. ° Hebr. i, 3. ° Prov. viii, 30.  
 (26) Reg. et Basil. ψευδῆ.  
 (27) Certe legendum ἀλλ' ἄ, idque omnino exigit sensus.  
 (28) Sic Reg. Alii et editi, τούτου. Mox Reg. Μετὰ γοῦν, ubi alii et editi Μετὰ οὖν.  
 (29) Editio Parisiensis particulam ὡς addit ante πρότερον, sed abest a mss. et edit. Commel.; eam tamen nihil vetat in Latino exprimi.  
 (30) Reg. εἰκὼν omittit.  
 (31) Sic Regius. Editi autem et alii, ἡμῶν.

lisque primum impietatem hanc insemnavit, ac etiam nunc suadet ut œcumenicam synodum vestris maledictis insectemini, quia videlicet non vestra sed illa definierit quæ ab initio tradidere testes oculati qui et ministri Verbi fuere. Nam fides quam synodus scripto confessa est, ipsa vere est catholica Ecclesiæ, quam ut tuerentur, placuit beatis Patribus ita scribere, Arianamque hæresim condemnare. Hinc illi potissimum ob hanc causam synodum calumniari conantur. Nam non tam huiusmodi dictionibus cruciantur, quam quod inde etiam hæreticis audaciores.

28. Itaque cum suas illas voculas futes esse tunc pateret, cumque tam facile eorum impietas semper convinceretur, vocem **184** ἀγενήτου, id est, non facti, a Græcis seu Gentilibus sunt mutuati, ut huiusmodi innixi vocabulo rursus inter res factas et creatas Dei Verbum, per quod res ipsæ factæ sunt, numerarent: tanta eorum est in propria impietate asserenda impudentia, tantave pertinacia in blasphemias adversus Dominum proferendis. Si igitur tantam præ se ferunt impudentiam, quia huius vocis significationem ignorant, sane id ab his ipsis, a quibus eam accepere, ediscendum erat. Hi nempe mentem quam ex bono, et animam quam ex mente esse aiunt, quamvis unde illæ sint eis non lateat, tamen non factas dicere nihil sunt veriti, non ignari scilicet se hoc vocabulo, nihil de primo principio, ex quo ipsæ quoque exortæ sunt, detrahere. Ita, inquam, illos quoque loqui decebat, aut certe nullo modo de his quæ ignorant, disserere. Quod si quid hæc vox significet, se intelligere putant, necesse omnino est ut ipsos interrogemus, maxime cum ea ex divinis litteris non sit collecta, sed nulla illi Scripturæ auctoritate fulti pro ipsa pugnent. Enimvero ego quidem memoravi qua de causa quoque sensu

ἄμετέρα, ἀλλὰ ταῦτα γεγράψασιν, ἄπερ οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται τοῦ Λόγου γενόμενοι παραδεδώκασιν. Ἦν γὰρ ἡ σύνοδος ἐγγράφως ὠμολόγησε πίστιν, αὕτη τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας ἐστὶ. Ταύτην ἐκδικοῦντες οἱ μακάριοι Πατέρες οὕτως ἔγραψαν, καὶ κατέκριναν τὴν Ἀρειανὴν αἵρεσιν· διὸ μάλιστα καὶ διαβάλλειν τὴν σύνοδον ἐπιχειροῦσιν. Οὐ γὰρ αἱ λέξεις αὐτοῦς λυποῦσιν, ἀλλ' ὅτι ἐν αὐταῖς ἀπεδείχθησαν αἰρετικοί, καὶ τῶν ἄλλων αἰρέσεων (32) τολμηρότεροι. **convicti sunt non solum hæretici esse, sed aliis**

28. Ἀμέλει τῶν λεξειδίων αὐτῶν δειχθέντων τότε φαύλων, καὶ αἰεὶ δὲ εὐελέγκτων ὄντων ὡς ἀσεδῶν, ἐχρήσαντο παρ' Ἑλλήνων λοιπὸν τὴν λέξιν τοῦ ἀγενήτου (33), ἵνα προφάσει καὶ τοῦτου τοῦ ὀνόματος ἐν τοῖς γενητοῖς πάλιν καὶ τοῖς κτίσμασι συναριθμῶσι τὸν τοῦ Θεοῦ Λόγον, δι' οὗ αὐτὰ τὰ γενητὰ γέγονεν· οὕτως εἰσι πρὸς ἀσέθειαν ἀνάσχυντοι, καὶ πρὸς τὰς τοῦ Κυρίου βλασφημίας φιλόνοιχοι. Εἰ μὲν οὖν, ἀγνοοῦντες τὸ ὄνομα, οὕτως ἀναίσχυνοῦσιν, ἔδει μαθεῖν αὐτοῦς παρὰ τῶν αὐτοῖς δεδωκότων αὐτό, ὅτι (34) καὶ ὅν λέγουσιν ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ νοῦν καὶ τὴν ἐκ τοῦ νοῦ ψυχὴν, καίτοι γινώσκοντες τὸ ἐξ ὧν εἰσιν, οὐκ ἐφοβήθησαν ὁμῶς καὶ αὐτὰ εἰπεῖν ἀγενήτα, εἰδότες, ὅτι, καὶ τοῦτο λέγοντες, οὐκ ἐλαττοῦσι τὸ πρῶτον, ἐξ οὗ καὶ ταῦτα πέφυκε· καὶ ἡ καὶ αὐτοῦς οὕτω λέγειν, ἢ μηδὲν λέγειν περὶ ὧν οὐκ ἴσασιν· εἰ δὲ νομίζουσι γινώσκειν, ἀναγκαῖον αὐτοῦς ἐρωτῆσαι, ἐπεὶ μάλιστα καὶ οὐκ (35) ἔστιν ἐκ τῶν θεῶν Γραφῶν ἡ λέξις, ἀλλὰ πάλιν ἀγγράφως λαλοῦντες φιλονεικοῦσιν. Ἐγὼ μὲν γὰρ τὴν αἰτίαν καὶ τὴν διάνοιαν, καθ' ἣν ἡ σύνοδος τὸ ἐκ τῆς οὐσίας καὶ τὸ ὁμοούσιον συμφώνως τοῖς ἐκ τῶν Γραφῶν περὶ τοῦ Σωτῆρος εἰρημένοις, καὶ ὅσοι πρὸ αὐτῶν ἐξέθεντο Πατέρες καὶ ἔγραψαν,

(32) Editio Parisiensis, αἰρετικῶν. At mss. et editio Commel. αἰρέσεων. Nihilominus commode rediit per vocem *hæreticis*.

τὰ ἐπιχειρήματά μου τὰ ἐξῆς, ἃ σασιωπήχασαι, τῆς  
διανοίας ταύτης οὐκ ἀπάδει. Καὶ γὰρ (74) ἀνθρωπιαν  
γονὴν παρεθέμην, δῆλον ὡς οὖσαν ὁμογενή· φήσας  
πάντως τοὺς γονεῖς μόνον τέτρωτος εἶναι τῶν τέκνων,  
ὅτι μὴ αὐτοὶ εἶεν τὰ τέκνα, ἢ μήτε γονεῖς ἀναγ-  
καῖον ὑπάρχειν εἶναι μήτε τέκνα (75)· καὶ τὴν  
μὲν ἐπιστολήν, ὡς προείπον, διὰ τὰς περιστάσεις  
οὐκ ἔχω προκομίσαι· εἰ δ' οὖν, αὐτὰ σοὶ τὰ τότε  
ῥήματα, μᾶλλον δὲ καὶ (76) πάσης ἀν ἔπεμψα  
τὸ ἀντίγραφον· ὅπερ, ἀν εὐπορήσω, ποιήσω. Οἶδα  
δὲ καὶ μέμνημαι, πλείονα προσθεῖς τῶν συγγε-  
νῶν ὁμοιώματα. Καὶ γὰρ καὶ φυτὸν εἶπον ἀπὸ σπέρ-  
ματος, ἢ ἀπὸ ρίζης ἀνελθόν, ἔτερον εἶναι τοῦ θέν  
ἐδλάσθησε, καὶ πάντως ἐκέλευ (77) κατέστηκεν ὁμο-  
φυές, καὶ ποταμὸν ἀπὸ πηγῆς βέοντα, ἔτερον σχῆμα  
καὶ ὄνομα μετεκληθέναι· μήτε γὰρ τὴν πηγὴν ποτα-  
μὸν, μήτε τὸν ποταμὸν πηγὴν λέγεσθαι, καὶ ἀμφοτέ-  
ρα ὑπάρχειν· καὶ τὴν μὲν πηγὴν οἶονεῖ Πατέρα (78)

(69) Taurin. Colb. Jes. Fr. 1, στερεῖσθαι.

(70) Eximia hæc clausula, τὴν μονάδα πλατύνομεν  
ἀδιαίρετον, καὶ τὴν Τριάδα πάλιν ἀμείωτον εἰς τὴν  
μονάδα, quæ in editis desideratur, in omnibus mss.  
habetur, et a veteri interprete versa est : ut nihil  
dubium sit eam typographi mendo omissam fuisse,  
quod hæc verba, τριάδα εἰ μονάδα, similiter desine-  
rent : quod item palam est ex iis quæ habentur in-  
fra num. 19. Isidorus Pel. l. II, ep. 144 : Τὸ δὲ πλατύ-  
νοντα εἰς τὴν ἁγίαν Τριάδα τὰς ὑποστάσεις εἰς μίαν  
οὐσίαν συνάγειν ὀρθότατόν ἐστι καὶ ἀληθέστατον δόγμα.  
Id est : At personas in sanctam Trinitatem dilatare  
atque in unam essentiam colligere, rectissimum ac  
verissimum dogma est. Mox Reg. Taurin. Colb. Jes.  
Fr. 1, αἰτιασαμένων· editi, αἰτιωμένων. Ib. editi men-  
dose, λεγόντων· sed Reg. Taurin. Colb. et Basil.  
secunda manu, λέγοντα.

(71) Tiva deest in Taurin. Colb. Fr. 1, et in J. s.  
secunda manu deletum est. Mox in iisdem sic, τῶν  
μὲν ἀχρησιότερων πρότερον ἐξ, etc. Ibid. Colb. et  
Fr. 1, ἐπεὶ μήτε τῷ γεωργῷ ἔφη τὸ φυτὸν.  
Quorum postremus post τὸ σκάφος addit συγγενές.

A que Patris vocabulum commune quidpiam indicat.  
In manibus autem illorum est Spiritus, qui neque a  
mittente, neque a ferente separari potest. Quomo-  
do igitur ego qui talibus utor nominibus, illa a se in-  
vicem separata et omnino divisa existimem? » Et  
paucis interjectis hæc addit : « Sic quidem nos  
indivisibilem unitatem in Trinitatem dilatamus, et  
Trinitatem iterum, quæ imminui nequit, in unitatem  
contrahimus.

201 18. Hinc accusatores suos qui eum men-  
tiebantur dixisse, Filium inter res factas computari,  
et nequaquam esse Patri consubstantialem, iterum  
in primo libro coarguit his verbis : « Cæterum ubi res  
factas, et opificia quædam consideranda dixi, eorum  
exempla ut minus utilia cursim protuli, cum dixi :  
B Neque planta idem est quod agricola, neque scapha  
idem quod navium faber : deinde in congruis et natu-  
ræ rei accommodatoribus magis sum immoratus ;  
ac pluribus ea quæ certioris flui erant exposui, variis  
excogitatis exemplis quæ tibi in alia epistola scripsi,  
quibus criminationem eorum depuli mendacemque  
ostendi, qua aiebant me Christum negare esse Deo  
consubstantialem. Tametsi enim fateor me hoc vo-  
cabulum nusquam in Scripturis sacris vel invenisse  
vel legisse, attamen argumenta mea, quæ subse-  
quuntur, quæque isti tacuerunt, ab hæc sententia  
nihil discrepant. Etenim humanam prolem in exem-  
plum attuli, quam patet esse ejusdem generis ac ge-  
nitorem : dixique revera in hoc solum parentes dif-  
ferre a filiis, quod ipsi non sint filii : alias necesse  
fore neque parentes existere, neque filios. Episto-  
lam autem, ut ante dixi, ob præsentem rerum con-  
ditionem, penes me non habeo ; alioquin ipsa tibi  
quæ tunc scripsi verba, imo epistolæ totius exem-  
plar misissem, mittamque si quando mihi ejus copia  
fuerit. Memini porro me plurimas ex rebus inter se  
cognatis similitudines conglobasse. Etenim plantam  
sive ex semine sive ex radice succrescentem, aliam  
dixi esse ab eo unde pullulavit, etsi ejusdem omnino  
sit naturæ : fluviumque a fonte fluentem, aliam  
formam et nomen accipere : neque enim aut fontem  
fluvium, aut fluvium fontem dici ; sed utrumque

(72) Hic quidpiam omissum videtur.

(73) Sic Reg. Colb. Jes. Fr. 1. Taurinensis vero  
cum editis, προσεξευρών.

D (74) Sic Reg. Taurin. Colb. Jes. Editi vero, Καὶ  
γὰρ καὶ.

(75) Tota hæc sententia, ἢ μήτε γονεῖς ἀναγκαῖον  
ὑπάρχειν εἶναι μήτε τέκνα, quod duæ clausule in  
hanc vocem τέκνα terminarentur, in editis omissa  
fuerat : sed habetur in Reg. Taurin. Colb. Jes. Fr.  
1, itemque præcedenti Tract. (ubi legitur ὑπόρ-  
χον) et infra in libro *De synodiis*. Mox Taurin. Colb.  
Jes., προσκομίσαι.

(76) Καὶ deest in Taurin. Jes., et Colb. qui  
ultimus idem habet πάσην. Basil. secunda manu,  
πᾶσιν.

(77) Sic Reg. Taurin. et Fr. 1. Editi vero, ἐκείνο.  
Mox. Reg. Taurin. Colb. Jes., ὁμοφυές. Et ita lei-  
gus Nannius qui vertit, *ejusdem naturæ*. Editi, ὁμοι-  
φυές. Paulo post Taurin. Colb. Jes. Fr. 1, καὶ σχῆ-  
μα καὶ.

(78) Τὸν ante Πατέρα, et mox τὸ ante ἐξ

existere : ac fontem quasi Patrem esse, fluvium vero, aquam ex fonte manantem. Sed hæc quidem et similia scripta se non videre quasi cæcutientes dissimulant : duabus autem oculis inconnexis, quasi lapidibus eminus me impetere conantur : non advertentes, perobscuris rebus quæ ut intelligantur additione indigent, plerumque non modo aliena, sed et contraria exempta lucem afferre. » In tertio autem libro ait : « Vita ex vita genita est, quemadmodum flumen a fonte emanavit, et a luce inextincta splendida lux accensa est. »

19. His auditis, quis non insanix deinceps eos accusabit, qui Dionysium Arianice sentire suspicantur? Næ ille, his argumentis ab ipsa veritate profectis, totam Arii proterit hæresim. Nam illud, Non erat priusquam gigneretur, et, Erat quando non erat *splendoris* vocabulo confutat, necnon his verbis : Pater ejus nunquam absque prole fuit. Illud autem quod aiunt, ex non exstantibus, refellit, dicendo, Verbum esse quasi fluvium ex fonte, ut germen ex radice, filium ex parente, lumen ex lumine, et vitam ex vita. Quod autem illi separant et dividunt Verbum a Deo, id ille improbat cum ait, Trinitatem, quæ nec dividi nec minui potest, in unitatem **202** contrahi. Quod vero aiunt, alienum esse Filium a substantia Patris, aperte respuit cum dicit, consubstantialem Patri esse Filium. Illic sane summo opere miranda impiorum hominum impudentia. Dionysio namque, quem doctrinæ suæ paria sensisse affirmant, dicente, consubstantialem esse Filium, ipsi tamen haud secus quam culices circumquaque susurrant, quasi synodus *consubstantialis* vocem haud rocte scripto mandarit. Si enim sibi amicam Dionysium existimant, ne doctrinam negent viri secum sentientis. Quod si putant id non recte dictum fuisse, quare Dionysium, qui idipsum ait, quasi secum sentientem jactitant? cum præsertim is non obiter hoc dicat, sed aliis antea missis epistolis, eos qui se insimulabant quasi diceret Filium non esse Patri consubstantialem, mendacii coarguat : illos vero qui putabant se dixisse, Verbum esse factum, refellat, negans se prout illi existimant sentire, sed tametsi voces illas protulit, eo solum illud se dixisse testatur, ut ostenderet non Patrem sed Filium esse qui conditum, creatum, et factum corpus induit : quocirca Filius conditus, factus et creatus fuisse dicitur.

της, quæ in editis legebantur, desunt in Reg. Taurin. Colb. Jes., sed habentur in lib. *De synodis*, ubi hæc verba referuntur.

(79) Sic Reg. Taurin. Jes. Editi, τοὺς δυοί. Paulo post Taurin. Colb. Jes. et Fr. 1, με βάλλειν, et ita legit vetus interpr. Editi vero cum Regio, ἐμ-βάλλειν.

(80) Sic Reg. Taurin. Colb. Jes. Fr. 1. Editi, ἐν τῷ. Mox Jes. ἐγενήθη.

(81) Sic Reg. Taurin. Jes., Basil. Fr. 1. Editi vero mendose, τοῦ θε. Ἐξ οὐκ ὄντων αὐτόν.

εἶναι, τὸν δὲ ποταμὸν εἶναι ἐκ τῆς πηγῆς ὕδωρ. Ἄλλὰ ταῦτα μὲν καὶ τὰ τοιαῦτα μὴδὲ ὄρθην γεγραμμένα, ἀλλ' οἶονεὶ τυφλώττειν ὑποκρίνονται τοῖς δὲ δυοί (79) ῥηματίοις ἀσυνθέτοις, καθάπερ λίθοις, μακρόθεν ἐπιχειροῦσί με βάλλειν, ἀγνοοῦντες ὡς τῶν ἀγνοουμένων, καὶ προσαγωγῆς εἰς ἐπίγνωσιν δεομένων, οὐ μόνον ἀλλοῖα πολλακίς, ἀλλὰ καὶ ὑπεναντία τεκμήρια γίνεται τῶν ἐπιζητουμένων δηλώματα. » Ἐν δὲ τῷ (80) τρίτῳ βιβλίῳ φησί : « Ζωὴ ἐκ ζωῆς ἐγενήθη· καὶ ὡσπερ ποταμὸς ἀπὸ πηγῆς ἐβρέυσεν· καὶ ἀπὸ φωτὸς ἀσδέστου λαμπρὸν φῶς ἀνέφθη. »

19. Τίς τούτων ἀκούων οὐ μανίας λοιπὸν καταφθίσειται τῶν ὑπονοούντων τὸν Διονύσιον τὰ Ἀρείου φρονεῖν ; Ἴδου γὰρ διὰ τούτων φανερώς πᾶσαν αὐτοῦ πατεῖ τὴν αἵρεσιν τοῖς τῆς ἀληθείας λογισμοῖς. Τὸ μὲν γὰρ, οὐκ ἦν πρὶν γεννηθῆναι, καὶ τὸ, Ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν, ἀναιρεῖ τῷ τοῦ ἀπαντήματος λόγῳ· καὶ λέγων, ὅτι· Τούτου ὁ Πατὴρ οὐκ ἦν ποτε ἄγονος· τὸ δὲ, Ἐξ οὐκ ὄντων (81), αὐτῶν, ἀναιρεῖ ἐν τῷ λέγειν, τὸν Λόγον εἶναι ὡς ποταμὸν ἀπὸ πηγῆς, καὶ βλαστὸν ἀπὸ ῥίζης, καὶ τέκνον ἀπὸ γονέως, καὶ φῶς ἐκ φωτὸς, καὶ ζωὴν ἐκ ζωῆς· καὶ τὸ μὲν ἀποσχοινοῖσιν καὶ διαιρεῖν αὐτοὺς (82) τὸν Λόγον ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, ἀναιρεῖ λέγων αὐτὸς ἀδιαιρέτον καὶ ἀμειώτον τὴν Τριάδα εἰς μονάδα συγκεφαλαιοῦσθαι. Τὸ δὲ λέγειν αὐτοὺς ἀλλότριον εἶναι τὸν Υἱὸν τῆς τοῦ Πατρὸς οὐσίας, ἀντικρίον πατεῖ λέγων, ὁμοούσιον εἶναι τὸν Πατέρα τὸν Υἱόν. Ἐφ' ᾧ καὶ θαυμάσειεν ἂν τις τὴν ἀναίδειαν τῶν δυσσεβῶν πῶς Διονυσίου, ὃν λέγουσιν ὁμόδοξον ἑαυτῶν (85) εἶναι, λέγοντος ὁμοούσιον τὸν Υἱόν, αὐτοὶ περιέρχονται ὡς κώνωπες περιδομοῦντες, ὡς οὐκ ὀρθῶς γραψάσης τῆς συνόδου τὸ ὁμοούσιον· εἰ γὰρ Διονυσίος ἐστὶν αὐτοῖς φίλος, μὴ ἀρνεσθῶσαν τὰ τοῦ ὁμόφρονος· εἰ δὲ νομίζουσι μὴ ὀρθῶς εἰρησθαι, πῶς τὸν τοῦτο λέγοντα Διονύσιον θρυλοῦσιν (84), ὡς τὰ αὐτῶν φρονούντα ; μάλιστα ὅτι οὐδὲ ἐκ παρέργου ταῦτα λέγων φαίνεται, ἀλλὰ πρότερον ἄλλας ἐπιστολάς γράψας, τοὺς μὲν (85) κατειρηκότας αὐτοῦ ὡς μὴ λέγοντος ὁμοούσιον τὸν Υἱὸν τῷ Πατρὶ διελέγει ψευδομέτους· τοὺς δὲ νομίζοντας αὐτὸν λέγειν γεννητὸν (86) τὸν Λόγον, παρακρούεται ὅτι μὴ οὕτως ὡς νομίζουσιν ἐφρόνησεν, ἀλλ' εἰ καὶ τὰς λέξεις εἰρηκε, διὰ τυυτό φησιν εἰρηκέναι, πρὸς τὸ μόνον δεῖξαι, ὅτι μὴ ὁ Πατὴρ ἐστίν, ἀλλ' ὁ Υἱός, ὁ τὸ γεννητὸν, καὶ κτιστὸν, καὶ ποιητὸν ἐνδυσάμενος σῶμα· διὸ καὶ γεγενῆσθαι, καὶ πεποιησθαι, καὶ ἐκτίσθαι λέγεται ὁ Υἱός.

(82) Colb., αὐτοὺς. Mox Taurin. Colb. Jes. Fr. 1, ἀναιρεῖ λέγων. Reg. Basil. et editi, διαβάλλει λέγων.

(83) Taurin. Colb. Jes., αὐτόν.

(84) Reg., de more, θρυλοῦσιν. Ibidem Taurin. Jes. Fr. 1, τὰ αὐτά. Mox Fr. 1, μάλιστα δ' ὅτι.

(85) Sic Reg. Taurin. Colb. Jes. Fr. 1. Editi vero, τοὺς μὲν οὖν.

(86) Taurin Colb. Jes., γεννητὸν, mendose. Taurin. item infra, ὁ τὸ γεννητὸν.

20. Ἀμέλει ἐπειδὴ προσλήφθη (87) γράφαι τὰς Α τοιαύτας λέξεις, τοῖς μὲν Ἀρειανοῖς μακρὰ φράζει χαίρειν, παρὰ δὲ τῶν ἀκούοντων συνείδησιν ἀγαθὴν ἀπαιτεῖ· τὸ δυσχερὲς ἢ τάχα καὶ τὸ ἀπερίδρακτον τῶν ζητουμένων προβαλλόμενος, ἵνα μὴ τὰς λέξεις, ἀλλά τὴν διάνοιαν τοῦ γράφοντος (88) κρίνωσι· καὶ μάλιστα ὅταν τὰ πλεῖστα μαρτυρῇ τῇ τούτου φρονήσει. Ἐφῆσε γοῦν καὶ αὐτὸς, ὅτι· « Τῶν μὲν τοιούτων ὡς ἀχρειοτέρων, ἐξ ἐπιδρομῆς, εἶπον τὰ παραδείγματα, τὸ φυτὸν καὶ τὸν γεωργόν· τοῖς δὲ προσφωστέροις (89) ἐνδιέτριψα, καὶ πλέον διεξήλθον περὶ τῶν ἀληθεστέρων. » Ὁ δὲ τοῦτο λέγων δείκνυσιν ἀληθέστερον εἶναι τὸ λέγειν ἀίδιον καὶ ἐκ τοῦ Πατρὸς τὸν Υἱὸν ἢ ἡyper γενητόν· ἐκ τούτου μὲν γὰρ τὸ σωματικὸν τοῦ Κυρίου σημαίνεται, ἐξ ἐκεῖνων δὲ τὸ ἀίδιον τῆς θεότητος αὐτοῦ. Ἐν τούτοις γοῦν καὶ ἠλέγχθαι παρ' αὐτοῦ τοὺς ἐγκαλέσαντας, ὡς μὴ λέγοντος αὐτοῦ ὁμοούσιον τοῦ Πατρὸς, διαθεβαιοῦται οὐχ ἀπλῶς, ἀλλὰ μετὰ φρονήσεως καὶ ἀποδείξεως ἀληθοῦς, λέγων· « Εἰ καὶ μὴ τὴν λέξιν ταύτην εὑρον ἐν ταῖς Γραφαῖς, ἀλλ' ἐξ αὐτῶν τῶν Γραφῶν τὸν νοῦν συναγαγόν, ἔγωγον, ὅτι, Υἱὸς ὢν καὶ λόγος, οὐ ξένος ἀν εἴη τῆς οὐσίας τοῦ Πατρὸς. » Ὅτι γὰρ οὐ κτίσμα, οὐδὲ ποίημα φρονεῖ τὸν Υἱὸν εἶναι· καὶ γὰρ καὶ ἐν τούτῳ τεθρυλλήχασιν αὐτόν· οὕτως ἐν τῷ δευτέρῳ βιβλίῳ φησὶν· « Ἐὰν δὲ τις τῶν συκοφαντῶν, ἐπειδὴ τῶν ἀπάντων ποιητὴν τὸν Θεὸν καὶ δημιουργόν εἶπον, οἴηται μὲ καὶ τοῦ Χριστοῦ λέγειν, ἀκουσάτω μου πρότερον Πατέρα φῆσαντος αὐτόν, ἐν ᾧ καὶ ὁ Υἱὸς προσγέγραπται (90)· μετὰ γὰρ τὸ εἰπεῖν Πατέρα ποιητὴν, ἐπαγέχοι· Καὶ οὕτε πατὴρ ἐστὶν ὢν ποιητῆς (91), εἰ κυρίως ὁ γεννήσας πατὴρ ἀκούοιτο· τὴν γὰρ πλατύτητα τῆς τοῦ πατρὸς προσηγορίας ἐν τοῖς ἐξῆς ἐπεξεργασόμεθα (92)· οὕτε ποιητῆς ὁ πατὴρ, εἰ μόνος ὁ χειροτέχνης ποιητῆς λέγοιτο. Παρ' Ἑλλήσι γὰρ ποιηταὶ καὶ τῶν ἰδίων καλοῦνται λόγων οἱ σοφοί· καὶ Ποιητῆς, ὁ Ἀπόστολος εἶπε, νόμου (93)· καὶ τῶν ἐγκαρδίων γὰρ ἀρετῆς ἢ κακίας ποιηταὶ καθίστανται, ὡς εἶπεν ὁ Θεός· Ἐμεῖρα τοῦ ποιῆσαι κρίσιν, ἐπόλησε δὲ ἀνομίαν. »

21. Ἔστιν ἀληθῶς, ἀκούοντα ταῦτα μνησθῆναι τοῦ θεοῦ λογιῶν λέγοντος· Οὐ ἐὰν στραφῇ ὁ ἀσεβής, ἀφανίζεσθαι (94). Ἰδοὺ γὰρ ποικίλως στρεφόμενοι καθ' ἐκάστην οἱ δυσσεβεῖς ἀφανίζονται, μὴ ἔχοντες μηδὲ εἰς τοῦτο πρόφασιν περὶ Διονυσίου. Φανερώς μὲν γὰρ διδάσκει, μὴ εἶναι ποίημα, μηδὲ κτί-

20. Certe cum illa verba prius scripserit, Arianis quidem facessere jussis, benevolum animum ab iis postulat, ad quorum aures hæc pervenerint; ut animadversa harum quæstionum difficultate, imo potius incomprehensibilitate, non verba, sed scriptoris animum judicarent, cum potissimum alia complurima veram ejus mentem aperiant. Ait igitur ipse: « Ejusmodi exempla ut minus utilia cursim protuli, nimirum de planta et agricola: naturæ accommodatiora fusius pertractavi, ac veriora pluribus exposui. » Jam qui hæc loquitur, ostendit, verius dici Filium æternum et ex Patre esse, quam esse factum: nam hoc quidem vocabulo, quod corporeum est in Domino indicatur; illis vero, æternitas divinitatis ejus. Eos igitur qui se accusabant, ut qui negaret Filium esse Patri consubstantialem, his argumentis a se confutatos declarat, haud levi modo, sed sapientissime, et cum vera demonstratione, dum hæc ait: « Etsi hanc vocem in Scripturis non inveni, attamen earumdem Scripturarum mentem colligens, agnovi, ipsum, cum Filium et Verbum sit, non posse a Patris substantia esse alienum. » Quod autem Filium non senserit esse rem creatam aut factam, ut illi pervulgarant, in secundo libro testatur his verbis: « Si quis autem ex sycophantiis, eo quod Deum, omnium dixi factorem et creatorem, existimat me etiam Christi creatorem dixisse, advertat me prius Patrem ipsum appellasse, in quo vocabulo Filius ascriptus est. Postquam enim dixi Patrem factorem esse, subdidi: Neque Pater eorum est quorum factor est, si proprie Pater intelligatur esse is qui genuit (latitudinem enim vocabuli hujus, Pater, in sequentibus inquiremus); neque factor Pater est, si solus opifex factor dicatur: apud Græcos enim ii qui sapientes sunt, suorum librorum factores vocantur: Apostolusque ait, *Factor legis*»: nam rerum etiam intrinsecarum, cujusmodi sunt virtus et vitium, factores sunt homines, ut dixit Deus: *Expectavi ut faceret judicium, fecit autem iniquitatem* «.

21. Qui hæc audit, divini sane oraculi meminerit, dicentis: *Quocunque se vertat impius, evanescit*. Etenim quam se cunque in partem quotidie convertant impii illi, evanescunt, ne in hoc quidem ullam rationem invenientes Dionysii sibi conciliandi: quippe qui aperte doceat, Filium nec

« Rom. II, 15. « Isa. V, 7. « Prov. XII 7.

(87) Taurin. Colb. Jes., ἐλήφθη. Mox Reg. Taurin. Jes., μακρὰ· editi vero, μακράν.

(88) Colb., τοῦ φράζοντος. Mox idem cum Taurin. et Jes., μάλιστα ὅταν.

(89) Colb., προσφωστέροις. Mox Taurin. Colb. Jes., πλέον ἐξήλθον.

(90) Taurin. Colb. Jes., προσγέγραπται.

(91) Sic Reg. Taurin. Jes., et ita legit Nannius. Editi, ὢν ποιητῆς, longe diverso sensu. Mox in Taurin. Colb. Jes., πατὴρ desideratur.

(92) Taurin. Colb. Jes., ἐπεξεργασόμεθα. Reg. et editi, ἐπεξεργασόμεθα. Mox Colb. Jes., οὕτε ποιητῆς

οὐ Πατὴρ ἦν μόνος. Taurin., οὕτε ποιητῆς οὐ Πατὴρ μόνος ἦν. Reg. ut editi.

(93) In Taurin. Colb. Jes. illud, ποιηταὶ καὶ τῶν ἰδίων, usque ad sequens ποιηταὶ τῆς κακίας, ommissa sunt.

(94) Articulus deest in Taurin. Colb. Jes. Ibidem hæc, Ἰδοὺ γὰρ ποικίλως στρεφόμενοι καθ' ἐκάστην οἱ δυσσεβεῖς ἀφανίζονται, in editis desiderabantur, ob similitudinem vocum ἀφανίζεσθαι et ἀφανίζονται, ommissa: sed leguntur in Reg. Taurin. Colb. Jes. et Fr. 1. Ibidem Taurin. Colb. Jes., μηδ' εἰς τοῦτο πρόφασιν παρὰ Διονυσίου.

factam nec creatam rem esse; carpit autem appositeque refellit eos qui se calumniabantur, quasi dixisset, factorem esse Deum, quod non adverterint se ante dixisse, Patrem esse Deum, in quo et Filius ascriptus est. His autem verbis declarat, Filium non esse ex numero rerum factarum, et Deum non factorem, sed patrem proprii Verbi esse. Quibusdam autem imperite (vel mala conscientia) ipsi reponentibus, quod Deum dixisset Christi factorem, sui purgandi causa varia adhibuit argumenta: neque sic, aliens, reprehendenda esse sua verba: se enim factoris nomine usum affirmat, propter carnem quam Verbum assumpsit, utique factam. « Quod si quis illud de Verbo dictum fuisse suspicetur, eo etiam modo absque contentione studio audisse oportuit: ut enim Verbum rem factam esse non sentio, et Deum non factorem, sed Patrem ejus dico; si quando de Filio disserens Deum obiter dixero factorem ejus, etiam tunc res defensione non caruerit: nam sapientes Græci se suorum librorum factores appellant, tametsi iidem propriorum librorum patres sunt: divina autem Scriptura nos cordis motuum factores nuncupat, cum nos dicit, factores legis et iudicii et justitiæ. » Itaque quacunq̄ ex parte res spectetur, probe commonstrat Filium nec creatam nec factam rem esse, seque a prava Arianorum doctrina alienum.

22. Verum, ne quis Arianorum eum suspicetur dixisse, Filium ita Patri coexistere, ut nomina quidem sibi invicem cohæreant, res autem a se invicem plurimum distent, et, neque Filium semper Patri coexistisse: ex quo autem Filius esse cæpit, ex eo Deum dictum fuisse Patrem, et dehinc illi coexistere, ut fit apud homines. Sed meminerit eorum quæ supra dicta sunt, tumque Dionysii fidem rectam agnoscat. Nam cum dicat: « Non enim erat cum Deus non esset pater; » et iterum: « Deus autem æterna lux est, quæ nunquam incepit, nunquam desinet: æternus ergo splendor ipsi præluet et coexistit, qui absque initio est, et ab æterno genitus ante eum emicat: » par sane fuit neminem talia de illo suspicari. Exempla quoque fontis ac fluvii, radices et germinis, spiritus et vaporis, Christi hostes qui contraria de illo disseminant, pudore suffundunt.

(95) Sic Reg. Taurin. Colb. Jes. Editi vero inale, μηδὲ καὶ κτίσμα.

(96) Παρ. ὅτι μὴ συνείδον εἰπόντα αὐτὸν πρότερον Πατέρα τὸν Θεόν, in Colb. desiderantur, ommissa lapsu amanuensis, ideo decepti, quod præcedens phrasis per τὸν Θεόν similiter desineret. Infra idem, προγγράπτται.

(97) Taurin. Colb. J. s., ἦν ἑλαβε.

(98) Reg. et Taurin., ὑπονοήσεται. Editi, ὑπονοήσεται. Mox καὶ ante οὕτως deest in Taurin. Colb. Jes. et Fr. 1, sed in Reg. et in editis habetur, et opportune quidem.

(99) Taurin. Colb. Jes., ἕως γὰρ. Iidem infra, καὶ ἐξ ἐπιδρομῆς.

(1) In Colb. et Fr. 1, γὰρ omissum, et in eo. Lem paulo infra ὄντα item omissum. Quod autem ait sa-

μα (95) τὸν Υἱὸν· αἰτιαταὶ δὲ καὶ θεραπείαι τοὺς διαβάλλοντας αὐτὸν, ὡς εἰπόντα ποιητὴν τὸν Θεόν, ὅτι μὴ συνείδον εἰπόντα αὐτὸν πρότερον Πατέρα τὸν Θεόν (96), ἐν ᾧ καὶ ὁ Υἱὸς προσέγγραπται. Τοῦτο δὲ λέγων, δείκνυσι μὴ εἶναι τῶν ποιημάτων τὸν Υἱὸν μηδὲ ποιητὴν, ἀλλὰ Πατέρα τοῦ ἰδίου Λόγου τὸν Θεὸν εἶναι. Καὶ ἐπειδὴ ἀσυνειδήτως τινὲς ἐπήγαγον αὐτῷ, ὅτι ποιητὴν εἶπε τὸν Θεόν τοῦ Χριστοῦ, διὰ τοῦτο ποικίλως ἀπολογοῦμενος, φησὶ μηδ' οὕτως ἐπιλήψιμον εἶναι τὸν λόγον· εἰρηχνεῖται γὰρ ποιητὴν φησι, διὰ τὴν σάρκα, ἣν ἀνέλαβε (97), γεννητὴν οὖσαν αὐτὴν, ὁ Λόγος. « Εἰ δὲ καὶ περὶ τοῦ Λόγου τινὲς ὑπονοήσοι (98) τοῦτο λελέχθαι, καὶ οὕτως ἐπρεπεν αὐτοὺς ἀφιλονεικῶς ἀκοῦσαι· ὡς γὰρ (99) οὐ ποίημα φρονῶ τὸν Λόγον, καὶ οὐ ποιητὴν, ἀλλὰ Πατέρα τὸν Θεόν αὐτοῦ λέγω· καὶ ἐξ ἐπιδρομῆς εἶπω ποιητὴν τὸν Θεόν, διηγούμενος περὶ τοῦ Υἱοῦ, ἀλλὰ καὶ οὕτως ἀπολογησασθαι δυνατόν· ποιητὰς γὰρ (1) τῶν ἰδίων λόγων Ἑλλήνων μὲν οἱ σοφοὶ φασί, καίτοι πατέρας ἑαυτοῦς ὄντας τῶν ἰδίων λόγων· ἡ δὲ θεία Γραφή καὶ τῶν ἀπὸ καρδίας κινήματων ποιητὰς ἡμᾶς διαγορεύει, ποιητὰς νόμου καὶ κρίσεως καὶ δικαιοσύνης λέγουσα. Ὅστε πανταχῶθεν τὸν μὲν Υἱὸν μὴ εἶναι κτίσμα, μηδὲ ποίημα, ἑαυτὸν δὲ ἀλλότριον τῆς Ἀρειανῆς (2) κακοδοξίας ἀποδείκνυσι.

22. Μὴ γὰρ δὴ τις Ἀρειανὸς, μηδὲ ἐν τούτῳ ὑπονοεῖτω κατ' αὐτοῦ ὡς οὕτω λέγοντος, Σύνοστιν ὁ Υἱὸς τῷ Πατρὶ, ὡς τὰ μὲν ὀνόματα συνήφθαι ἀλλήλοις, τὰ δὲ πράγματα πλείστον ἀλλήλων διεστάναι· καὶ μὴ ἀπὸ μὲν συνεχεῖναι τὸν Υἱὸν τῷ Πατρὶ· ἀφ' οὗ δὲ γέγονεν ὁ Υἱὸς, ἐξ ἐκείνου καὶ Πατέρα τὸν Θεόν εἰρησθαι· καὶ λοιπὸν αὐτῷ συνεχεῖναι, ὡς περὶ καὶ ἐπ' ἀνθρώπων τοῦτο γίνεται. Ἄλλ' ἐνθυμείσθω καὶ μνημονεύτω τῶν προειρημένων (3), καὶ θίγεται Διονυσίου τὴν πίστιν ὀρθήν. Λέγων γὰρ· « Οὐ γὰρ ἦν ὅτε ὁ Θεὸς οὐκ ἦν Πατήρ· » καὶ πάλιν· « Ὁ δὲ γε Θεὸς αἰώνιον ἐστὶ φῶς, οὔτε ἀρχάμενον, οὔτε λήξον ποτε· οὐκοῦν αἰώνιον πρόκειται (4), καὶ σύνοστιν αὐτῷ τὸ ἀπαύγασμα, ἀναρχὸν καὶ ἀειγενὲς, προφαινόμενον αὐτοῦ· » ἐχρῆν μηδένα τὸ σύνολον ὑπονοεῖν τινα τοιαῦτα κατ' αὐτοῦ. (5) Καὶ τὰ παραδείγματα δὲ τῆς πηγῆς, καὶ τοῦ ποταμοῦ, καὶ τῆς ρίζης, καὶ τοῦ

D pientes suorum librorum patres esse, Clemens item Alexandrinus, initio *Stromatum*, ψυχῆς ἔγγονοι οἱ λόγοι, *animæ liberi sunt libri*.

(2) Jes. Fr. 1, Ἀρειανικῆς. Mox Reg. Taurin. Colb. Jes., ἀποδείκνυσι. Editi, ἐπιδείκνυσι.

(3) Taurin. Colb. Jes. Fr. 1, πρόσθεν εἰρημένων. Reg. et editi, προειρημένων.

(4) Reg. Taurin. Colb. Jes., πρόκειται, et sic legendum ut supra. Editi, πρόσκειται. Mox Taurin. Colb. Fr. 1, προφαιρόμενον αὐτοῦ ἐκκλίνει μηδένα. Jes., προφερόμενον αὐτοῦ ἐκκλείει μηδένα. Melius Reg. et editi quos sequimur. Vide supra num. 15.

(5) Tertullianus *adversus Praxeam* hæc ipsa profert exempla: *Nec frutex, ait, a radice, nec fluvius a fonte, nec radius a sole discernitur, sicut a Deo Sermo.*

βλαστοῦ, καὶ τοῦ πνεύματος, καὶ τῆς ἀτμίδος καταισχύνει τοὺς Χριστομάχους τάναντία θρυλλοῦντας (6) κατ' αὐτοῦ.

23. Ἐπειδὴ δὲ πρὸς πᾶσι τοῖς ἑαυτοῦ κακοῖς ὁ Ἄρειος καὶ τοῦτο συμπεφόρηκεν ἑαυτῷ βημάτιον, ὡς ἐκ κοπρίας, καὶ προστίθησιν, ὡς ἄρα « ὁ Λόγος οὐκ ἔστιν ἴδιος τοῦ Πατρὸς, ἀλλ' ἄλλος μὲν ἔστιν ὁ ἐν τῷ Θεῷ Λόγος· οὗτος δὲ ὁ Κύριος ἕξνος μὲν καὶ ἀλλοτρίος ἔστι (7) τῆς τοῦ Πατρὸς οὐσίας· κατ' ἐπίνοιαν δὲ μόνον λέγεται Λόγος, καὶ οὐκ ἔστι μὲν κατὰ φύσιν καὶ ἀληθινὸς τοῦ Θεοῦ Υἱός. κατὰ θέσιν δὲ λέγεται καὶ οὗτος (8-9) Υἱός, ὡς κτίσμα· » καὶ τοιαῦτα λέγων αὐχεῖ παρὰ τοῖς ἀγνοοῦσιν, ὡς καὶ ἐν τοῦτοις ἔχων ὁμολοξὸν τὸν Διονύσιον· ὄρα καὶ τὴν περὶ τούτων πίστιν τοῦ Διονυσίου, καὶ πῶς μάχεται ταῖς τοιαύταις Ἄρειου κακονοίαις. Γράφει γάρ ἐν μὲν τῷ πρώτῳ βιβλίῳ οὕτως· « Προσέφηται μὲν οὖν, ὅτι πηγὴ τῶν ἀγαθῶν ἀπάντων (10) ἔστιν ὁ Θεός· ποταμὸς δὲ ὑπ' αὐτοῦ προχεόμενος ὁ Υἱὸς ἀναγέγραπται· ἀπόρροια γάρ νοῦ λόγος· καὶ ὡς ἐπ' ἀνθρώπων εἰπεῖν, ἀπὸ καρδίας διὰ στόματος ἐξοχετεύεται (11), ἕτερος γενόμενος τοῦ ἐν καρδίᾳ λόγου, ὁ διὰ γλώσσης νοῦς προπηθῶν. Ὁ μὲν γὰρ ἔμεινε προπέμφας, καὶ ἔστιν οἶος ἦν· ὁ δὲ ἐξέπτη προπεμφθεὶς, καὶ φέρεται πανταχοῦ· καὶ οὕτως ἔστιν ἑκάτερος ἐν ἑκατέρῳ, ἕτερος ὢν θατέρου· καὶ ἐν εἰσιν, ὄντες δύο· οὕτω γὰρ καὶ (12) ὁ Πατὴρ καὶ ὁ Υἱὸς ἐν, καὶ ἐν ἀλλήλοις ἐλέγχθησαν εἶναι. » Ἐν δὲ τῷ τετάρτῳ βιβλίῳ, οὕτως λέγει· « Ὡς γὰρ ὁ ἡμέτερος νοῦς ἐρεύγεται μὲν ἀφ' ἑαυτοῦ τὸν λόγον, ὡς εἶπεν ὁ Προφήτης· Ἐξηρεύσατο ἡ καρδία μου λόγον ἀγαθόν· καὶ ἔστι μὲν ἑκάτερος ἕτερος θατέρου, ἴδιον καὶ τοῦ λοιποῦ κεχωρισμένον εἰληχῶς τόπον, ὁ μὲν ἐν τῇ καρδίᾳ, ὁ δὲ ἐπὶ τῆς γλώττης καὶ τοῦ στόματος οἰκῶν τε καὶ κινουόμενος· οὐ μὴν διεστήχασιν, οὐδὲ καθάπαξ ἀλλήλων στέρονται (13), οὐδὲ ἔστιν οὔτε ὁ νοῦς, ἄλογος, οὔτε ἄνοος ὁ λόγος· ἀλλ' ὁ γε νοῦς ποιεῖ τὸν λόγον ἐν αὐτῷ (14) φανεῖς· καὶ ὁ λόγος δείκνυσσι τὸν νοῦν ἐν αὐτῷ γενόμενος· καὶ ὁ μὲν νοῦς ἔστιν, οἷον λόγος ἐγκείμενος· ὁ δὲ λόγος νοῦς (15) προπηθῶν· καὶ μεθίσταται μὲν ὁ νοῦς εἰς τὸν λόγον, ὁ δὲ λόγος τὸν νοῦν εἰς τοὺς ἀκροατὰς ἐγκυκλεῖ. Καὶ οὕτως ὁ νοῦς διὰ τοῦ λόγου ταῖς τῶν ἀκούοντων ψυχαῖς ἐνιδρύεται (16), συνεισιῶν τῷ λόγῳ· καὶ ἔστιν ὁ μὲν οἷον πατὴρ ὁ νοῦς τοῦ λόγου, ὢν ἐφ' ἑαυτοῦ· ὁ

23. Cum autem Arius ad cætera sua mala hanc quoque sententiam quasi ex sterquilinio sibi consarcinarit, et hæc adjecerit : « Verbum non est proprium Patri, sed aliud est in Deo Verbum : hic vero Dominus, extraneus quidem et alienus est a Patris substantia, et duntaxat secundum cogitandi modum, dicitur Verbum, et non est secundum naturam 204 ac verus Dei Filius ; sed per adoptionem hic quoque filius dicitur, utpote creatura ; » et dum hæc ait, apud eos qui rei veritatem ignorant gloriatur, quasi in hoc Dionysius secum sentiat : tute quæso videas quæ de iis fuerit Dionysii fides, et qua vi illos Arii oppugnet errores ; in primo enim libro sic scribit : « Dictum est superius Deum esse fontem omnium bonorum, Filius vero dictus est fluvius ab ipso emanans : verbum quippe est mentis emanatio, et (ut humano more loquamur) ex corde per os emititur. Mens vero quæ per linguam prosilit, diversa est a verbo quod in corde existit : istud enim postquam illud præmiserit, remanet, et est quale antea erat : illud vero præmissum evolat et circumquaque fertur : et sic est utrumque in altero, tametsi diversum est ab altero : et unum sunt, licet duo sint. Sic namque Pater et Filius unum sunt, et in se invicem illos esse comprobatum est. » In secundo autem libro hæc habet : « Ut enim mens nostra eruclat a seipsa verbum, ut ait Propheta : Eructavit cor meum verbum bonum 62 : estque utrumque alterum ab altero, proprium et ab altero distinctum obtinens locum, cum illud quidem in corde, istud in lingua et ore commoretur et moveatur : non tamen alterum ab altero distat, nec se invicem privantur : neque mens sine verbo est, neque verbum sine mente : sed mens verbum facit, et in ipso apparet, et verbum mentem exhibet, in qua factum est : mensque est quasi verbum immanens, verbum autem quasi mens prosiliens : mens in verbum transit, verbum mentem in circumstantes auditores insinuat : et sic mens per verbum in auditorum animis collocatur, et una cum verbo intrat. Ac mens quidem est quasi pater verbi, in seipsa existens : verbum autem quasi filius men-

62 Psal. XLIV, 2

(3) Reg., de more, θρυλλοῦντας. Mox Taurin. Jes., D πρὸ πᾶσι. Ibidem, ὁ ἀντὶ Ἄρειος deest in editis, sed habetur in Reg. Taurin. Colb. Jes.

(7) Hæc, καὶ ἀλλοτρίος ἔστι, desunt, in Taurin. Colb. Jes. et Fr. 1. Sed habentur in Reg. et in editis.

(8-9) Taurin. Colb. Jes., αὐτός.

(10) Taurin. Colb. Jes., καὶ ἀπάντων. Mox δέ, post ποταμὸς, deest in Colb.

(11) Sic Reg. Basil. et editi. Taurin. et Jes., εἶπαν ἀπὸ καρδίας διὰ στόματος ἐξοχεύεται. Fr. 1, εἶπεν, ὑπὸ καρδίας διὰ στόματος ἐξέρχεται. Colb. item ἐξέρχεται.

(12) Καὶ deest in Taurin. Colb. Jes., sed in aliis etur. Mox Reg., ἐλέγχθησαν, quem sequi visum

est. Alii et editi, ἐλέχθησαν. Ibidem omnes mss., ἐν δὲ τῷ τετάρτῳ. Editi, Ἐν δὲ τῷ β. Mox λέγει, post οὕτως, deest in Taurin. Colb. Jes.

(13) Taurin. Jes., στερῶνται.

(14) Taurin. Colb. Jes., mendose, ἑαυτῷ. Mox Jes. solus, ἑαυτῷ, mendose.

(15) Reg. solus, ὁ δὲ νοῦς λόγος, male. Mox, ὁ δὲ λόγος τὸν νοῦν εἰς τοὺς ἀκροατὰς ἐγκυκλεῖ, genus loquendi a Clemente Alexandrino frequentatum. Sic Προτροπετ. p. 50 : Ἐγκυκλεῖ τῷ θεάτρῳ τοὺς θεοὺς, Deos in theatrum inducit. Alias, ἐγκυκλεῖν τοῖς θεαταῖς, spectatoribus insinnavit. Apud ipsum Clementem quandoque legitur ἐγκυκλεῖν.

(16) Reg. Basil. et editi, ἐνιδρύεται. Taurin. Colb. Jes. Fr. 1, ἐνιδρύεται.

tis, non ante ipsam quidem, sed neque extra ipsam factum esse potest, sed cum ipsa existit, et ab ipsa germinavit. Eodem quoque modo Pater ille maximus, et mens illa universalis, ante omnia Filium habet, Verbum, interpretem et angelum suum. »

24. Hæc vel nunquam audivit Arius, vel si audivit non intellexit homo indoctus: nam si intellexisset, non tanta mendacia de episcopo pervulgasset; imo potius illum, ut nos, ob insitum in veritate odium convitiis insectatus fuisset. Nam cum Christi sit hostis, libentissime persequetur illos, qui quæ Christi sunt sapiunt, ut ipse prælixit Dominus: *Si me persecuti sunt, et vos persequentur* <sup>64</sup>. Aut si putant impietatis patroni secum sentire Dionysium, eadem quæ ille scribant, eadem profiteantur; scribant exempla illa, de vinea nempe et agricola, de scapha et fabro; et una confiteantur quæ ipse consubstantialitatis propugnandæ causa tradidit: sententiam item qua dicit, Filium esse ex substantia Patris, necnon æternitatem ejus, cognationem mentis cum verbo, fontis cum fluvio et cætera; ut vel ex ipsa rerum discrepantia noverint quomodo priora quidem illa per œconomiam dixerit; hæc vero, ut piæ fidei postulat ratio. Ac deinceps hæc profitentes, **205** suas his adversantes sententias repudient. Quid enim vel proximum habuerit Arianæ malignitati Dionysii fides? Nonne Arius secundum cogitandi modum duntaxat Verbum esse dicit, Dionysius autem vere et natura sua Verbum Dei esse? Nunc Verbum Patri extraneum dicit: hic docet esse proprium et indivisibile a Patris substantia, sicut verbum a mente, et flumen a fonte. Si quis igitur poterit dividere et alienare verbum a mente, vel fluvium a fonte separare, et quasi muro exstructo dirimere; vel ausit dicere fluvium diversæ substantiæ a fonte, ac diversam ab eo aquam monstrare; vel splendorem a luce dirimere, et affirmare ex aliena substantia esse splendorem, nec a luce prodire, is cum Ario insanit: ejusmodi quippe homo ne mentem quidem humanam habere ultra videbitur. Quod si hæc indivisibilia esse ipsa novit natura, eorumque proles ipsis propria est; nequis igitur deinceps cum Ario sentiat, aut Dionysium calumniari ausit; sed magis hinc ejus cum sermonis perspicuitatem, tum rectam fidem admiretur.

<sup>64</sup> Joan. xv, 20.

(17) Taurin. Colb. Jes. soli, ὁ ante μέγιστος. D Paulo post καί, ante ἀγγελον, deest in Reg. Taurin. Colb. Jes. Opportune tamen positum videtur.

(18) Taurin. Colb. Jes. Fr. 1, ἐνενόηκεν.

(19) Sic Reg. Taurin. Colb. Jes. Fr. 1. In editis cal desideratur. Ibidem Jes., ὁμολογούμενος, pro ἀπολογούμενος.

(20) Taurin. Colb. Jes., ἰκανὰ κἀν.

(21) Taurin. Jes., ἀναίρουσιν. Mox iidem cum Colb. et Fr. 1, κατ' αὐτὸν τοῦτον. Ibidem Reg. Taurin. Jes. Fr. 1, ἔχη. Editi, ἔχει. Mox Taurin. Colb. Jes., ἡ Διονυσίου δόξα.

A δὲ καθάπερ υἱός, ὁ λόγος, τοῦ νοῦ· πρὸ ἐκείνου μὲν ἀδύνατον, ἀλλ' οὐδὲ ἐξωθέν ποθεν σὺν ἐκείνῳ γενόμενος, βλαστήσας δὲ ἀπ' αὐτοῦ. Οὕτως ὁ Πατὴρ ὁ μέγιστος (17) καὶ καθόλου νοῦς, πρῶτον τὸν Ἰῶν Λόγον ἐρμηγέα καὶ ἀγγελον ἑαυτοῦ ἔχει. »

24. Τούτων ἢ οὐκ ἤκουσέ ποτε Ἄρειος, ἢ ἀκούσας οὐκ ἐνόησεν (18) ὁ ἀμαθής· οὐκ ἂν γάρ, εἴπερ ἦν νοήσας, κατεψεύδετο τοσοῦτον κατὰ τοῦ ἐπισκόπου· ἀλλὰ πάντως καὶ αὐτὸν ὡς ἡμᾶς ἐλευθέρει διὰ τὸ πρὸς τὴν ἀλήθειαν μῖσος. Χριστομάχος γὰρ ὢν, οὐκ ὀκνήσει καὶ τοὺς τὰ Χριστῷ φρονούντας διώκειν, ὡς αὐτὸς ὁ Κύριος προεῖρηκεν· *Εἰ ἐμὲ ἐδίωξαν, καὶ ὑμᾶς διώξουσιν*. Ἡ εἰ νομίζουσιν οἱ προστάται τῆς ἀσεβείας ὁμόφρονα τὸν Διονύσιον ἑαυτοῖς εἶναι, γραφάτωσαν ταῦτα καὶ ὁμολογεῖτωσαν· γραφάτωσαν τὴν ἄμπελον καὶ τὸν γεωργὸν, τὸ σκάφος καὶ τὸν ναυπηγόν. Καὶ ἅμα ὁμολογεῖτωσαν καὶ ἄπερ εἶπεν ἀπολογούμενος (19) τὸ ὁμοούσιον· καὶ τὸ ἐκ τῆς οὐσίας εἶναι τὸν Ἰῶν, καὶ τὸ ἀίδιον, καὶ τὸν νοῦν πρὸς τὸν λόγον, τὴν τε πηγὴν, καὶ τὸν ποταμὸν, καὶ τὰ ἄλλα· ἵνα κἀν (20) ἐκ τῆς διαφορᾶς γινώσκει, πῶς ἐκεῖνα μὲν κατ' οἰκονομίαν, ταῦτα δὲ, ὡς ὁ τῆς εὐσεβοῦς πίστεως βούλεται λόγος, εἴρηκε. Καὶ λοιπὸν ταῦτα λέγοντες ἀναίρουσιν (21) ἄπερ κατ' αὐτῶν τούτων ἐφρόνησαν. Τί γὰρ κἀν ἐγγὺς ἔχει τῶν Ἄρειου κακῶν ἡ Διονυσίου πίστις; Οὐχ ὁ μὲν Ἄρειος κατ' ἐπίνοιαν λέγει τὸν Λόγον, ὁ δὲ Διονύσιος ἀληθινὸν καὶ φύσει Λόγον τοῦ Θεοῦ; Καὶ ὁ μὲν ἀποξενοῖ τὸν λόγον ἀπὸ τοῦ Πατρὸς· ὁ δὲ ἴδιον καὶ ἀδιάρητον τῆς τοῦ Πατρὸς οὐσίας αὐτὸν εἶναι διδάσκει· ὡς ἔστιν ὁ λόγος πρὸς τὸν νοῦν, καὶ ποταμὸς πρὸς τὴν πηγὴν. Εἰ μὲν οὖν διαιρεῖν καὶ ἀποξενοῦν τὸν λόγον καὶ τὸν νοῦν τις δύναται, ἢ τὸν ποταμὸν καὶ τὴν πηγὴν μερίσαι, καὶ τειχίσας διελεῖν· ἢ τὸν ποταμὸν ἑτερούσιον εἰπεῖν πρὸς τὴν πηγὴν, καὶ ξένον τὸ ὕδωρ δεῖξαι, ἢ τὸ ἀπαύγασμα τολμᾷ (22) διελεῖν ἀπὸ τοῦ φωτὸς καὶ εἰπεῖν ἐξ ἐτέρας οὐσίας εἶναι τὸ ἀπαύγασμα, καὶ μὴ ἐκ τοῦ φωτὸς, μαινέσθω μετὰ Ἄρειου· ὁ γὰρ τοιοῦτος μὴδὲ νοῦν ἀνθρώπινον ἔχων ἔτι (23) φανήσεται· εἰ δὲ ἀδιάρητα ταῦτα οἶδεν ἡ φύσις, καὶ τὸ τούτων (24) γέννημα ἴδιον, μῆτε τὰ Ἄρειου τις ἔτι λοιπὸν φρονεῖτω, μῆτε Διονύσιον διαβαλλέτω· ἀλλὰ καὶ μᾶλλον ἐκ τούτων (25) αὐτοῦ θαυμαζέτω τὴν τε τοῦ λόγου λευκότητα, καὶ τὴν τῆς πίστεως ὀρθότητα.

(22) Reg., τὸ ἄμα, mendose. Taurin. Colb. Jes. et Fr. 1, τολμᾷ, recte. Editi, ἄμα. Mox hæc, καὶ εἰπεῖν ἐξ ἐτέρας οὐσίας εἶναι τὸ ἀπαύγασμα, καὶ μὴ ἐκ τοῦ φωτὸς, in editis ommissa fuerant, quod phrasis esset præcedenti ὁμοιοτέλετος. Sed habentur in Reg. Taurin. Colb. Jes. Fr. 1.

(23) Sic Reg. Taurin. Jes. In editis ἔτι desideratur.

(24) Sic Reg. Taurin. Colb. Jes., τούτου. Editi et Felckmanni codices, τούτων.

(25) Reg. Taurin. Colb. Jes., ἐκ τούτων, rectius quam editi, ἐκ τούτου.

25. Ὅτι γὰρ πρὸς τὴν μανίαν Ἀρείου λέγοντος ἄλλον εἶναι τὸν ἐν τῷ Θεῷ Λόγον, καὶ ἄλλον περὶ οὗ φησιν ὁ Ἰωάννης, Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος· καὶ ἄλλην (26) μὲν ἰδὴν σοφίαν εἶναι ἐν τῷ Θεῷ, ἄλλην δὲ περὶ ἧς φησιν ὁ Ἀπόστολος· Χριστὸς Θεοῦ Δύναμις καὶ Θεοῦ Σοφία· πάλιν ὁ Διονύσιος ἀνίσταται καὶ διαβάλλει τὴν τοιαύτην κακοδοξίαν· ὅρα πάλιν πῶς ἐν τῷ δευτέρῳ βιβλίῳ (27) γράφει περὶ τούτων οὕτως· Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος· ἀλλ' οὐκ ἦν Λόγος (28) ὁ τὸν Λόγον προέμενος· ἦν γὰρ ὁ Λόγος πρὸς τὸν Θεόν. Σοφία γεγένηται ὁ Κύριος· οὐκ ἦν αὖν σοφία ὁ τὴν σοφίαν ἀνεῖς· Ἐγὼ γὰρ ἤμην, φησὶν, ἢ προσέχαιρεν. Ἀλήθειά ἐστιν ὁ Χριστὸς· Εὐλογητὸς δὲ, φησὶν, ὁ Θεὸς τῆς ἀληθείας. Ἐνταῦθα καὶ Σαβέλλιον καὶ Ἀρείον ἀνατρέπει, καὶ ἀμφοτέρας τὰς αἱρέσεις ἰσας ἐν ἀσθεῖα δεικνύουσιν· οὕτε γὰρ Λόγος ἐστὶν ὁ τοῦ Λόγου Πατήρ, οὕτε ποιήμᾳ ἐστὶ τὸ ἐκ τοῦ Πατρὸς, ἀλλὰ ἴδιον τῆς οὐσίας αὐτοῦ γέννημα. Πάλιν τε οὐκ ἐστὶ Πατήρ ὁ προελθὼν Λόγος· οὐδὲ πάλιν ἐκ πολλῶν εἰς ἐστὶν οὗτος Λόγος, ἀλλὰ μόνος ἐστὶ τοῦ Πατρὸς Υἱὸς, ἀληθινὸς καὶ φύσει γνήσιος, ὁ καὶ νῦν ὢν (29) ἐν αὐτῷ, καὶ ἀδίως καὶ ἀδιαιρέτως ὢν ἐξ αὐτοῦ. Οὕτω καὶ σοφία καὶ ἀλήθειά ἐστιν ὁ Κύριος, καὶ οὐκ ἐστὶν ἄλλης σοφίας δεύτερος· ἀλλὰ μόνος οὗτός ἐστι δι' οὗ τὰ πάντα πεποιήκεν ὁ Πατήρ, καὶ ἐν αὐτῷ συνεστήσατο τῶν γεννητῶν τὰς ποικίλας οὐσίας· δι' αὐτοῦ τε γνωρίζεται οἷς ἂν θέλοι (30)· καὶ ἐν αὐτῷ τὴν τῶν πάντων πρόνοιαν ποιεῖται καὶ ἐργάζεται. Μόνον γὰρ τοῦτον οἶδε τοῦ Θεοῦ Λόγον καὶ Διονύσιος. Αὕτη τοῦ Διονυσίου ἡ πίστις· ὁλίγα γὰρ ἐκ τῶν ἐπιστολῶν αὐτοῦ συναγαγὼν ἔγραψα, δυνάμενα παραχειρῆσαι σοὶ μὲν ἀφορμὴν εἰς τὸ πλεῖον προστιθέναί, τοῖς δὲ Ἀρειανοῖς μεγίστην αἰσχύνην διὰ τὴν κατὰ (31) τοῦ ἐπισκόπου συκοφαντίαν. Ἐν παῖσι γὰρ καὶ καθ' ἕκαστον δεῖ ὢν ἔγραψεν, ἤλεγξεν αὐτῶν τὴν κακοφροσύνην, καὶ τὴν αἵρεσιν αὐτῶν ἐσηγήτευσεν.

26. Οὐκοῦν ἀπὸ τούτων δεικνύεται καὶ ἡ πρὸς Εὐφράνορα καὶ Ἀρμώνιον ἐπιστολή, διανοήσῃ ἄλλη (32) κατ' οἰκονομίαν γραφεῖσα παρ' αὐτοῦ· τοῦτο γὰρ καὶ ἡ ἀτολογία αὐτοῦ δεικνύσει. Καὶ ἐστὶν ἀληθῶς τυπος οὗτος πιθανὸς πρὸς ἀνατροπὴν τῆς Σαβέλλίου μανίας, ὥστε τὸν βουλόμενον ταχέως διελέγχειν τοὺς τοιοῦτους μὴ ἀπὸ τῶν σημαινόντων τὴν θεότητα τοῦ Λόγου ποιεῖσθαι τὴν ἀρχὴν· ὅτι Λόγος, καὶ Σοφία, καὶ Δύναμις ἐστὶν ὁ Υἱὸς, καὶ ὅτι Ἐγὼ καὶ ὁ Πατήρ ἕν ἐσμεν· ἵνα μὴ, τὰ καλῶς εἰρημένα παρεξηγούμενοι ἐκείνοι, πρόφασιν τῆς ἀναισχύτου φιλονεικίας ἑαυτῶν, τὰ τοιαῦτα πορίσωνται, ἀκούοντες, ὅτι (33) Ἐγὼ

25. Quod spectat autem illam Arii insaniam, qua dicit, aliud esse quod in Deo est Verbum, et aliud de quo locutus est Joannes : *In principio erat Verbum* <sup>55</sup> : et aliam propriam esse in Deo sapientiam, aliam vero quam his verbis indicat Apostolus : *Christus Dei Virtus et Dei Sapientia* <sup>56</sup> : illud summa vi impugnat Dionysius, pravamque illam sententiam strenue insectatur : vide, quaeso, quo pacto in secundo libro his de rebus verba faciat : *In principio erat Verbum* : sed non erat Verbum quod Verbum protulerit ; erat enim Verbum apud Deum : Dominus sapientia est ; non erat igitur sapientia qui sapientiam produxit : nam, *Ego eram*, inquit, *qui delectabatur* <sup>57</sup>. Veritas est Christus : *Benedictus autem*, ait, *Deus veritatis* <sup>58</sup>. Ibi una Sabellium et Arium evertit, ambasque hæreses parvis impietatis declarat : neque enim Verbum est Verbi pater, neque factum est quod ex Patre procedit, sed propria ejus substantiæ proles. Rursumque Verbum procedens non est Pater : nec Verbum istud, unum ex multis est, sed solus est Patris Filius, verus et natura genunus, qui et nunc in ipso existit, et in æternum atque indivisibiliter ex eo est. Sic et Sapientia et Veritas est Dominus, et non est ab alia sapientia secundus ; sed solus hic est per quem omnia Pater condidit, in ipsoque multiples rerum constituit substantias ; per quem etiam quibus vult innoscit : in ipso item omnium providentiam gerit, omnia agit. Hoc enim unicum Dei Verbum agnovit et Dionysius. Hæc est Dionysii fides. Pauca enim ex ejus epistolis collecta conscripsi ; quæ tamen plura addendi tibi occasionem præbeant : Arianos vero maximo pudore suffundant, ob suam adversus episcopum calumniam. In omnibus quippe scriptis suis eorum malitiam coarguit et hæresim traduxit.

26. Ex his itaque patet epistolam ad Euphranorem et Ammonium alia mente et ex œconomia quadam ab ipso scriptam esse : quod item ex ejus apologia comprobatur. Et est vere apta persuadendi forma, ad insaniam Sabellii evertendam, ut qui sequaces ejus cito coarguere velit, non ab argumentis ejus divinitatem indicantibus initium ducat ; nempe Filium esse Verbum, Sapientiam, et Virtutem, nec ab illo : *Ego et Pater unum sumus* <sup>59</sup> ; ne illi quæ recte dicta sunt ad pravum sensum detorqueant, impudentis contentionis occasionem hinc arripiant, dum audiunt : *Ego et Pa-*

<sup>55</sup> Joan. 1. <sup>56</sup> I Cor. 1. 24. <sup>57</sup> Prov. viii, 30. <sup>58</sup> III Esdr. iv, 4. <sup>59</sup> Joan. x, 30.

(26) Reg. Taurin. Colb. Jes. Fr. 1, ἄλλην, et sic infra ubi quatuor postremi codices καὶ addunt ante ἄλλην. Mox iidem ὁ Παῦλος, ubi Reg. Basil. et editi, ὁ Ἀπόστολος.

(27) Sic Taurin. Colb. Jes. Fr. 1. In Reg. et in editis βιβλίῳ deest.

(28) In Taurin. Colb. Jes. ὁ ante Λόγος. Sed in reliquis et in editis deest articulus. Paulo post Taurin. et Jes., γεγένηται. Alii omnes, γεγένηται. Mox Colb. Fr. 1, οὖν ἡ σοφία.

(29) Ὡν deest in Colb.

(30) Sic Reg. Taurin. Colb. Jes. Editi vero, ἐθέλη.

(31) Κατὰ deest in editis : sed legitur in Reg. Taurin. Colb. Jes. Fr. 1, et a Nannio item lectum est.

(32) Sic Reg. Basil. et editi, atque ita Nannium legisse patet, qui venit, *alia mente*. Sed Taurin. Colb. Jes. Fr. 1, sic, ἐπιστολή μὴ φαῦλη διανοήσῃ ἀλλὰ κέν.

(33) Ὅτι deest in Taurin. Jes. Fr. 1.

ter unum sumus, et, Qui vidit me, vidit et Patrem meum<sup>10</sup> : sed Salvatoris exemplo præmittat ea quæ humano more de illo dicta habentur : ejusmodi sunt, esurire, laborare, quod vitis sit, quod oraverit et passus sit : quanto enim hæc dictu sunt humiliora, tanto liquidius demonstratur Patrem non esse factum hominem. Necessum est enim cum Dominus vitis appelletur, agricolam exstare : et cum oret, esse qui exaudiat ; cum denique petat, esse qui concedat. Hujusmodi quippe dicta longe facilius Sabellianorum insaniam commonstrant, quod necesse omnino sit alium esse qui orat, alium qui exaudit : alium vitem, alium agricolam. Quotquot enim verba Filium quasi alienum a Patre declarant; hæc ad carnem attinent, quam nostri causa gestavit. Opificia quippe secundum naturam a Deo sunt aliena : ideo cum caro opificium sit, Verbum, quod, ut ait Joannes, caro factum est<sup>11.12</sup>, licet secundum naturam proprium sit Patri, et ab eo indivisibile ; at tamen si caro spectetur, Pater dicitur ab illo remotus : quæ enim carni propria sunt, ipse concedit ut de se dicantur ; quo hinc palam fiat, non alterius, sed suum proprie corpus fuisse. Cum itaque hæc eo modo sint intelligenda, citius Sabellius convinctur non esse Patrem qui caro factus est ; sed ejus Verbum quod illam redemit, Patrique obtulit. Et ubi quis illum ita coarguerit ac persuaserit, hinc divinitatem quoque Verbi facilius edocebit : ipsum nempe esse Verbum et Sapientiam, Filium et Virtutem, splendorem et figuram. Necessè quippe est jam denuo colligere, cum Verbum existat, et Verbi Patrem esse oportere ; Sapientia cum sit, ejus parentem esse ; et splendor cum sit, esse quoque lucem, atque ita Patrem et Filium unum esse.

27. Hæc cum probe sciret Dionysius, illa edidit scripta, prioribusque verbis Sabellium compressit : his vero Arianam prosternit hæresim. Ut enim humana Salvatoris apta sunt ad Sabellium evertendum, e converso in Ariomanitas, non ex humanis, sed ex iis quæ Verbi divinitatem indicant, argumenta sunt mutuanda ; ut ne illi, quæ de Domino corporis causa dicuntur prave interpretantes, existiment ejusmodi esse Verbum, quales nos homines sumus, ac demum in insania sua perseverent. Qui si de divinitate doceantur, suum ipsi errorem improbabunt : cumque didicerint Verbum carnem factum esse, humana in posterum facilius distinguunt ab

καὶ ὁ Πατήρ ἐν ἑσμεν, καὶ, Ὁ ἑωρακῶς ἐμὲ ἑώρακε τὸν Πατέρα· ἀλλὰ τὰ ἀνθρωπίνως εἰρημένα περὶ τοῦ Σωτῆρος προβάλλειν, ὡς περ αὐτὸς πεποίηκεν· οἷά ἐστι τὸ πεινᾶν (34), τὸ κοιπᾶν, καὶ, ὅτι ἄμπελος, καὶ ἠύχετο, καὶ πέπονθεν· ὅσω γὰρ ταῦτα ταπεινὰ λέγεται, τοσούτω (35) δείκνυται μὴ ὁ Πατὴρ γενόμενος ἄνθρωπος. Ἀνάγκη γάρ, καὶ ἀμπέλου λεγομένου τοῦ Κυρίου, εἶναι καὶ γεωργόν· καὶ εὐχομένου αὐτοῦ, εἶναι τὸν ἐπακούοντα (36)· καὶ αἰτούντος αὐτοῦ, εἶναι τὸν διδόντα. Τὰ δὲ τοιαῦτα μᾶλλον εὐκολώτερον τὴν τῶν Σαβελλιανῶν μανίαν δείκνυσιν· ὅτι ἕτερος ὁ εὐχόμενος, ἕτερος ὁ ἐπακούων (37), καὶ ἄλλο, ἢ ἄμπελος, καὶ ἄλλος ὁ γεωργός. Ὅσα γὰρ ὡς ἀποξενούοντα τὸν Υἱὸν ἀπὸ τοῦ Πατρὸς λέγεται ῥητὰ, ταῦτα διὰ τὴν σάρκα, ἣν δι' ἡμᾶς ἐφόρεσε, λέγεται περὶ αὐτοῦ. Ξένα γὰρ τὰ γενητὰ κατὰ φύσιν ἐστὶ τοῦ Θεοῦ. Διὰ τοῦτο γοῦν ἐπειδὴ τῆς σαρκὸς γενητῆς οὕσης γέγονεν, ὡς ὁ Ἰωάννης φησὶν, ὁ Λόγος σὰρξ, καίτοι κατὰ φύσιν ἴδιος καὶ ἀδιάρητος ὢν τοῦ Πατρὸς, ὁμοῦς δ' αὐτὴν λέγεται καὶ ὁ Πατὴρ μακρὰν ἀπ' αὐτοῦ· τὰ γὰρ τῆς σαρκὸς ἴδια αὐτὸς ἀνέχεται (38) περὶ αὐτοῦ λέγεσθαι· ἵνα δειχθῆ, ὅτι οὐκ ἄλλου, ἀλλ' αὐτοῦ ἦν ἴδιον τὸ σῶμα. Τοιαύτης δὲ τῆς διανοίας οὕσης, ταχύτερον ἐλεγχθήσεται Σαβέλλιος, ὅτι μὴ ἐστιν ὁ Πατὴρ ὁ γενόμενος σὰρξ, ἀλλ' ὁ τούτου Λόγος (39), ὁ καὶ ταύτην λυτρούμενος καὶ προσάγων τῷ Πατρί. Οὕτω δὲ διελέγξας καὶ πείσας, λοιπὸν καὶ περὶ τῆς τοῦ Λόγου θεότητος ἐτοιμότερον διδάξει· ὅτι Λόγος (40) καὶ Σοφία, Υἱὸς καὶ Δύναμις, ἀπαύγασμα καὶ χαρακτήρ. Ἀνάγκη γὰρ καὶ ἐνταῦθα (41) πάλιν νοεῖν, ὅτι, τοῦ Λόγου ὄντος, εἶναι δεῖ καὶ τὸν Πατέρα τοῦ Λόγου· καὶ σοφίας οὕσης, εἶναι καὶ τὸν ταύτης γονέα· καὶ ἀπαυγάσματος ὄντος, εἶναι καὶ τὸ φῶς· καὶ οὕτως εἶναι τὸν Υἱὸν καὶ τὸν Πατέρα ἓν.

27. Ταῦτα Διονύσιος εἰδὼς ἔγραψε· καὶ ἐν ἐκείνοις μὲν Σαβέλλιον ἐρίμωσεν, ἐν τούτοις δὲ τὴν Ἀρειανὴν αἵρεσιν κατέστρεψε (42). Καὶ γὰρ ὡς περ ἀνατρέπει Σαβέλλιον τὰ ἀνθρώπινα τοῦ Σωτῆρος, οὕτω καὶ πρὸς τοὺς Ἀρειομανίτας οὐκ ἀπὸ τῶν ἀνθρωπίνων, ἀλλ' ἀπὸ τῶν σημαινόντων τὴν θεότητα τοῦ Λόγου ποιεῖσθαι χρὴ τοὺς κατ' αὐτῶν ἐλέγχους· ἵνα μὴ καὶ οὗτοι, τὰ διὰ τὸ σῶμα λεχθέντα περὶ τοῦ Κυρίου παρεξηγούμενοι, νομισῶσι τοιοῦτον εἶναι τὸν Λόγον, οἷοί ἐσμεν ἡμεῖς οἱ ἀνθρωποὶ, καὶ λοιπὸν ἐπιμείνωσι τῇ ἑαυτῶν μανίᾳ. Ἄν δὲ διδαχθῶσι καὶ οὗτοι περὶ τῆς θεότητος, καταγνώσονται μὲν τῆς ἑαυτῶν κακονοίας, εὐκολώτερον δὲ μαθόντες, ὅτι ὁ Λόγος

<sup>10</sup> Joan. xiv, 9. <sup>11.12</sup> Joan. i, 14.

(34) Reg. Taurin. Jes., πεινᾶν. Mox Taurinensis Colbert. Jes., καὶ ὅτι ἠύχετο.

(35) Taurin. Colb. Jes., τόσω. Mox Reg., καὶ ἀμπέλου. In Taurin. Colb. Jes., καὶ deest.

(36) Colb. Jes. Fr. 1, ἐπακούοντα. Editi et Reg., ὑπακούοντα. Mox Reg., διδόντα.

(37) Colb. Jes. Fr. 1, ἐπακούων. Reg. Taurin. et editi, ὑπακούων. Mox Taurin. Colb. Jes. Fr. 1, καὶ ἕτερος ὁ γεωργός. Alii ut editi. In iisdem mox ὡς deest. Ibidem, λέγεται ῥήματα.

(38) Taurin. Colb. Fr. 1, ἀναδέχεται.

(39) Taurin. Jes., τούτου τοῦ Λόγου, mendose.

(40) Sic Taurin. Colb. Jes. At Reg. et editi, ὁ Λόγος, minus recte. Mox καὶ ante χαρακτήρ deest in Reg. Taur. Colb. Jes.

(41) Sic Reg. Taurin. Colb. Jes. Fr. 1. Editi vero, ταῦτα, perperam.

(42) Taurin., ἔγραψε καὶ γὰρ ὡς περ ἀνέστρεψε, ommissis intermediis. Ibidem Colb. Jes. Fr. 1, Ἀρειανικήν.



σὺρξ ἐγένετο, διακρινουσί (43) λοιπὸν καὶ οὗτοι τὰ A ἀνθρώπινα, καὶ τὰ τῆ θεότητι ἀρμόζοντα. Τούτων δ' οὕτως ἐχόντων, καὶ Διονυσίου τοῦ ἐπισκόπου δευθέρτου, ἐξ ὧν ἔγραψεν, εὐσεβοῦς, τί ποιήσουσι λοιπὸν οἱ Ἀρειομανῖται; Τίνος ἄρα πάλιν, ἐλεγχθέντες ἀπὸ τούτων, καταψεύδονται; Ἀνάγκη γὰρ αὐτοῦς, ἐκπεσόντας ἀπὸ τοῦ θεμελίου τῶν ἀποστόλων, καὶ εὐσάλευτον ἔχοντας τὴν διάνοιαν, ζητεῖν ἔρρισμα, καὶ μὴ εὐρίσκοντας, καταψεύδεσθαι λοιπὸν τῶν Πατέρων. Ἄλλ' οὐδεὶς αὐτοῖς ἐτι πιστεύσει, κὰν βιάσωνται συκοφαντεῖν· κατεγνώσθη γὰρ ἡ αἵρεσις παρὰ πᾶσιν (44)· εἰ μὴ ἄρα περὶ τοῦ διαδόλου λοιπὸν φθέγγονται· αὐτὸς γὰρ μόνος ἐστὶν αὐτοῖς σύμφωνος· μᾶλλον δὲ αὐτὸς ἐστὶν αὐτοῖς ὁ καὶ τὴν αἵρεσιν ὑποβάλλων. Τίς οὖν ἐτι τούτους, ὧν ὁ διάβολός ἐστι καθηγεμῶν, Χριστιανούς ὀνομάσειε, καὶ μὴ μᾶλλον B διαβολικούς, ἵνα μὴ μόνον Χριστομάχοι, ἀλλὰ καὶ διαβολικοὶ καλῶνται, εἰ μὴ ἄρα μεταβάλλονται (45), καὶ ἦν μὲν ἐπενόησαν ἀσέβειαν ἀρνήσωνται, τὴν δὲ ἀλήθειαν ἐπιγνώσῃ; τοῦτο γὰρ αὐτοῦς μὲν ὠφελήσει (46)· ἡμᾶς δὲ πρέπει περὶ πάντων τῶν πλανωμένων οὕτως εὐχεσθαι.

(43) Reg. et Basil., διακρίνουσιν, in præsenti. Sed melius alii cum editis, διακρινουσί. Mox Reg. Basil. et editi, οὗτοι. Alii, αὐτοί. Paulo post Taurin. Colb. Jes. Fr. 1, Τούτων δὲ οὕτως ὄντων. Reg. cum editis, Τούτων δ' οὕτως ἐχόντων.

(44) Taur. Colb. Jes. Fr. 1, παρὰ πάντων. Reg.

illis quæ ad divinitatem atinent. Hæc cum ita se habeant, Dionysiusque episcopus ex suis scriptis pius demonstratus sit, quid jam acturi sint Ariomanitæ? Quem ultra falso accusare audebunt, cum ex supradictis mendacii convicti sint? Necessè enim est illos a fundamento apostolorum lapsos, fluctuantique mente præditos sustentaculum quærere, et cum non inveniant, Patres in posterum falso accusare. Sed nemo illis ultra fidem adhibebit, etiamsi nitantur calumnias spargere: ab omnibus 207 enim eorum hæresis damnata est: nisi forte de diabolo deinceps loquantur, is enim solus cum illis consentit, imo potius ipse est qui hæresim illis suggestit. Quis igitur etiamnum eos quorum diabolus lux est, Christianos nominarit, et non potius diabolicos? ut non solum Christi hostes, sed et diabolici audiant? Nisi forte mutata sententia, quam excogitaverunt impietatem abnegent, veritatemque agnoscant: hoc enim e re illorum fuerit. Nos autem decet pro cunctis errantibus hæc precari.

Basil. et editi, παρὰ πᾶσιν.

(45) Reg., μεταβάλλονται καὶ τὴν.

(46) Reg. Taurin. Colb. Jes. Fr. 1, ὠφελήσει. Editi, ὠφελεί. Mox iidem, πλανωμένων. Editi, πεπλανημένων.

## IN EPISTOLAM AD DRACONTIUM MONITUM.

I. Dracontius monachus monachorumque præfectus in episcopatum Alexandrini agri seu Hermopolis parvæ coopatus, tum ut mox futuram persecutionem declinaret, tum quod tantum subire munus pertimesceret, aufugit seseque occultavit. Quod ubi Athanasio allatum est, Dracontium ille ad impositum onus revocare nititur, et ad calamitates Christi gregisque sui causa perferendas cohortatur. Tum offert exempla Mosis, Eliæ, Elisæi et apostolorum, qui gravissima olim pro populo Dei subire certamina non abnuerant. Monachos item recenset qui ad episcopatum promoti, id oneris cum laude populorumque emolumento perferrent. His Athanasii monitis morem gessisse Dracontium palam est. Initio namque persecutionis ab Georgio Ariano concitata, episcopus cum esset, exsulare coactus est. Ac in exsilio sui loco, Clysma nomine, aliquot annis commoratus, demum post obitum Constantii, data Ecclesiæ pace, synodo interfuit Alexandrinæ. Sed hæc alias.

II. Imminente autem Constantii postrema persecutione, instantique Paschatis solemnitate, scriptam fuisse hanc epistolam suadent complurimi ejusdem loci. Quare ad annum 354 vel 355 referenda videtur. Nequid enim ultra annum 355 hujus epistolæ tempus differri: nam initio anni 356 ante Quadragesimam grassari cœpit immanis illa Ariatorum persecutio. Nec potest illa ante annum 354 scripta fuisse: quippe sub finem duntaxat anni 355 diu post Quadragesimam, Ariani insidias conspirationesque in Athanasium in Catholicos aperte machinati sunt. In alterutrum ergo annum 354 vel 355 conferenda videtur: ad utrum pertineat, incertum.

ter unum sumus, et, Qui vidit me, vidit et Patrem meum<sup>70</sup> : sed Salvatoris exemplo præmittat ea quæ humano more de illo dicta habentur : ejusmodi sunt, esurire, laborare, quod vitis sit, quod oraverit et passus sit : quanto enim hæc dictu sunt humiliora, tantoliquidius demonstratur Patrem non esse factum hominem. Necessum est enim cum Dominus vitis appelletur, agricolam exstare : et cum oret, esse qui exaudiat ; cum denique petat, esse qui concedat. Hujusmodi quippe dicta longe facilius Sabellianorum insaniam commonstrant, quod necesse omnino sit alium esse qui orat, alium qui exaudit : alium vitem, alium agricolam. Quotquot enim verba Filium quasi alienum a Patre declarant; hæc ad carnem attinent, quam nostri causa gestavit. Opificia quippe secundum naturam a Deo sunt aliena : ideo cum caro opificium sit, Verbum, quod, ut ait Joannes, caro factum est<sup>71-72</sup>, licet secundum naturam proprium sit Patri, et ab eo indivisibile ; at tamen si caro spectetur, Pater dicitur ab illo remotus : quæ enim carni propria sunt, ipse concedit ut de se dicantur ; quo hinc palam fiat, non alterius, sed suum proprie corpus fuisse. Cum itaque hæc eo modo sint intelligenda, citius Sabellius convincetur non esse Patrem qui caro factus est ; sed ejus Verbum quod illam redemit, Patrique obtulit. Et ubi quis illum ita coarguerit ac persuaserit, hinc divinitatem quoque Verbi facilius edocebit : ipsum nempe esse Verbum et Sapientiam, Filium et Virtutem, splendorem et figuram. Necesse quippe est jam denuo colligere, cum Verbum existat, et Verbi Patrem esse oportere ; Sapientia cum sit, ejus parentem esse ; et splendor cum sit, esse quoque lucem, atque ita Patrem et Filium unum esse.

(54) Reg., τὸ πρότερον. Quæ sequuntur, enarran-  
tur item per totam epistolam encyclicam anno 341  
conscripam, et in epist. Julii, num. 43.

(55) Sic Reg. Ἀθρόως deest in editis.

PATROL. GR. XXV.

linquimur, desertique manemus. Iis enim, quos  
(post fugatos in exsiliumque missos episcopos illos)  
ad nostras partes vi pertraximus, reversi illi ab  
exsilio, persuaserunt ut adversum nos sentirent.  
Litteras igitur scribe adversus omnes, Philagrium-  
que secundo Ægypti præfectum mittito, qui stre-  
nuissimus est in persequendo, ut experientia com-  
pertum est, cum maxime sit apostata. Mitte etiam  
Gregorium Alexandriam episcopum, idoneum sane  
hominem ad nostram stabiliendam hæresim.

10. (ANNO 341.) Litteras itaque scribit Constan-  
tius, ac in omnes movet persecutionem, Philagrium-  
que mittit, cum Arsacio quodam eunucho. Mittit  
item Gregorium cum militari manu: resque supe-  
rioribus similes gestæ sunt; coacta quippe illi bu-  
bulcorum, opilionum, aliorum forensium ac petu-  
lantium juvenum multitudine, cum gladiis et clavīs  
in ecclesiam Cyrini dictam irrupere: ibique alios  
occiderunt, alios pedibus calcarunt, alios plagis la-  
nias in carcerem truserunt in exsiliumque 277  
expulerunt; mulieres plurimas abductas ad tribu-  
nal palam pertraxere, crinibusque raptatas contu-  
meliis affecere: alios proscribere, aliorum panes  
abstulere: idque nulla alia de causa, quam ut eos  
Arianis adhærere, Gregoriumque ab imperatore  
missum recipere cogèrent.

11. Athanasius porro his nondum actis, ad pri-  
mum rei auditum Romam navigavit, quod hæreti-  
corum furorem probe perspectum haberet: ut  
etiam, prout statutum fuerat, synodus ibi celebra-  
retur. Julius autem presbyteros Elpidium et Phi-  
loxenum cum litteris mittit, tempusque illis præsti-  
tuit, ut intra illud Romam se conferrent, aut sci-  
rent se in omnibus suspectos haberi. At Eusebiani,  
ubi solum audire, ecclesiasticum illie fore judi-  
cium, ubi nec comes adesset, nec milites pro fo-  
ribus stantes: ubi nec synodi acta ex Imperatoris  
jussu ederentur (hoc enim solum modo in epi-  
scopos semper prævaluerunt: iis deficientibus, ne  
mutire quidem audent), tanto sunt terrore perculti,  
ut presbyteros ultra præfixitum tempus detinerent,  
futilemque excusationem commenti: Ob Persarum  
bellum nequimus, aiebant, jam accedere. Haud  
verus autem obientus ille erat, sed conscientiarum  
metu detinebantur. Quid enim ad episcopos bel-  
lum? Et quare Persarum bello præpedirentur,  
quin Romam peterent, longinquam et transmari-  
nam urbem; illi, inquam, qui Orientis loca, etiam  
Persis finitima, tum temporis instar leonum circu-  
ibant, inquirendo quisnam ipsis adversaretur, ut  
calumniis eum suis in exsilium pellerent?

12. (ANNO 342.) Et sane postquam presbyteros  
cum absurda illa excusatione dimississent, hæc mutuo  
collocuti sunt: Cum ecclesiastico iudicio prævalere  
nequeamus, solita audacia rem geramus. Litteris

(56) Ita Reg. In editis vero καὶ legitur ante  
πρὶν. Quæ autem hic referuntur nonnihil difficul-  
tatis habent, quam in Athanasii Vita nos levasse  
speramus.

23

itaque Philagrio missis, auctores sunt, ut cum A Gregorio brevi Ægyptum peragret. Hinc episcopi flagellantur, vinculisque acerbè constinguntur : Sarapammonem igitur episcopum et confessorem pellunt in exsilium : Potammonem item episcopum confessoremque, cui oculus fuerat in persecutione effossus, tot plagis in cervicem ceciderunt, ut non ante finem facerent, quam hominem extinctum putarent. Eo igitur modo abjectus, vix post aliquas horas, curatione adhibita flabellique ope, Deo vitam concedente, respiravit : ita tamen ut, modico elapso tempore, plagarum dolore interierit, iteratique martyrii gloriam in Christo obtinuerit. Quot alii monachi flagellis cæsi sunt, sedente Gregorio cum Balacio duce nuncupato! Quot episcopi plagis concisi! Quot virgines verberatæ!

13. Post hæc improbus Gregorius omnes cohortatus est ut secum communicarent. Atqui si communionem eorum postulabas, non digni plagis erant illi; sin ut improbos lancinasti, quid ut sanctos eosdem hortabare? At nihil ille in proposito habuit, quam ut virorum qui se miserant res perageret, hæresimque stabiliret. Propterea homicida, carnifex, contumeliosus, fraudulentus, profanus, unoque verbo, Christi hostis stultus ille effectus est. Episcopi materteram ita acerbè persecutus est, ut ne defunctam quidem sineret sepeliri, quod sane futurum erat, abjectaque fuisset insepulta, nisi qui eam sustulere, quasi proprium sibi cadaver asportassent : ita impiis hæc in re moribus fuit. Præterea cum viduæ 278 cæterique mendici elemosynam accipere consuescent, iussit ea diripi quæ erogabantur, confringique vasa quibus oleum vinumque deferebatur; ut non solum rapiendo illa impie ageret, verum etiam gestis suis Dominum probro afficeret, brevi ab illo auditurus : Quantum hos inhonorasti, et me inhonorasti.

14. Multa quoque alia fecit quæ omnem loquendi facultatem superant, quibus, qui audiret, fidem negaret. Talia autem agendi hæc illi causa fuit, quod scilicet neque juxta ecclesiasticum canonem ordinatus fuisset, neque juxta apostolicam traditionem vocatus fuisset episcopus : sed ex palatio cum militari manu et pompa missus fuisset, quasi sæcularis sibi magistratus traditus esset. Quapropter magistratum potius amicus optabat esse, quam episcoporum et monachorum. Si quando igitur Pater Antonius illi ex monte scriberet, sicut pietas erga Deum peccatori abominatio est; sic ille sancti viri litteras exsecratur. Sin vero imperator, aut dux exercitus, aut alius quispiam iudex, litteras ad eum mitteret, tanta perfusus erat læti-

γρίῳ, καὶ ποιῶσιν αὐτὸν μετὰ Γρηγορίου κατ' ὄλιγον ἐξελεῖν εἰς τὴν Ἀἴγυπτον, καὶ λοιπὸν ἐπίσκοποι μαστίζονται καὶ ἐδεσμοῦντο πικρῶς. Σαραπάμμουνα γοῦν ἐπίσκοπον ὁμολογητὴν ἐξορίζουσι, Ποτάμμουνα (57) δὲ ἐπίσκοπον ὁμολογητὴν, ἀπολέσαντα καὶ αὐτὸν τὸν ὀφθαλμὸν ἐν τῷ διωγμῷ, οὕτω κατέκοψαν ταῖς καταυχενίους πληγαῖς, ὡς μὴ πρότερον παύσασθαι πρὶν ἂν νομισθῆναι τὸν ἀνθρώπον νεκρὸν. Οὕτω γοῦν ἐβρίφη, καὶ μόγις μετὰ ὥρας θεραπευόμενος καὶ διαβριπιζόμενος ἀνέπνευσε, τοῦ Θεοῦ δεδιωκτός τὸ ζῆν· ἀλλὰ μετὰ χρόνον ὄλιγον ἐκ τοῦ πόνου τῶν πληγῶν ἀπέθανεν, ἔχων ἐν Χριστῷ τὸ καύχημα δευτέρου μαρτυρίου. Πόσοι τε ἄλλοι μονάζοντες ἐμαρτίζοντο, καθεζομένου Γρηγορίου μετὰ Βαλακίου, τοῦ λεγομένου δουκός! πόσοι ἐπίσκοποι ἐκόπτοντο! πόσαι παρθένοι ἐτύπτοντο (58)!

13. Εἶτα ὁ ἄθλιος Γρηγόριος μετὰ ταῦτα παρεκάλει πάντας κοινωνεῖν αὐτῷ· καίτοι εἰ κοινωνίαν ἤξίους (59) παρ' αὐτῶν ἔχειν, οὐκ ἦσαν ἄξιοι πληγῶν· εἰ δὲ ὡς φαύλους ἔκοπτες, τί ὡς ἁγίους παρεκάλεις; Ἄλλ' οὐδὲν ἦν αὐτῷ προκειμένον, ἢ τὰ τῶν ἀποστολελλάντων πληρώσαι, καὶ τὴν αἵρεσιν συστήσαι. Διὰ τοῦτο καὶ (60) ἀνδροφρόνος γέγονε καὶ δήμιος, καὶ ὕβριστής, καὶ δόλιος, καὶ βέβηλος, καὶ τὸ ὅλον Χριστομάχος ὁ ἀνόητος. Τὴν γοῦν τοῦ ἐπισκόπου θείαν οὕτως ἐδίωξεν, ὡς μὴδὲ ἀποθανοῦσαν ἀφεῖναι ταφῆναι· καὶ τοῦτ' ἂν ἐγεγόνει, καὶ ἄταφος ἐβρίφη, εἰ μὴ οἱ ὑποδεξάμενοι αὐτὴν ὡς θῶον νεκρὸν ἐξηγεγχαν· οὕτω καὶ ἐν τούτοις εἶχεν ἀνόσιον τὸν τρόπον. Καὶ γὰρ καὶ χηρῶν (61) καὶ ἄλλων ἀνεξόδων λαθόντων ἐλεημοσύνην, ἐκέλευε τὰ δεδομένα διαρπάξεσθαι, καὶ τὰ ἀγγεῖα ἐν οἷς ἔφερον τὸ ἐλαιὸν καὶ τὸν οἶνον, κατεσάγασθαι (62), ἵνα μὴ μόνον λαθῶν ἀσεβῆση, ἀλλὰ καὶ ἔργοις ἀτιμάξῃ τὸν Κύριον, ἀκουσόμενος ὅσων οὐδέπω παρ' αὐτοῦ· Ἐφῶσον ἠτίμασας τούτους, ἐμὴ ἠτίμασας.

14. Πολλὰ τε ἕτερα ἐποίησε, καὶ λόγου φράσιν ὑπεραίρει, καὶ ἀκουσὰς τις ἄπιστα νομίσειε. Ταῦτα δὲ διὰ τοῦθ' οὕτως ἐπραττεν, ἐπεὶ μήτε ἐκκλησιαστικῷ κανόνι τὴν κατάστασιν εἶχε, μήτε ἀποστολικῆ παραδόσει κληθεὶς ἦν ἐπίσκοπος· ἀλλ' ἐκ παλατίου μετὰ στρατιωτικῆς ἐξουσίας καὶ φαντασίας ἀπέσταλτο, ὥσπερ ἀρχὴν κοσμικὴν ἐγκρατεισμένος. Διὰ τοῦτο καὶ ἀρχόντων μάλλον ἠύχετο φίλος εἶναι ἢ ἐπισκόπων καὶ μοναζόντων. Εἰ ποτε οὖν καὶ ὁ Πατὴρ Ἀντώνιος ἐκ τοῦ θροῦ ἐγραφεν, ὥσπερ βδέλυγμα ἀμαρτωλῶν θεοσεβεία, οὕτως ἐδέλευσσετο τὰ τοῦ ἁγίου γράμματα. Εἰ ποτε δὲ βασιλεὺς, ἢ στρατηλάτης, ἢ ἄλλος δικαστὴς ἐπέστελλεν, οὕτω περιχαρῆς ἐγίνετο, ὡς οἱ ἐν ταῖς Παροιμίαις, καθὼς σχετιάζων εἶπεν ὁ λόγος· Ὡς οἱ ἐγκαταλείποντες ὁδοὺς εὐθείας, οἱ

(57) Reg., Ποτάμμουνα cum unico μ. Mox Reg. et Basil., ἀπολέσαντα. Editi vero, ἀπολέσαντα, male. Paulo post Reg., κατέκοψε, perperam.

(58) Hæc, πόσαι παρθένοι ἐτύπτοντο, desunt in editis, sed in Reg. leguntur.

(59) Sic Reg., Basil. et edit. Commeliniana. Edit. vero Paris., ἤξιους, male.

(60) Καὶ post τοῦτο deest in editis, sed in Reg.

habetur.

(61) Sic Reg. In editis vero καὶ χηρῶν deest. Ibid., ἀνεξόδους, hæc vox significat mendicos, ita vocatos, quod eam ἀνὰ τὰς ἐξόδους per vias : at longe alio sensu accepta est a quibusdam, sed male, ut infra videbitur.

(62) Sic editi. Reg., κατεσάσσεσθαι.

εὐφραινόμενοι ἐπὶ κακοῖς, καὶ χαίροντες ἐπὶ A  
διαστροφῇ κακῶν. Ἀμέλει τοὺς μὲν ταῦτα κομι-  
ζοντας ἐτίμα χρήμασιν (63). Ἀντωνίου δὲ ποτε  
γράφαντος, πεποίηκε τὸν δοῦκα Βαλάκιον καταπτύ-  
σαι τῆς ἐπιστολῆς, καὶ ταύτην ἀποβρίψαι. Ἄλλ' οὐ  
παρεῖδεν ἢ θεὰ δίκη· μετ' οὐ πολὺ γὰρ τὸν λεγόμε-  
νον δοῦκα ἐπικαθήμενον ἵππῳ, καὶ ἀπερχόμενον  
εἰς τὴν πρώτην μονὴν, ἐπιστραφεὶς ὁ ἵππος, καὶ  
δακῶν εἰς τὸν μηρὸν. κατέβαλε, καὶ τριῶν ἡμερῶν  
ἀπέθανεν.

15. Ἐκεῖνοι μὲν οὖν οὕτως ἐπραττον κατα παν-  
των· ἐν δὲ τῇ Ῥώμῃ, συνελθόντες ἐπίσκοποι που  
πεντήκοντα, τοὺς μὲν περὶ Εὐσέβιον, ὡς ὑπόπτους  
καὶ φοβηθέντας ἐλθεῖν, οὐκ ἀπεδέξαντο, ἀλλὰ καὶ τὰ  
γραφέντα παρ' αὐτῶν ἠκύρωσαν· ἡμᾶς δὲ ἀπεδέ-  
ξαντο, καὶ τὴν πρὸς ἡμᾶς κοινωνίαν ἠγάπησαν. B  
Ἔως δὲ ταῦτα ἐγίγνετο, ἦλθεν εἰς γῶσιν τοῦ βασι-  
λέως Κωνσταντος, ἣ τε ἐν Ῥώμῃ γενομένη σύνοδος,  
καὶ τὰ ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ, καὶ πάσῃ τῇ Ἀνατολῇ  
κατὰ τῶν Ἐκκλησιῶν γενησέμενα· καὶ γράφει τῷ  
ἀδελφῷ Κωνσταντῷ, καὶ λοιπὸν ἀμφοτέροις ἀρέσκει  
σύνοδον γενέσθαι, καὶ διαγνωσθῆναι τὰ πράγματα,  
ἵν' οἱ μὲν ἀδικηθέντες μηκέτι πάσχωσιν, οἱ δὲ ἀδι-  
κοῦντες μηκέτι τοιαῦτα τολμᾶν δύνωνται (64). Συν-  
έρχονται τοίνυν ἀπὸ τε τῆς Ἀνατολῆς καὶ τῆς Δύσεως  
ἐν τῇ Σαρδῶν πόλει πλέον ἢ ἑξαττον ρο' τὸν ἀριθμὸν  
ἐπίσκοποι. Καὶ οἱ μὲν ἀπὸ τῆς Δύσεως μόνον ἦσαν  
ἐπίσκοποι, ἔχοντες Πατέρα τὸν Ὅσιον· οἱ δὲ ἀπὸ τῆς  
Ἀνατολῆς ἐπήγοντο μετ' ἑαυτῶν παιδαγωγούς καὶ  
συνηγόρους, Μουσουλανδὸν κόμητα (65), καὶ Ἡσύχιον C  
τὸν Καστρήσιον, δι' οὓς καὶ προθύμως ἦλθον, νομί-  
ζοντες μετ' ἐξουσίας αὐτῶν πάντα πράττεσθαι.  
Οὕτω γὰρ αἰεὶ διὰ τούτων φοβερούς ἑαυτοὺς ἐδείκνυον  
οἷς ἐθούλοντο, καὶ ἐπεθούλευον οἷς ἂν (66) αὐτοῖς  
ἐδόκει. Ὡς δὲ ἀπαντήσαντες ἐωράκασιν ἐκκλησιαστι-  
κὴν δίκην μόνην γενομένην χωρὶς κόμιτος καὶ στρα-  
τιωτῶν (67), ὡς ἐωράκασιν τοὺς ἀφ' ἐκάστης Ἐκ-  
κλησίας καὶ πόλεως κατηγόρους, καὶ τοὺς κατ' αὐ-  
τῶν ἐλέγγους· ὡς ἐωράκασιν Ἀρείον καὶ Ἀστέριον,  
τιμίους ἐπισκόπους, ἀνελθόντας μὲν σὺν αὐτοῖς, ἀπο-  
δημήσαντας δὲ ἀπ' αὐτῶν, καὶ ἐλθόντας μετ' ἡμῶν,  
διηγουμένους τε τὴν πανουργίαν ἐκείνων, ὡς ὑποπτοί  
εἶεν ἐν (68) τοῖς πράγμασι, καὶ φοβοῦνται κρίσιν  
γενέσθαι, μὴ ἐλεγχθῶσι παρ' ἡμῶν μὲν συκοφάν-  
ται, παρὰ δὲ τῶν ἐπλάσαντο κατηγόρων, ὡς αὐτοὶ D  
πάντα ὑποβαλόντες (69), καὶ τὰ τοιαῦτα μηχανησά-  
μενοι· ταῦτα συνορῶντες, καίτοι μετὰ σπουδῆς ἐλ-  
θόντες, νομίσαντες μηδὲ ἡμᾶς ἀπαντᾶν ὡς φοβουμέ-  
νους· ὡς ἐωράκασιν καὶ τὴν ἡμῶν προθυμίαν, ἀπο-  
κλείουσιν ἑαυτοὺς ἐν τῷ παλατίῳ· ἐκεῖ γὰρ ὄκουν.

11 Prov. II, 13.

(63) Hæc item enarrantur in *Vita Antonii*, sed cum non nulla discrepantia. Ibi videsis.

(64) Reg., δύνωνται.

(65) Reg., κόμιτα, prima manu; secunda, κόμητα. Mox Reg., Καστρήσιον, recte. Editi, Καστρίσιον.

(66) Reg., οἷς ἐάν.

tia, quanta illi de quibus in Proverbiis haud sine indignatione dicitur: *Vae qui derelinquunt vias rectas, qui lætantur in malis, et qui gaudent in conversatione malorum* 11. Eos certe qui hujusmodi sibi litteras deferebant pecuniarum dono remunerabat. Antonius vero cum aliquando scripsisset, auctor fuit ille ut Balacius dux in epistolam spueret, illamque projiceret: sed rem haud inultam reliquit divina vindicta; siquidem non diu postea equo insidentem ducem, et ad proximam mansionem iter momordit, ut humi dejiceret, intraque triduum ille obiret.

15. Hæc erant illorum adversum omnes facinora. Romæ vero coacti episcopi plus minus quinquaginta, Eusebium et socios utpote suspectos ac metuentes accedere, nequaquam receperunt, imo eorum rescripta irrita fecerunt: nos autem admiserunt nostramque communionem amplexi sunt. Hæc dum agerentur, ad notitiam Constantis imperatoris devenere, cum Romana synodus, tum res Alexandria in universo Oriente adversus Ecclesias gestæ: scripsitque ille fratri suo Constantio, ac demum placuit utrique ut synodus celebraretur, expenderenturque negotia: ut ne ultra vexarentur qui læsi fuissent, ac qui alios læserant, ne ejusmodi res perpetrare auderent. Conveniunt (ANNO 347) cum ex Oriente tum ex Occidente in Sardica urbe episcopi plus minus centum septuaginta. Occidentales autem episcopi soli erant, secum habentes Patrem Hosium: Orientales vero pædagogos advocatosque secum adducebant, Musonianum comitem et Hesychiom Castrensem: quorum ope freti alacri animo accessere, rati se omnia deinceps eorum potentia acturos. Eo enim modo ac ejusmodi opitulatoribus subnixi, sese quibus libuit terribiles exhibuere, ac quibus placuit insidiati sunt. At ubi accedentes adverterunt ecclesiasticum ibi fore judicium absque comite vel militibus: ubi ex singulis Ecclesiis urbibusque accusatores viderunt, cum paratis adversum se documentis: ubi Arium conspexerunt et Asterium, venerabiles episcopos, qui, cum secum accessissent, a se recesserant, ad partesque nostras se contulerant, quique eorum vafritionem enarrabant; quantum scilicet in gestis suis 279 suspecti essent, quam timerent illi ne judicium ferretur, neve a nobis sycophantæ deprehenderentur, ab iisque quos subornarant accusatoribus proderentur, quod ipsi scilicet omnia suggestissent, ejusmodique res moliti essent; hæc animadvertentes, tametsi alacri animo isthuc se contulerant, rati nos præ formidine sui ne accedere quidem ausuros: ubi fiduciam conspexere

(67) Hæc, χωρὶς κόμιτος καὶ στρατιωτῶν, desunt in editis, sed in Reg. habentur, in quo secundæ manu legitur κόμητος, prima κόμιτος, et sic infra et alias semper. Qui infra Ἀρτίος dicitur, Macarius vocatur in postrema Sardicensi epistola.

(68) Sic Reg. In editis vero ἐν δεξι.

(69) Ita Reg. Editi, ὑποβάλλοντες.

nostram, sese recludunt intra palatium, illic enim habitabant. Tum invicem colloquebantur: Ad alia venimus, alia conspiciamus: accessimus cum comitibus, et absque comitibus iudicium redditur: damnabimur haud dubie. Nostis omnes quoniam iussa fuerint: habet Athanasius rerum in Mareote gestarum monumenta, quibus ille purgatur, nos dedecore afflicimur. Quid moramur? quid comperendinamur? causas comminiscamur ad secedendum, ne hic manentes damnemur. Satius est fugientes erubescere, quam sycophantas deprehensos affici pudore. Si fugiamus, qualicumque modo possumus hæresi patrocinari: quod si nos fugientes damnarint, haud deerit patronus, imperator scilicet, qui non sinet nos ex Ecclesiis a populis exturbari.

16. Hoc illi modo invicem colloquebantur. Hosius vero cæterique omnes episcopi, frequentius illis Athanasii et sociorum fiduciam significabant, declarabantque quam parati illi essent ad depellenda crimina, promittentes se probaturos sycophantas illos esse. Aiebant item: Si iudicium pertimescitis, cur accessistis? oportuit enim aut non accessisse, aut postquam venistis non aufugere. His auditis illi, graviore percussis terrore, cum absurdiorem, quam dudum Antiochiæ, attulissent excusationem; quod scilicet ipsis imperator litteris suis victoriam de Persis reportatam significasset, fugam fecerunt. Ejusmodique excusationem citra ullum pudorem miserunt per Eustathium Sardicensis Ecclesiæ presbyterum. Verum ne ita quidem illis fuga ex sententia cessit: statim namque sacra synodus cujus præses erat magnus Hosius, hæc aperte illis rescripsit: Aut occurrite vos purgaturi de quibus accusati estis, deque calumniis quas struxistis, aut notum sit vobis, ut noxios a synodo vos esse damnandos, Athanasium vero et socios insontes ab omnique crimine puros declarandos. At illi conscientie metu exterriti, magis ad fugam impellebantur, quam litteris obtemperarent: cum enim viros a se læsos coram conspicerent, ne converso quidem ad legatos vultu velocius fugiebant.

17. Ita igitur illi turpiter et indecore fugam fecere. Sacra vero synodus, ex plus triginta quinque provinciis coacta, animadversa Arianorum malignitate, Athanasium sociosque admisit, ut sese purgantem de allatis criminibus, quarum causa tot fuerant calamitatibus afflicti. Postquam autem illas depulissent eo quo supra retulimus modo, a synodo admissi ac summæ admirationi habiti sunt, adeo ut eorum communionem amplecterentur: ac missis ubique litteris, missis item in unamquamque provinciam, maximeque Alexandriam, in Ægyptum, et in Libyas, Athanasium et socios, puros omnisque criminis expertes esse, declararunt: adversarios autem illorum, sycophantas, faciuiosos, ac quidvis potius quam Christianos. Illos igitur cum pace

(70) Ita Reg. Editi, κατακρίνεσθαι. Utraque lectio quadrat.

(71) Reg., ἀν δέ.

Καὶ λοιπὸν ἀλλήλοις συνελάλουν· Ἠλθομεν ἐπ' ἄλλοις, καὶ ἄλλα βλέπομεν· ἀπηγησάμεν μετὰ κομητῶν, καὶ χωρὶς κομητῶν ἡ κρίσις γίνεται· κατακρινόμεθα πάντως. Οἴδατε πάντες τὰ προστάγματα· ἔχουσιν οἱ περὶ Ἀθανάσιον τὰ ἐν τῷ Μαρεώτῃ ὑπομνήματα, ἐξ ὧν αὐτὸς μὲν καθαρίζεται, ἡμεῖς δὲ κατακρινόμεθα. Τί δὴ οὖν μέλλομεν; Τί βραδύνομεν; πλασώμεθα προφάσεις, καὶ ἀπέλωμεν, μὴ μένοντες κατακρινώμεν. Βέλτιον φεύγοντας ἐρυθριῶν, ἢ ἐλεγχθέντας συκοφάντας κατασχύνεσθαι (70). Ἐὰν φύγωμεν, δυνάμεθά πως καὶ τῆς αἰρέσεως προΐστασθαι· ἐὰν δὲ (71) καὶ φεύγοντας ἡμᾶς κατακρίνωσιν, ἀλλ' ἔχομεν βασιλεῖα προστάτην, τὸν μὴ ἀφιέντα ἡμᾶς ὑπὸ τῶν λαῶν ἐκβάλλεσθαι ἀπὸ τῶν Ἐκκλησιῶν.

16. Τοιαῦτα μὲν οὖν (72) ἐκεῖνοι διελογίζοντο· Ὅτιος δὲ καὶ οἱ ἄλλοι πάντες ἐπίσκοποι πυκνότερον αὐτοῖς ἐστήμαιον τὴν προθυμίαν τῶν περὶ Ἀθανάσιον, καὶ ὡς ἔτοιμοι πρὸς ἀπολογίαν εἰσιν, ἐπαγγελλόμενοι διελέγειν ἡμᾶς συκοφάντας· Ἐλεγόν τε· Εἰ φοβεῖσθε τὴν κρίσιν, τί ἀπηγῆτε; Ἴδει γὰρ ἢ μὴ ἔλθειν, ἢ ἐλθόντας μὴ φεύγειν. Ἐκεῖνοι ταῦτα ἀκούοντες, καὶ μᾶλλον κατακλιθέοντες, ἀπρεπεστέρῃ τῆς ἐν Ἀντιοχείᾳ προφάσεως ἄλλη προφάσει χρῆσάμενοι, ὡς βασιλέως αὐτοῖς ἐπινίκια κατὰ Περσῶν γράψαντος, ἐπεχείρησαν φεύγειν. Καὶ ταύτην τὴν πρόφασιν οὐκ αἰδουμένους ἐπεμψαν δι' Εὐσταθίου πρεσβυτέρου τῆς κατὰ Σαρδικίην Ἐκκλησίας. Ἄλλ' οὐδὲ οὕτως αὐτοῖς ἡ φυγὴ καταθμῶς ἀπέδῃ (73)· εὐθὺς γὰρ ἡ ἀγία σύνοδος, ἧς προήγορος ἦν ὁ μέγας Ὅσιος, ἔγραψεν αὐτοῖς φανερώς ἢ ἀπαντήσατε ἀπολογησόμενοι πρὸς τὰς ἐπιφερομένας καθ' ἡμῶν κατηγορίας, καὶ ἅς εἰργάσασθε συκοφαντίας, ἢ γινώσκετε, ὅτι ἡμᾶς μὲν ὡς ὑπευθύνους ἡ σύνοδος κατακρίνει· τοὺς δὲ περὶ Ἀθανάσιον ἐλευθέρους καὶ καθαρῶς ἀπὸ πάσης αἰτίας ἀποφαίνεται. Ἐκεῖνοι τοίνυν ὑπὸ φόβου τοῦ συνειδότες ἡλαύνοντο μᾶλλον, ἢ τοῖς γράμμασιν ἐπέιθοντο· καὶ γὰρ τοὺς ἀδικηθέντας παρ' αὐτῶν ὀρώντες, οὐδὲ πρὸς τοὺς λέγοντας ἐπεστρέφοντο, ἀλλ' ὀφύτερον ἐφευγον.

17. Ἐκεῖνων μὲν οὖν οὕτως αἰσχυρῶς καὶ ἀπρεπῶς γέγονεν ἡ φυγὴ· ἡ δὲ ἀγία σύνοδος ἡ ἀπὸ λ' καὶ πλέον ἐπαρχιῶν συναχθεῖσα, ἐπιγνώσα τὴν τῶν Ἀρειανῶν κακοθήειαν, ἐδέξατο τοὺς περὶ Ἀθανάσιον εἰς ἀπολογίαν περὶ ὧν πεπόνθασι, κάκεινοι κατηγορήσαν· καὶ οὕτως ἀπολογησαμένους, ἔπερ ἐν τοῖς ἔμπροσθεν εἰρήκαμεν, ἀπεδέξατο καὶ ὑπερεθαύμασεν, ὥστε αὐτούς τε καὶ τὴν κοινωνίαν αὐτῶν ἀγαπῆσαι, καὶ γράψαι πανταχοῦ, γράψαι τε καὶ εἰς τὴν ἐκάστου παροικίαν, καὶ μάλιστα εἰς Ἀλεξάνδρειαν καὶ τὴν Ἀίγυπτον, καὶ εἰς τὰς Λιβύας, Ἀθανάσιον μὲν καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ καθαρῶς καὶ πάσης μέμφεως ἐκτὸς εἶναι, τοὺς δὲ κατ' αὐτῶν γενομένους συκοφάντας, κακούργους, καὶ πάντα μᾶλλον ἢ Χριστιανούς τυγχάνειν. Ἀπέλυσαν γοῦν αὐτούς μετ' εἰρήνης·

(72) Sic Reg. In editis οὖν deest.

(73) Ita Reg. Editi vero, ἐπέδῃ.



κτιθειλον δε Στέφανον και Μηνόφαντον, Ἀκάκιον και Γλώργιον τὸν ἐν Λαοδικείᾳ, Οὐρσάκιον, και Οὐάλεντα, και Θεόδωρον και Νάρκισσον· Γρηγόριον γάρ τὸν ἀπὸ βασιλείως εἰς Ἀλεξάνδρειαν ἀποσταλέντα οὕτως ἀπκηρύξαν, ὡς μὴδὲ ὅλως ἐπίσκοπον γενόμενον, μὴδὲ (74) ὀφειλοντα Χριστιανὸν ὀνομάζεσθαι· ἠκύρωσαν γοῦν και ἄς ἐδοξε καταστάσεις ποιέσθαι, προστάξαντες μὴδὲ αὐτὰς ὅλως ἐν Ἐκκλησίᾳ (75) ὀνομάζεσθαι διὰ τὸ καινὸν τῆς παρανομίας. Οὕτω μὲν οὖν Ἀθανάσιος και οἱ σὺν αὐτῷ ἀπελύθησαν μετ' εἰρήνης. Τὰ τε γράμματα (76) ἐν τῷ τέλει γέγραπται (77) διὰ τὸ μῆκος τῆς ἐπιστολῆς· και ἡ σύνοδος διὰλέλυται.

18. Οἱ δὲ καθαιρεθέντες, δέον και οὕτως ἡρεμεῖν, οἱ δὲ και μετὰ τὴν οὕτως αἰσχρὰν φυγὴν κατελθόντες, τοιαῦτα ἐδρασαν, ὡς ἐκ τούτων μικρὰς αὐτῶν τὰς προτέρας δειχθῆναι πράξεις. Ἐπειδὴ γάρ οὐκ ἠθέλησαν αὐτοῖς οἱ ἐν Ἀδριανουπόλει κοινωῆσαι, ὡς φυγοῦσιν ἀπὸ τῆς συνόδου και ὑπευθύνους γενομένοις, ἀνήνεγκαν βασιλεῖ Κωνσταντῷ, και πεποιήκασιν ἀπὸ τῆς ἐκεῖ καλουμένης Φάβρικος δέκα (78) λαϊκῶν ἀποτμηθῆναι τὰς κεφαλὰς, ὑπουργοῦντος αὐτοῖς και εἰς τοῦτο Φιλαγρίου, πάλιν ἐκεῖ κόμητος (79) γενομένου. Καὶ τούτων τὰ μνήματα πρὸ τῆς πόλεως ἐστίν, ἅπερ παρερχόμενοι και ἡμεῖς ἐωράκαμεν. Εἶτα ὥσπερ (80) κατορθώσαντες, ὅτι διὰ τοῦτ' ἐφυγον, ἵνα μὴ ἐλεγχθῶσι συκοφάνται, ἅπερ ἐβούλοντο, ταῦτα και βασιλεὺς ἐκέλευε. Πεποιήκασιν γοῦν και ἀπὸ τῆς Ἀλεξανδρείας εἰς τὴν Ἀρμενίαν ἐξορισθῆναι πρεσβυτέρους δύο, και διακόνους τρεῖς· και Ἀρειον μὲν και Ἀστέριον, τὸν μὲν ἀπὸ Πετρῶν τῆς Παλαιστίνης, τὸν δὲ ἀπὸ τῆς Ἀραβίας, ἐπισκόπους, τοὺς ἀποπηδήσαντας ἀπ' αὐτῶν, οὐ μόνον ἐξώρισαν εἰς τὴν ἄνω Λιβύην, ἀλλὰ και ὕδρων μεταστρεῖν αὐτοὺς πεποιήκασιν.

19. Λούκιον δὲ τὸν τῆς Ἀδριανουπόλεως ἐπίσκοπον, ἐπειδὴ (81) ἐβλεπον πολλῇ τῇ κατ' αὐτῶν παρόβρῃσι χρώμενον, και ἐλέγχοντα αὐτῶν τὴν ἀσέθειαν, πεποιήκασιν πάλιν, ὥσπερ και πρότερον, ἀλύσεισι σιδηραῖς δεθῆναι τὸν τράχηλον και τὰς χεῖρας, και οὕτως ἐξώρισαν, ἔνθα και ἐτελεύτησεν, ὡς ἐκείνοι γινώσκουσι. Καὶ Διδώρον μὲν ἐπίσκοπον ἐκτοπίζουσιν, Ὀλύμπιον δὲ τὸν ἀπὸ Δ'ἰωνος Θεόδουλον (83)

dimisere; Stephanum vero, Menophantum, Acacium, Georgium Laodicensem, Ursacium, Valentem, Theodorum et Narcissum deposuere. Nam Gregorium ab imperatore Alexandriam missum, ita proscripserunt, ut qui nunquam episcopus fuisset, nec vel Christianus esset vocandus. 280 Ordinationes etiam quas fecisse putabatur irritas declararunt, jusseruntque, ut ne nominarentur quidem in Ecclesiis, ob prævicationis insolentiam. Ita cum pace Athanasius et socii dimissi sunt. Litteræ vero eorum ob epistolæ prolixitatem in fine sunt adjunctæ. Sic porro soluta synodus est.

18. Qui autem depositi fuerunt, quos vel tunc quiescere par fuit, post adeo turpem fugam, digressi, talia perpetrarunt scelera, ut levia priora facinora iis collata viderentur. Nam cum Adrianopolitani communicare cum ipsis nolent, quod scilicet a synodo aufugissent flagitiisque obnoxii essent, illos ad imperatorem detulere, effeceruntque ut ex Fabrica, ita dicta scilicet, decem laici capite truncarentur: hac in re ministro usi Philagrio, illic tum comite. Horum monumenta ante urbem sita, nos illac transeuntes vidimus. Deinde quasi rem præclare gessissent, quod scilicet propterea aufugissent ne sycophantæ deprehenderentur, quodcumque placuit ipsis, id ab imperatore jussum est. Duos igitur presbyteros, diaconosque tres in Armeniam relegari curarunt: Arium vero et Asterium, illum Petrarum in Palæstina, hunc in Arabia episcopum, quod abs se resiliissent, non modo in superiorem Libyam relegarunt, sed et operam dederunt ut contumeliis afficerentur.

19. Lucium vero Adrianopolis episcopum, cum magna adversum se loquendi fiducia utentem, suamque impietatem coarguentem cernerent, catenis ferreis iterum, quod jam prius egerant, collo et manibus vinciri curarunt: itaque illum in exsilium miserunt: atque illic, ut ipsi probe norunt, defunctus est (82). Diodorum item episcopum loco pellunt. Olympium autem Ænorum, Theodulumque

(74) Sic Reg. In editis vero, και ante μὴδὲ. Mox Reg., ἠκύρωσαν γοῦν. Editi, ἠκύρωσαν γάρ.

(75) Sic Reg. Editi, ἐν Ἐκκλησίαις.

(76) Epistolæ hic memoratæ habentur in *Apol. contra Arian.*, num. 41, ideoque non sunt ab amanuensis ad calcem hujus operis appositæ.

(77) Sic Reg. et Basil. Editi, male, ἐν εἰρήνῃ γέγραπται.

(78) Sic Regius, et Basiliensis codex, et ita legit Nannius qui vertit *decem*. Et hæc vera lectio est. Male igitur quidam Nannium haud sine convitio emendare voluerunt. Editi, Φάβρικος δέκα λαϊκῶν, perperam. De Fabrica Ammianus Marcellinus, l. xxxi, c. 6: *Omnem plebem cum Fabricensibus, quorum illic (Adrianopoli scilicet) ampla est multitudo*, etc.

(79) Sic Basil. Reg., ἐκεῖ κόμητος, de more. Editi non habent, ἐκεῖ.

(80) Ita Regius et Basil. Editi vero, εἶναι ὥσπερ.

(81) Sic Reg. Editi, ἐπειδὴ. Mox Reg., και ἐλέγ-

χοντα. Editi, κατελέχοντα. Quæ Lucium porro Adrianopolitanum spectant, nonnihil implicata sunt: D putant quidam eum jam ante Romanam synodum anni 342 bis catenis vinctum fuisse; unde colligatur illud jam tertio, anno scilicet 347, contigisse. Sed minime certa res est: imo ex his Athanasii verbis, ὥσπερ και πρότερον, indicari videtur semel tantum eum antea vinctum fuisse. Licet enim in Apologia de Fuga, num. 3, legamus τὸν πολλὰς τὰς ἀλύσεις φορέσαντα, qui *catenas pluries gestavit*; at illud *pluries* actum dici potest, quod bis contigerit. Admodum dubia res est.

(82) Obiis-e putatur Lucius ante annum 350.

(83) Quæ de Theodulo hic habentur, putant aliqui non cohærere cum Encyclica Sardicensis synodi Epistola, ubi Theodulus jam obiisse fertur, num. 45; qui enim, aiunt, post Sardicensem synodum vexari ab Arianis potuit, qui jam ante synodum extinctus esset? Verum nihil hic difficultatis erit, si dicamus Theodulum, statim atque Ariani Sardica aufugientes in Thraciam pervenissent, fu-

Trajanopolis, ambos Thraciæ episcopos, probosque illos et orthodoxos viros, cum hæresi suæ adverterent esse infensissimos, calumniati sunt. Et illud primo egerant Eusebiani, eaque de re scripserat imperator Constantius; secundo ipsi calumnias reintegrarunt. Illud autem litteræ ferebant, ut non modo ipsi urbibus ecclesiisque suis pellerentur: sed ut capitali pœna, sicubi reperti fuissent, plecterentur. Hoc autem tametsi stupendum est, nequam alienum tamen ab eorum proposito; nam id ipsum cum ab Eusebianis didicerint, hæredesque sint illorum impietatis, atque propositi; ut patres sui in Thracia, sic et illi Alexandria sese terribiles exhibere cœti sunt: litterasque obtinuerunt quibus jussum erat ut ad portus ingressusque urbium custodiæ agerentur, ne ii quibus id concessum a synodo fuerat, ad suas Ecclesias remigrarent. Auctiores quoque fuerunt ut scripto significaretur Alexandrinis iudicibus, circa Athanasium, et quosdam nominatim recensitos presbyteros; ut sive episcopus, sive quispiam ex illis, vel in urbem vel in fines ejus ingressus deprehenderetur, iudici liceret istis repertos **281** capite truncare. Ita scilicet Judaica nova illa hæresis non modo Christum abnegat, sed etiam interficere didicit.

20. Verum ne ita quidem conquieverunt illi. Sed sicut ipsorum hæreseos pater tanquam leo circuit quærens quem devoret; sic et illi accepta publici curriculum facultate, circummeantes, si quos offenderent qui fugam sibi exprobrarent, Arianamque aversarentur hæresim, hos flagris cœdunt, vinciunt, patria cogunt exsulare. Tantusque terror hominum illorum fuit, ut multi ad simulandum adacti fuerint: multi in solitudinem fugere mallent, quam ullo modo cum illis communicare. Hæc post fugam erant furentium hominum facinora. Imo vero novum quoddam scelus aggrediuntur, eorum sane hæresi consentaneum: verum quod nec ante auditum, neque forte unquam futurum sit, ne vel apud gentilium petulantissimos, nedum apud Christianos. Nam cum sacra synodus legatos episcopos misisset (ANNO 348), Vicentium Capuæ, quæ metropolis est Campaniæ, episcopum, et Euphratem Agrippinæ, quæ metropolis est Galliæ Superioris: ut, prout decretum a synodo fuerat, imperator episcopos in suas reverti ecclesias concederet, quos nempe expulisset ipse, etsi commendatitias pro episcopis litteras misisset fratri suo piissimus Constans; at admirandi homines, ad omneque scelus audacissimi, ubi illos Antiochiæ conspexere, una consilium ineunt, solus tamen Stephanus, utpote ad res hujusmodi probe compa-

gatum ab Arianis, interiisse antequam soluta Sardinensis synodus esset. Res certa videtur: nam hic Athanasius res statim a fuga gestas ab Arianis enarrat. Certumque est cœpisse synodum post Arianorum fugam, et aliquantum temporis durasse. Licet autem quædam superius enarrarit Athanasius quæ non nisi post solutam synodum contigisse videntur, videlicet quæ paulo ante refert de Ario et Asterio episcopis, hoc, inquam, nihil negotii faciat: non ordine quippe res gestas recenset ipse, sed

τὸν ἀπὸ τῆς Τραϊανουπόλεως, ἀμφοτέρους ἀπὸ τῆς Θράκης ἐπισκόπους, ἀγαθοὺς καὶ ὀρθοδόξους ἀνδρας, ἐπειδὴ ἐωράκασι μισοῦντας τὴν αἵρεσιν, διέβαλον, τὸ πρῶτον μὲν οἱ περὶ Εὐσέβιον, καὶ ἔγραψε βασιλεὺς Κωνσταντίος, τὸ δεύτερον δὲ ὑπέμνησαν οὗτοι. Ἦν δὲ τὰ γραφέντα μὴ μόνον ἐκβάλλεσθαι τῶν πόλεων καὶ τῶν Ἐκκλησιῶν αὐτοὺς, ἀλλὰ καὶ κεφαλικὴν διδόναι δίκην, εἴ που εὐρεθεῖεν οὗτοι. Τοῦτο δὲ εἰ καὶ θαυμαστὸν, ἀλλ' οὐκ ἀλλότριον τῆς προαιρέσεως αὐτῶν· ὡς γὰρ μαθόντες τὸ τοιοῦτον ἀπὸ τῶν περὶ Εὐσέβιον, καὶ ὡσπερ κληρονόμοι τῆς ἀσεβείας καὶ τῆς προαιρέσεως αὐτῶν συγγάνοντες, ἠθέλησαν, ὡς οἱ πατέρες αὐτῶν ἐν τῇ Θράκῃ, οὕτω καὶ οὗτοι ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ φοβερούς ἑαυτοὺς δεῖξαι· καὶ ποιεῦσι γραφῆναι, ὥστε τοὺς λιμένας καὶ (84) τὰς εἰσόδους τῶν πόλεων τηρεῖσθαι, μήπως διὰ τὴν ἀπὸ τῆς συνόδου συγχώρησιν ἐπανέλθωσιν εἰς τὰς Ἐκκλησίας. Ποιοῦσι δὲ γραφῆναι καὶ τοῖς [ἐν] Ἀλεξανδρείᾳ δικασταῖς, περὶ Ἀθανασίου καὶ πρεσβυτέρων τινῶν ἐξ ὀνόματος, Ἰνα, εἴτε ἐπίσκοπος, εἴτε τις ἐξ ἐκείνων εὐρεθεῖ τῆς πόλεως ἢ τῶν ὄρων αὐτῆς ἐπιβάς, ἐξῆ τῷ δικαστῇ τῶν εὐρισκομένων τὰς κεφαλὰς ἀποτέμνειν. Οὕτως ἡ Ἰουδαϊκὴ νέα αἵρεσις οὐ μόνον ἀρνεῖται τὸν Κύριον, ἀλλὰ καὶ φρονεῖν μεμάθηκεν.

20. Οὐδὲ οὕτω δὲ ἡρέμουν, ἀλλ' ὡσπερ ὁ πατὴρ τῆς αἵρέσεως αὐτῶν περιέρχεται ὡς λέων, ζητῶν τίνα καταπιῆ, οὕτως οὗτοι δημοσίου δρόμου τὴν ἐξουσίαν λαθόντες καὶ περιεργόμενοι, ὃν ἂν ἠύρισκον ὀνειδίζοντα τοῦτοις τὴν φυγὴν, καὶ μισοῦντα τὴν Ἀρειανὴν αἵρεσιν, τοῦτοις ἐμάστιζον, ἐδέσμευον, ἐπόλουν ἐξορίζεσθαι τῆς ἰδίας πατριδος· φοβερούς τε ἑαυτοὺς οὕτως ἐπόλουν, ὡς πολλοὺς μὲν ὑποκριτὰς ποιῆσαι, πολλοὺς δὲ εἰς ἐρημίας φεύγειν, ἢ τοῦτοις βούλεσθαι κἂν ὄλως συντυγχάνειν (85). Τοιαῦτα ἦν αὐτῶν μετὰ τὴν φυγὴν τῆς μανίας τὰ τολμήματα. Καὶ γὰρ καὶ δρῶσιν ἄλλο τι καινὸν, ὅπερ τῆς μὲν αἵρέσεως αὐτῶν ἐστὶ κατάλληλον, οὕτω δὲ πρότερον ἠκούσθη, ἀλλ' οὐδὲ τάχα γενήσεται ποτε οὐδὲ παρὰ τοῖς ἀσελεγεστέροις τῶν Ἑλλήνων, μήτιγε παρὰ (86) Χριστιανοῖς. Τῆς γὰρ ἀγίας συνόδου πρεσβευτὰς ἀποστειλιάσας ἐπισκόπους, Βικέντιον μὲν τὸν ἀπὸ Καπύης (ἐστὶ δὲ αὕτη μητρόπολις τῆς Καμπανίας), Εὐφράτην δὲ τὸν ἀπὸ Ἀγριππίνης (ἐστὶ δὲ καὶ αὕτη μητρόπολις τῆς ἀνω Γαλλίας), Ἰνα, ὡς ἡ σύνοδος ἔκρινε, συγχωρήσῃ βασιλεὺς εἰς τὰς ἐκκλησίας τοὺς ἐπισκόπους ἐπανελθεῖν, ἐπειδὴ καὶ αὐτὸς ἐξέβαλε· γράψαντός τε καὶ τοῦ εὐσεβεστάτου Κωνσταντος τῷ ἀδελφῷ ἑαυτοῦ, καὶ συστήσαντος τοὺς ἐπισκόπους· οἱ θαυμαστοὶ καὶ πρὸς πάντα τολμηροὶ, ὡς ἐωράκασιν αὐτοὺς ἐπὶ τῆς Ἀντιοχείας, βουλευόμενοι μὲν κοινῶς prout memoriæ sese offerebant.

(84) Sic Reg. et Basil. In editis καὶ doest.

(85) Sic Reg. Editi, τυγχάνειν, minus recte.

(86) Sic Regius codex. In editis vero παρὰ doest. Mox Reg. et edit. Comm., Βικέντιον. Edit. Paris., Οὐϊνχέτιον. Paulo post editi, Ἀπογριππίνης, una voce. Reg., ἀπὸ Ἀγριππίνης. Quæ hic de Vicentio et Euphrate narratur, fusius habentur apud Theodoret., lib. II, cap. 9, et in Vita Athanasii supra.

νῆ, μόνος δὲ Στέφανος ἀναδέχεται τὸ δράμα, ὡς ἁπλοῦς ἐπιτηδείως ἔχων περὶ τὰ τοιαῦτα. Μισθοῦνται τοίνυν πόρνην δημοσίαν ἐν αὐταῖς ταῖς ἡμέραις τοῦ ἀγιοτάτου Πάσχα, καὶ γυμνῶσαντες ταύτην ἐπαφιᾶσι νυκτὸς Εὐφράτη τῷ ἐπισκόπῳ. Καὶ ἡ μὲν πόρνη τὸ πρῶτον, νομισασα νεώτερον εἶναι τὸν καλέσαντα, προθύμως ἠκολούθει· ὡς δὲ βριφεῖσα παρ' ἐκείνων, εἶδε κοιμώμενον τὸν ἄνθρωπον, καὶ μὴ εἰδὸτα τὸ γιγνόμενον, εἶτα ὡς κατενόησε καὶ εἶδε πρεσβύτου πρόσωπον, καὶ ἐπισκόπου κατάστασιν, εὐθὺς ἀναβοήσασα τὴν βίαν ἐβόα. Ἐκείνοι τε ἤξιουν σιωπῆν, καὶ καταφεύδουσαι τοῦ ἐπισκόπου. Ἡμέρας τοίνυν γενομένης, διατεβύλητο τὸ πρᾶγμα, καὶ πᾶσα ἡ πόλις συνέτρεχεν· οἱ τε ἀπὸ τοῦ παλατίου ἐκινούντο, θαυμάζοντες τὸ θρυλούμενον, καὶ ἀξιούντες μὴ σιωπηθῆναι τοῦτο. Γέγονε τοίνυν κρῖσις, καὶ ὁ μὲν (87) ἐταροτρόφος ἤλεγξε τοὺς ἐλθόντας ἐπὶ τὴν πόρνην, ἐκείνοι δὲ τὸν Στέφανον· ἦσαν γὰρ αὐτοῦ κληρικοί. Ὁ μὲν οὖν Στέφανος καθαρῆται, καὶ γίγνεται ἀντ' αὐτοῦ Λεόντιος ὁ ἀπόκοπος, ἵνα μόνον μὴ λείπῃ τῇ Ἀρειανῇ αἰρέσει προστατής.

21. Ὁ δὲ βασιλεὺς Κωνσταντίος ὀλίγον τι κατανοήσας, εἰς ἑαυτὸν ἤλαθε· λογισάμενός τε, ἐξ ὧν ἔδρασαν τῷ Εὐφράτῃ, ὅτι καὶ τὰ κατὰ τῶν ἄλλων (88) ἐπιχειρήματα τοιαῦτά ἐστι, τοὺς μὲν ἐξορισθέντας ἀπὸ τῆς Ἀλεξανδρείας εἰς τὴν Ἀρμενίαν πρεσβυτέρους καὶ διακόνους, εὐθὺς ἀπολυθῆναι κελεύει. Γράφει τε εἰς Ἀλεξανδρείαν φανερώς, μηκέτι διώκεσθαι τοὺς μετὰ Ἀθανασίου κληρικούς τε καὶ λαούς (89). Εἶτα μετὰ μῆνάς που δέκα τελευτήσαντος Γρηγορίου (90), μεταπέμπεται καὶ Ἀθανάσιον μετὰ πάσης τιμῆς, οὐχ ἅπαξ, οὐδὲ δεύτερον, ἀλλὰ καὶ τρίτον γράφας αὐτῷ μὲν φιλικὰ, δι' ὧν θαρρῆεν καὶ ἐλθεῖν προέτρεπε. Πέμπει τε πρεσβύτερον καὶ διάκονον, ἵνα εἰ μᾶλλον θαρρῶν ἐπανέλθοι. Ἐνόμιζε γὰρ διὰ τὸν φόβον τῶν πρότερον γενομένων ὀλιγωρεῖν με περὶ τὴν ἐπάνοδον. Γράφει δὲ καὶ τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ Κωνσταντίνῳ, ἵνα καὶ αὐτὸς ἐπανέλθῃ με προτρέψῃται. Διεβεδαιοῦτο (91) γὰρ ἐνιαυτὸν ὄλον ἐκδέχεσθαι τὸν Ἀθανάσιον, καὶ οὐκ ἂν ποτε ἐπιτρέψαι γενέσθαι τινὰ καινοτομίαν, ἣ καὶ κατάστασιν, φυλάττων Ἀθανασίῳ τῷ ἐπισκόπῳ τὰς Ἐκκλησίας.

22. Οὕτω δὴ οὖν γράψαντος αὐτοῦ, καὶ προτρέψαμένου διὰ πολλῶν (καὶ γὰρ καὶ τοὺς κόμητας (92) αὐτοῦ πεποίηκε γράφαι, Πολέμιον, Δατιανόν, Βαρδωνά, Θάλασσον, Ταῦρον, καὶ Φλωρέντιον (93), οἷς καὶ μᾶλλον πιστεύειν ἦν), τὸ δὲ ὄλον δεδοκῶς τῷ Θεῷ, τῷ καὶ εἰς τοῦτο κατανύξαντι τὸν Κωνσταντίνῳ, ἦλθεν Ἀθανάσιος μετὰ τῶν σὺν αὐτῷ πρὸς αὐτὸν, γησιῶς τε αὐτὸν ἔωρακε, καὶ ἀπέλυσεν εἰσελθεῖν εἰς τὴν πατρίδα καὶ τὰς Ἐκκλησίας, γράφας καὶ τοῖς κατὰ τόπον δικασταῖς, ἐπειδὴ πρότερον προστάξας ἦν φυλάττεσθαι τὰς διόδους, ἵνα ἀκύλυτον ἔχουσι τὴν παράοδον. Εἶτα τοῦ ἐπισκόπου ἀποδυρομένου περὶ ὧν

(87) Ita Reg. Editi, ἡ μὲν, etc.

(88) Sic Reg. Editi vero, ὅτι τὰ κατὰ ἄλλων.

(89) Ita Reg. Editi autem, λαϊκούς.

(90) Sub initium anni 349.

(91) Ita Reg. et Basil. Editi omnes, male, διεβε-

ratus, fabulam peragendam suscipit. Publicam itaque meretricem, ipsis sanctissimi Paschatis diebus mercede conductam, noctu ad Euphratem episcopum nudatam immittunt. Meretrix quæ se initio a juvene accitam existimabat, prompte sequebatur; ubi autem intromissa ab illis, dormientem vidit hominem, ac rei quæ agebatur ignarum, dehinc senem hominem, ac episcopi formam conspicata, clamore statim edito vim sibi inferri conquerebatur. Rogare illi ut taceret, conflictamque criminationem episcopo imponeret. Die igitur illuscescente pervulgata res est, accurritque universa civitas. At qui e palatio erant, tanti rumoris stupore commoti, rogabant ut ne illud silentio tegeretur. In jus itaque res vocatur, hominesque qui meretricem acciverant, leno prodidit: illi Stephanum: erant enim ejus clerici. Stephanus ergo episcopatu abdicatur, in ejusque locum Leonotius castratus sufficitur, idque eo solum ne Arianæ hæresi patronus deesset.

21. Porro Imperator Constantius, paulisper compunctus, ad se rediit: remque in Euphratem gestam secum reputans, ejusmodi esse illorum adversum cæteros molimina suspicatus est. Ac eos qui Alexandria in Armeniam delegati fuerant presbyteros diaconosque continuo liberos dimitti jubet: publicasque Alexandriam litteras mittit, ut ne ultra vexarentur Athanasii clerici vel populi. Hinc post decem circiter menses defuncto Gregorio, Athanasium cum summo honore accivit, cui non unam, aut binas, sed ternas misit litteras amicitiae plenas, quibus hortabatur illum ut cum fiducia accederet. Misit item presbyterum diaconumque ut majore animi securitate rediret: ratus me ob ante gestarum rerum formidinem ægre reversurum. Scripsit etiam fratri suo Constanti, ut me et ille ad remigrandum cohortaretur. Affirmabat enim se anno integro Athanasium expectasse, neque concessisse ut quidpiam novi aut ordinatio aliqua fieret quod Athanasio episcopo suas Ecclesias servare vellet.

22. (ANNO 349.) Cum eo itaque modo scripsisset ipse, multis illum verbis cohortatus (nam comites quoque suos jussit ad illum scribere, Polemium, Datianum, Bardionem, Thalassum, Taurum et Florentium, quibus præcipue habenda fides erat), Athanasium rem totam Deo acceptam referens, qui cor Constantii compunxerat, ut eam rem ageret, cum suis illum adiit; quem placido vultu imperator intuitus est, dimisitque ut in patriam et in Ecclesias suas ingrederetur, missis litteris ad varios per diversa loca judices, quibus ante præceperat aditus custodire, ut liberum jam præberent transitum.

βαιούνο. Mox, post ἐπιτρέψαι, editi habent με, quæ vox importuna in Reg. deleta est, a nobisque ommissa.

(92) Regius codex, κόμητας.

(93) Regius codex, Φλωρέντιον.

Deinde cum episcopus de sibi illatis malis conquereretur, deque litteris ab ipso imperatore adversum se scriptis, rogaret insuper, ut ne calumnias adversariorum post discussum suum audiret: Arceae, aiens, homines si lubet: per nos licet ut coram astant, quo illos confutemus; hoc ille noluit, sed quotquot per calumniam scripta fuerant, auferri abradique jussit, fidemque dedit se calumniis postea minime aurem præbiturum, sed firmum immotumque fore hoc suum propositum. Hoc non tantum verbis protulit, sed etiam juramenti sermonem obsignavit, Deo super hac re teste advocato. Virum insuper multis aliis cohortatus, ut fiduciam haberet, has ad episcopos et ad iudices mittit litteras:

23. *Victor Constantius Maximus Augustus episcopis et clericis catholicæ Ecclesiæ.*

Nequaquam destitutus Dei gratia est reverendissimus. (*Descripta superius habetur in sexagesimo quinto tractatu, ubi huic prorsus similis est.*) Vide pag. 136.

Alia epistola.

*Constantii ad populum Alexandrinum.*

Cum in proposito nobis sit vestra in omnibus tranquillitas. (*Descripta est hæc etiam in sexagesimo quinto tractatu.*) Vide pag. 137.

Alia epistola.

*Victor Constantius Augustus, Nestorio Ægypti præfecto.*

Certum est datum ante a nobis decretum fuisse, rescriptaque reperiri contra Athanasii reverendissimi episcopi existimationem, quæ in sanctitatis tuæ commentario habentur. Placet itaque ut tua nobis spectata sobrietas, omnes epistolas circa prædicti viri nomen in 283 commentario tibi commisso repperas, secundum præsens nostrum decretum, ad comitatum nostrum transmittat.

24. Litteræ autem ab eo post beati Constantis obitum perscriptæ, hujusmodi sunt, Latine primum editæ, Græcoque translatae.

*Victor Constantius Augustus, Athanasio.*

Votum meum semper fuisse ut omnia fratri

A πέπονθε, καὶ περὶ τῶν κατ' αὐτὸν γραφέντων παρ' αὐτοῦ, παρατιθεμένου τε μὴ πάλιν μετὰ τὴν ἀποδημίαν διαβολαὶ γένωνται παρὰ τῶν ἔθρων, καὶ λέγοντος· Κάλει τούτους, εἰ βούλει (ἔξεστι γὰρ ἐστᾶναι τούτους δι' ἡμᾶς), καὶ διελέγχωμεν αὐτούς. Τοῦτο μὲν οὐ πεποίηκε· πάντα δὲ ὅσα πρότερον ἐκ διαβολῆς ἦν (94) γραφέντα κατ' αὐτοῦ, ἀναρρηθῆναι ταῦτα καὶ ἀπαλιφῆναι· κελεύει, διαβεβαιωσάμενος μηκέτι τοῦ λοιποῦ διαβολῶν ἀνέχεσθαι, ἀλλ' εἶναι βεβαίαν καὶ ἀμετάβλητον τὴν προαίρεσιν. Καὶ τοῦτο οὐχ ἀπλῶς ἔλεγεν, ἀλλ' (95) ὄρκους ἐπεσφράγιζε τοὺς λόγους, τὸν Θεὸν ἐπὶ τούτοις καλῶν μάρτυρα. Πολλοὶ γοῦν καὶ ἑτέροις λόγοις προτρεψάμενος αὐτὸν, καὶ θαρρῆναι πρᾶκελευσάμενος, γράφει πρὸς τοὺς ἐπισκόπους, καὶ τοὺς δικαστὰς ταῦτα·

B 23. *Νικητῆς Κωνσταντίου Μέγιστος Σεβαστὸς ἐπισκόποις καὶ κληρικοῖς (96) τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας.*

Οὐκ ἀπελείφθη τῆς τοῦ Θεοῦ χάριτος ὁ αἰδεσιμώτατος. (97) (Ἐγγράφη ὀπίσω εἰς τὸν 98 λόγον καὶ ἔστιν ἐξ ὁλοκλήρου ὁμοία ταύτης.)

Ἐτέρα ἐπιστολή.

*Κωνσταντίου (98) πρὸς τὸν τῆς Ἀλεξανδρείας λαόν.*

Σκοπὸν ποιούμενοι τὴν ὑμέτεραν ἐν ἁσιν εὐνομίαν. (Ἐγγράφη καὶ αὕτη ὁμοίως εἰς τὸν αὐτὸν 98 λόγον [99].)

Ἐτέρα ἐπιστολή.

*Νικητῆς Κωνσταντίου Ἀγρουστος, Νεστορίῳ ἐξάρχῳ Αἰγύπτου.*

C Φανερόν ἐστι πρὸ τοῦτου πρότταξιν ἡμέτεραν γεγενῆσθαι, ὥστε κατὰ τῆς ὑπολήψεως Ἀθανασίου, τοῦ αἰδεσιμωτάτου ἐπισκόπου, γράμματά τινα εὕρισκεσθαι· ταῦτά τε συνέστηκεν ἐν τῇ τάξει τῆς σῆς καθοσιώσεως εἶναι. Βουλόμεθα τοιγαροῦν ἵνα ἡ δεδοκιμασμένη ἡμῖν νηφαλιότης (1) σου πάσας τὰς ἐπιστολάς, ὅσας ἂν περὶ τοῦ ὀνόματος τοῦ προειρημένου γενομένας ἐν τῇ ὑπὸ σὲ τάξει, ἀκολουθῶς τῇ ἡμέτερᾳ ταύτῃ κελεύσει, εἰς τὸ ἡμέτερον κομητάτον (2) ἀποστελή.

24. Ἄ δὲ καὶ μετὰ θάνατον τοῦ μακαρίου Κωνσταντος ἔγραψεν (3), ἔστι ταῦτα, Ῥωμαῖσι μὲν γραφέντα, ἑρμηνευθέντα δὲ Ἑλληνιστί.

*Νικητῆς Κωνσταντίου Ἀγρουστος, Ἀθανασίῳ (4).*

Εὐχὴν δεῖ μοι ταύτην γεγενῆσθαι, ὥστε πάντα κα-

(94) Ita Reg., editi vero, ἕσαν. Mox Reg., διαβεβαιωσάμενος. Editi, βεβαιωσάμενος.

(95) Lucifer Calaritanus, uti monitum est in *Apol. ad Const.*, ad n. 23, ait Constantium litteris suis jurasse Alexandrinis, se nihil deinceps mali facturum Athanasio, lib. 1 pro S. Athanasio, p. 132.

(96) In *Apol. contra Arianos*, num. 54, ubi hæc habetur epistola, legitur, καὶ προεστυμένοις.

(97) Amanuenses quod hæc duæ epistolæ superius essent descriptæ, eas prætermiserunt, primis tantum appositis verbis, ut ipsi monent. Reg. ibid. habet, εἰς τὸν 98 λόγον, quia nimirum eo ordine ibi ambæ rescriptæ sunt.

(98) Ita Regius codex et Basil. Editi vero, Κωνσταντος, perperam. Hæc item epistola habetur in

*Apologia contra Arianos*, num. 55.

(99) Regius codex, εἰς τὸν 98 λόγον. Idem postea hæc subdit: καὶ διὰ τὸ μηδὲν παραλλάσσειν κατελείφθησαν νῦν ἄγραφοι. *Ei quia nihil ab illis discrepant, non hic iterum descriptæ sunt.*

(1) In editis habetur articulus ἡ ante νηφαλιότης, sed in Reg. deest.

(2) Reg., κομητάτον prima manu, secunda vero κομητάτον.

(3) Sic Reg. In editis ἔγραψεν desinenter.

(4) Hujus epistolæ Latine primum editæ duplex exstat versio Græce apud Athanasium, prima in *Apologia ad imperatorem Constantinum*, num. 25, secunda hæc ipsa est.

ταθυμῶς ἀποβαίνειν τῆ ποτὲ μου ἀδελφῷ Κώνσταντι, οὐδὲ τὴν σὴν σύνεσιν ἔλαθεν· ἐν ὄσῃ τε λύπη διετέθη· μαθὼν τοῦτον ἀνηρῆσθαι παρά τινων ἀνοσιωτάτων, στοχάζεσθαι πάλιν δύναται ἢ σὴ φρόνησις. Ἐπεὶ οὖν τινὲς εἰσὶν οἱ ἐν τῷ παρόντι καιρῷ, τῷ οὕτως κενθικῷ, πειρώμενοι σε ἐκφοβεῖν, διὰ τοῦτο ταῦτα πρὸς τὴν σὴν στερέωτητα δοθῆναι τὰ γράμματα ἐδικαίωσα, προτροπόμενός σε εἶνα, ὡς πρέπει ἐπίσκοπον, τοὺς λαοὺς τὰ ὀφειλόμενα τῇ θείᾳ θρησκείᾳ διδάσκειν, καὶ μετ' αὐτῶν συνήθως εὐχαῖς σχολάζειν, (5) καὶ μὴ ματαίως θρύλοις, οἵτινες ἀν γένοιτο, πιστεύσῃς. Ἡμῖν γὰρ τοῦτο ἐν τῇ ψυχῇ πέπηγεν, ὥστε σε ἀκολουθῶν τῇ ἡμετέρᾳ προαιρέσει διαπαντός ἐν τῷ τόπῳ σου θέλειν ἐπίσκοπον εἶναι (6).

Ἡ θεία πρόνοια πολλοὺς ἔτεσὶ σε διατηροῖ, γονεῦ B προσφιλέστατε.

25. Τοῦτων οὕτω πραχθέντων, οὕτω τε συνταξαμένων, καὶ τῆς ὁδοῦ λοιπὸν ἐπιδάντων, οἱ μὲν φίλοι φίλον ὀρῶντες ἔχαιρον· τῶν δὲ ἄλλων οἱ μὲν ἐδυσωποῦντο βλέποντες αὐτόν· οἱ δὲ καὶ παρῆσιαν οὐκ ἔχοντες, ἐκρύπτοντο· οἱ δὲ καὶ μετεγίνωσκον ἐφ' οἷς ἔγραψαν κατὰ τοῦ ἐπισκόπου. Πάντες οὖν (7) οἱ ἀπὸ Παλαιστίνης ἐπίσκοποι, χωρὶς δύο που ἦ τριῶν (8), καὶ αὐτῶν ὑπόπτων τυγχάνοντων, οὕτω τὸν Ἀθανάσιον ὑπεδέξαντο, καὶ τὴν πρὸς αὐτὸν ἡσάσαντο κοινωνίαν, ὡς καὶ γράψαι καὶ ἀπολογήσασθαι, ὅτι ἂ πρότερον ἔγραψαν, οὐ κατὰ προαίρεσιν, ἀλλὰ βιαζόμενοι πεποιήκασιν. Περὶ γὰρ τῶν ἐν Αἰγύπτῳ καὶ ταῖς Λιβύαις ἐπισκόπων, καὶ τῶν ἐν αὐταῖς καὶ τῶν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ λαῶν, περιτόν ἐστι C καὶ λέγειν· πάντων συντρεχόντων, καὶ ἀνεκλάλητον ἐχόντων τὴν χαρὰν· οὐχ ὅτι μόνον τοὺς ἰδίους παρ' ἐλπίδα ζῶντας ἀπελάμβανον, ἀλλ' ὅτι καὶ τῶν αἰρετικῶν ὡς τυράννων καὶ λυττώντων κυνῶν ἀπῆλλαντοντο. Μεγάλη γοῦν ἦν εὐφροσύνη, τῶν λαῶν ἐν ταῖς συνάξεσι παροξυνόντων ἀλλήλους εἰς ἀρετὴν. Πόσαι τῶν ἀγάμων, πρότερον οὔσαι πρὸς γάμον ἔτοιμοι, ἔμειναν παρθένοι τῷ Χριστῷ! πόσοι νεώτεροι βλέποντες ἑτέρους, τὸν μονήρη βίον ἠγάπησαν! πόσοι πατέρες προέτρπον τέκνα! πόσοι δὲ καὶ παρὰ τέκνων ἠξιώθησαν, μὴ ἐμποδίζεσθαι τῆς ἐν Χριστῷ ἀσκήσεως! πόσοι γυναῖκες ἔπεισαν ἀνδρας, πόσοι δὲ παρὰ ἀνδρῶν ἐπέισθησαν σχολάζειν τῇ προσευχῇ, ὡς εἶπεν ὁ Ἀπόστολος! πόσοι χῆραι, πόσοι δὲ καὶ ὀρφανοί, τὸ πρότερον πεινῶντες καὶ γυμνοὶ τυγχάνοντες, ἐκ πολλῆς τῆς τῶν λαῶν προθυμίας, οὔτε λοιπὸν ἐπεινῶν, ἀλλὰ καὶ ἐνδεδυμένοι προήρχοντο! Καὶ ὅλως τοσαύτη ἦν ἀμιλλα περὶ ἀρετῆν, ὡς ἐκάστην οἰκίαν, καὶ οἶκον ἕκαστον (9) νομίζειν ἐκκλησίαν εἶναι, διὰ τὴν τῶν ἐνοικούντων φιλοκαλίαν τε καὶ τὴν

<sup>25</sup> I Cor. vii, 5.

(5) Hæc verba usque ad ἡμῖν sequens non exprimitur in *Apol. ad Const.*, num. 23. Ibid. editi, male, θύλοις. Reg., θρύλοις. Ibid. Reg., εἰ τινες. Editi, οἵτινες, quæ genuina videtur lectio.

(6) In *Apol. ad Constantium*, num. 23, post illud, ἐπίσκοπον εἶναι, legitur, καὶ ἄλλῃ χειρὶ, ut indicetur æquientia alia manu scripta fuisse, nec imperatoris nomine. Mox post illud, προσφιλέστατε, editi hæc

A quondam meo Constanti ex sententia cederent, neque prudentiæ tuæ latere arbitror. Quem ubi a quibusdam sceleratissimis sublatum cognovissem, quanto mœrere affectus sim, tuæ item prudentiæ æstimare valet. Cæterum quia nonnulli sunt qui te tam luctuoso temporis decursu terrere conantur; ideo hæc litteras ad tuam constantiam mittere æquum existimavi: hortorque te ut, quemadmodum episcopum decet, quæ ad divinam religionem pertinent populos doceas, ac cum illis de more precibus vaces, neque vanis rumoribus, quicumque tandem illi sint, fidem adhibeas. Hoc enim firmum in animo propositum habemus, ut, juxta placitum et voluntatem nostram, in tuis semper sedibus episcopus sis.

Divina te providentia multis annis conservet, Pater dilectissime.

25. His ita gestis, postquam vale dixisset Athanasius, seseque viæ commisisset, amici amicum videntes, læti: ex aliis vero quidam ad ejus conspectum pudore affecti sunt: nonnulli coram se sistere non ausi, sese abdebant: alii pœnitentia ducti, scripta adversus episcopum sua repudiabant. Omnes itaque Palæstinæ episcopi, duobus vel tribus exceptis, iisque suspectis viris, ita Athanasium susceperunt, ita ejus communionem amplexi sunt, ut etiam litteris sese exeusarent, testarenturque se ea quæ ante scripserant, non motu proprio, sed vi adactos scripsisse. Nam quod spectat Ægypti et Libyarum episcopos, necnon earum regionum Alexandriæque populos, enarrare forte supervacaneum fuerit: æccurrebant quippe omnes, erantque ineffabili gaudio perfusi: non tantum quod suos præter spem incolumes reciperent, sed etiam quod ab hæreticis quasi a tyrannis et rabidis canibus eriperentur. Ingens itaque fuit lætitia populorum sese invicem in synaxibus ad virtutem cohortantium. Quot innuptæ, ad nubendum tamen paratæ, virgines Christo dicatæ permanserunt! quot adolescentæ aliorum exemplo concitati, vitam monasticam amplexi sunt! quot patres filios suos hortabantur! quot patres a filiis rogati sunt, ut ne suam in Christo exercitationem interpellarent! quot uxores viris suis, quot viri uxoribus suis persuaserunt, ut orationi incumbere, quemadmodum ait Apostolus <sup>25</sup>! quot viduæ, quot orphani, qui prius esuriebant, nudique erant, ex ardenti populorum ad virtutem studio, non ultra esuriere, imo etiam induti prodire! Tanta demum de virtute contentio fuit, ut singulas familias, singulas domos, ob probitatem inhabitantium, precesque ad

habent, καὶ ταῦτα μὲν ὁ Κωνσταντῖος, quæ cum in Reg. desint, a contextu expunximus.

(7) Reg., γοῦν. Quæ mox sequuntur videsis in *Apol. contra Arianos*, num. 57, ubi synodi Hierosolymitanæ epistola legitur.

(8) Acacius scilicet Cæsariensis et Patrophilus Scythopolitanus excipiendi. Vide pag. 133.

(9) Regius codex, ἐκάστου.

Deum fusas, tot ecclesias existimasses. Pax profunda admirandaque erat in Ecclesiis, cum episcopi undique Athanasio scriberent, 284 ab eoque mutuo acciperent consuetas pacis litteras.

26. (ANNO 349 VEL 350.) Quin etiam Ursacius et Valens quasi a conscientia percussi, pœnitentiam egerunt, ac eidem ipsi episcopo amicam pacificamque epistolam scripsere, tametsi nullas ab eo litteras acceperant. Romamque profecti pœnitentiam egerunt, confitentes, quæcunque adversus eum fecissent dixissentve, falsa ac meram esse sycophantiam. Neque sat illis fuit ita egisse: nam Ariana hæresi anathemate damnata, pœnitentiam suam scripto tradidere, per hæc litteras, quas Julio episcopo Latine scriptas misere, quæque Græce translatae sunt. Quarum exemplar Latine nobis a Paulo Trevirensi episcopo transmissum est.

Interpretatio ex Latino.

